1 Hirolz. in 4

1760



Schelhorn, Johann Georg,
1694-1773, ed.

AMOENITATES LITERARIÆ,

Quibus

VARIÆ OBSERVATIONES,

Scripta item quædam anecdota & rariora Opuscula exhibentur.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Apud DANIEL BARTHOLOMÆI,
MDCCXXV.

S. R. I.

LIBERÆ ET INCLYTÆ

REIP. MEMMIN-
GENSIS

PROCERIBUS,

VIRIS MAGNIFICIS,
PERQUAM GENEROSIS,
MAXIME STRENUIS, JURIS-
CONSULTISSIMIS, PRÆ-
NOBILISSIMIS, AMPLIS-
SIMIS, PRUDEN-
TISSIMIS,

DOMINIS CONSULIBUS, PRÆTORI, SECRETIORIBUS, TOTIQUE SENATORUM ORDINI,

NEC NON CONSILIARIO ET TABULARUM PUBLICARUM PRÆFECTO,

MÆCENATIBUS ET PATRONIS OPTIMIS MAXIMIS,

Se suumque Libellum

ea, qua par est animi submissione dicat.

J. G. S.

Jam

JAm pridem geſtiit animus, Vobis, MÆCENATES SUMMI, maximorum beneficiorum memoria obſtrictus, publicum aliquod devoti mei in Vos obſequii debitæque gratitudinis monumentum erigere. Aures enim ſæpenumero mihi vellicabat Seneca, quem ſapientiæ patrem dixere veteres, hoc effato ruborem mihi injiciens: *Quidam fugitive*

agunt gratias, & in angulo & ad aurem. Non est ista verecundia, sed inficiandi genus. Ingratus est, qui remotis arbitris agit gratias. Calidissimis vero meis desideriis hactenus defuit occasio, quam nunc tandem oblatam avide teneo, Vobisque in sanctissimi cultus tesseram & mentis devotæ pignus hoc, quicquid est libelli, venerabundus offero, dico, consecro. Levidense est, fateor, id munusculum, nec par aut dignum Vestris Personis & beneficiis, in me uberrime collatis, quibus ceu compe-

dibus

dibus & numellis Vobis me devinxiſtis totum: haud tamen prorſus diſpliciturum eſſe, Veſtra me, tot documentis mihi cognita, ſperare jubet benignitas. Vobis potiſſimum, MÆCENA-*TES*, omnes meos qualescunque in literis profectus debeo. Veſter favor jam adoleſcentulum fovit, creſcentibusque poſtea annis ſimul crevit. Veſtris ſubſidiis ſuffultus, in Academias, illas bonarum artium palæſtras & ſcientiarum officinas, me recepi. Vos literis commendatitiis primos mihi adi-

tus in famigeratiſſimo illo Salanarum Muſarum contubernio ad D. Jo. Franc. Buddeum, Virum meo elogio longe ſuperiorem, cujus edecumatæ virtutes & eximia in omnem rem literariam & ſacram merita per totum, quaqua patet, orbem eruditum celebratiſſima ſunt, muniiſtis. Cumque Athenas Noricas peterem, Veſter etiam me favor comitatus eſt, teſſeramque præbuit admiſſionalem ad D. Guſt. Georg. Zeltnerum, Theologum Philologumque ſummum, Virum

comprobata; quæ religioso potius silentio & memori mente, quam balbutienti præconio, venerabor. Vestra insuper quotidie meis usibus exposita est Bibliotheca, quæ in dies vestris auspiciis læta capit incrementa, nuper adeo cum aliis, tum Bernardi Montfauconii opere immortali vereque aureo, quo Antiquitates jucunda explanatione & schematibus nitidissimis illustrantur, liberaliter locupletata. Nihil jam dicam de reliquis beneficiis, quæ cum singulis Ve-

ſtris civibus mihi ſunt communia: nihil de Veſtra fide; pietate, vigilantia, ſapientia; conſilii præſentia, juſtitia, cum lenitate amico juncta connubio, aliisque virtutibus, quibus, Deo clementer annuente, Patriæ noſtræ commoda in dies amplificatis, & civium felicitatem omni niſu provehitis. Supplex divinum Numen imploro, ut Vos, MÆCENATES SUMMA OBSERVANTIA COLENDI, in Reipublicæ & Eccleſiæ noſtræ ſolamen atque præſidium ſalvos & incolu-

mes,

mes, ac omni rerum optandarum adfluentia cumulatos quam diutissime servet!

Ita precor, ita voveo, meque & mea studia perennanti Vestro patrocinio demissa mente commendo.

Scribebam Memmingæ A.R.S. CIↃ IↃCC XXIV. VII. Kalend. Novembris.

PRÆFATIO.

L. B. S.

PAucis Te volo, Amice Lector. Rariorum librorum notitiam, Virorum literis illustrium vitas variasque amoenioris argumenti dissertatiunculas per otium mihi natas tecum communicaturus, hisce primitiis nunc tuos subeo oculos, quas si Tibi haud prorsus ingratas fuisse animadvertero, plures in posterum bono cum Deo partes subsecuturæ sunt. Ut vero meis commentationibus, quas tenues & incomptas esse meæ imbecillitatis probe conscius, novi, aliquam conciliem gratiam, pretiosam semper panno meo subtextam exhibere purpuram decrevi, rariora videlicet, nec ubivis obvia, quædam opuscula, & nonnulla monumenta anecdota diversi generis, quibus subinde notatiunculis meis lucem affundere conabor. Vale, ac consiliis symbolisque, si placet, Tuis meum institutum adjuva.

OWE-


OWENUS.

Qui ſcribit, laudatur ab his, culpatur ab illis:
Lectoris vultu ſtatque caditque ſui:
Semper agit cauſam, nec tempore tranſiget ullo:
Semper enim ſub de judice, Lector erit.



SYLLABUS
eorum, quæ hoc libello continentur.

IX. *Ob-*



I. *Noti-*

in angulo quodam, ubi hactenus cum blattis & tineis, putidis illis ac invisis animalculis, inexpiabile bellum gesserat, delitescentem, & vix me continui, quin tenerrimis ipsum exciperem osculis, cum primo statim intuitu magna mihi suspicio de libri pretio suboriretur, nisi pulvere fuisset obsitus, atra caligine plenus, sordidaque veste indutus. Nec mea me opinio fefellit: defixis enim oculis & attento animo eum perlustrans, illo tempore impressum esse deprehendi, quo aurea ista & divina ars typographica,

- - sine qua si forte fuisset,
pessum cum Musis isset Apollo suis,

adhuc in cunis vagiit. Quam vero rari carique sint hujus generis libri, inter κειμήλια literaria merito suo ponendi, vel triviales norunt pueri. Numero vix, quod ego quidem sciam, supersunt totidem, quot Thebarum portæ, aut divitis ostia Nili. Vel in ipsis augustissimis bibliothecis, quæ invidendis superbiunt gazis, frustra hujus notæ volumina plerumque quæres. Julius Cæsar Scaliger olim possedit Horologium beatæ Mariæ, pagellis ligneis incisis impressum in membranis, literis inter se colligatis & connexis, in hunc censum jure referendum, nisi a cane leporario discerptum fuisset; quod diu

diu is doluit, & magno illud damnum redemiſſet (*a*) Celeberrimus Annalium typographicorum conditor Michael Maittaire (*b*) quatuor ejusgeneris libros in exquiſitiſſima Pembrokiæ Comitis Bibliotheca ſibi viſos, eleganter & accurate nobis deſcriptos dedit. Pariſiis in duabus tantum Bibliothecis, Sorbonica nimirum & Fratrum Cœleſtinorum (*c*) Speculum humanæ ſalvationis, quod primigenia illa typographia luci expoſuit, extare dicitur: quod penes ſe etiam habuere quondam P. Scriverius, M. Z. Boxhornius, Mallincrotius & Andreas Chevillierius (*d*). In illuſtris quoque Norinbergenſis Reip. Bibliotheca idem illud cum paucis aliis ejus notæ viſitur (*e*). In Harlemenſium vero curia tanta Speculum iſtud adſervatur ſolicitudine, ſerico involutum, & argenteæ capſulæ incluſum, ut ejus curam aliquot e ſenatorum ordine gerant, quorum ſinguli peculiarem ad capſulam illam reſerandam clavem tenent, ne unus absque alterius ope

(*a*) vid. Joſ. Scaligeri Confutat. fabulæ Burdon. p. 245. edit. Lugd. Bat. 1608.

(*b*) vid. ejus Annal. Typ. Tom. I. p. 13. & 17.

(*c*) cf. Dan. Maichelii Introd. ad Hiſt. lit. de præcipuis Bibliothecis Pariſ. p. 107.

(*d*) vid. Maittaire l. c. p. 13. ſqq.

(*e*) cf. Jo. Sauberti Hiſt. Biblioth. Norib. p. 116.

κειμήλιον hoc contrectare, aliisque oſtendere queat (*f*). Præter hæc autem impreſſa tantæ vetuſtatis volumina ego quidem novi nulla. Ciceronis enim de officiis libri a Joanne Fuſto Moguntiæ 1466. excuſi ad eam antiquitatem haud aſſurgunt. Eorum exemplum aliquod ſplendidiſſimam Bibliothecam Auguſtanam ornat, in membrana expreſſum, cui hoc diſtichon inſcriptum eſt:

Artis Chalcographæ primordia Bibliothecæ
Weiſſius hæc David dat monumenta ſui:
Anno 1572. Calendis Auguſti. (*g*)

At ea editio primis illis nobiliſſimæ artis tentaminibus & rudimentis annumeranda non eſt, ſiquidem tum jam ad aliquam maturitatem pervenit: imo A. 1465. præceſſit alia ejus operis editio, in eadem officina curata. (*h*) Noſtrum vero libellum, cujus gratia hæc præfati ſumus, intrepide ſi non primum artis inventæ fœtum, certe inter primos fuiſſe aſſeveramus. Agedum! dabimus jam opuſculi hujus rariſſimi, adhuc nemini, quod

(*f*) Miſſon in Itiner. per Italiam. Tom. I. p. 34. edit. Lipſ. 1713.

(*g*) vid. Ehingeri Catalog. Biblioth. Auguſt. f. 642.

(*h*) cf. Maittaire l. c. p. 60. niſi forte hæc editio cum priore una eademque ſit.

quod ſciam, obſervati dilucidam & accuratam, quantum fieri poterit, notitiam, gaudiique noſtri te etiam reddemus participem. Res ſane delectationis plena eſt, jucundo hoc aſpectu paſcere oculos, & prima illa aureæ artis contemplari experimenta. Ipſa typorum ruditas, ipſa illa atra craſſaque literarum facies belle tangit ſenſus, nobisque vivis veluti coloribus gradus iſtos delineat, per quos paulatim a teneris unguiculis & ipſis crepundiis in maſculam illam, qua nunc floret, ætatem ars excuſoria crevit. Nempe in folio minori expreſſum triginta abſolvitur paginis, haud opiſthographis: una enim duntaxat cujusque folii facies typis vel figuris ornata eſt, ad deformitatem vero vitandam duæ ſemper paginæ glutino commiſſæ cohæreſcunt. Tam vocum quam figurarum characteres tabulis inſculpti ſunt, ut adeo vel ex hoc appareat, in antiquiſſimarum editionum claſſem codicem noſtrum referendum eſſe, cum typis ligneis, haud mobilibus & ſejunctis, quorum inventionem Petro Schœffero debemus, impreſſus ſit. Sunt equidem inter eruditos, qui hujus notæ libros, utpote in tabulis ſculptos atque inciſos, e typographicorum operum numero eximunt; at immerito id fieri mihi perſua-

ſum eſt. Illud enim negari haud facile poſſe arbitror, hunc excudendi morem viam ad commodiorem imprimendi rationem, quæ nunc viget, paraviſſe. Utrumque autem modum eosdem autores, Germanos ſcilicet noſtros, agnoſcere exiſtimo, qui ſenſim ſenſimque artem a ſe excogitatam perfectiorem reddere allaborarunt. Juvat heic ex Jo. Arnoldi Bergellani poëmate encomiaſtico de Chalcographiæ inventione (*i*) quædam, huc facientia, decerpere:

Addidit ac operi lucem, ſumptumque laboris
Fauſtus, Germanis munera fauſta ferens.
Et levi ligno ſculpunt hi grammata prima,
Quæ poterat variis quisque referre modis.
Materiam bibulæ ſupponunt inde papyri,
Aptam quam libris littore Nilus alit.
Inſuper aptabant, mittit quas ſepia, guttas,
Reddebat preſſas ſculpta tabella notas.

Sed

(*i*) vid. W. E. Tenzelii Curioſam Bibliothecam Tom. I. p. 992. ubi hoc carmen integrum legitur.

Sed quia non poterat propria de classe character
Tolli nec variis usibus aptus erat;
Illis succurrit Petrus, cognomine Schœffer,
Quo vix cælando promtior alter erat.
Ille sagax animi præclara toreumata finxit,
Quæ sanxit matris nomine posteritas,
Et primus vocum fundebat in ære figuras,
Innumeris cogi quæ potuere modis.

Vocum character Gothicus est, majusculus, ater, crassus, rudis, informis. Videas hic nonnunquam literas atramento confluenti deformatas, ventremque illarum, alias album & vacuum, atramentaria macula repletum, ut scilicet inde artis agnoscas infantiam. Nec desunt crebra literarum compendia. Quindecim folia hujus libelli textum continent, reliqua figuras, textui respondentes. Ad lacunas quasdam paginarum explendas nunc literarum ductus longius prolatati sunt, nunc asterisci adjecti, nunc animalium, nescio quorum, effigies ornamenti loco expressæ. In calce singulorum ipsius textus foliorum literæ alphabeti

per ordinem circa ultimæ lineæ extremitatem appositæ ad seriem chartarum designandam, ut prima pagina literam a, secunda b, &c. appictam gerat. Anni, loci, ac typographi notam frustra hic quæris: nec eam desiderabis, si priscum illum primarum editionum morem habueris compertum. Liber averso folio incipit, adverso desinit: utraque autem pagina, prima & ultima, glutine tegmini vel involucro affixa est. Opusculum vero hoc (*k*) compendiosam rationem potissima quatuor Evangeliorum argumenta memoriæ mandandi tradit. Hinc cuilibet textus folio e regione appositam conspicis paginam, figuras tabulis ligneis incisas continentem, quæ textui respondent, numero ubique capitum annotato. Accipe jam integrum primum folium, quod viginti duabus constat lineis: *Ars memorandi notabilis per figuras Evangelistarum hic ex post descriptam quam diligens lector diligenter legat & practicet per signa localia ut in practica experitur.* (En horridum & incomtum dicendi genus, Priscianumque misere vapulantem!)

(*k*) Annumerandum igitur est Introductionibus mnemonicis in S. Scripturam, de quibus peculiari Dissertatione Altorfii 1697. egit Jo. Mich. Langius, & Jo. Christoph. Wolfius in Biblioth. Hebr. P. II. p. 247. sqq.

lantem!) *Evangelium Johannis* (id enim primum tenet locum) *habet viginti unum capittula. Primum. In principio erat verbum de eternitate verbi & de trinitate. Secundum capittulum. Nupcie facte sunt inChana Galilee Et qualiter Christus subvertit mensas nummulariorum. Tertium capittulum. Erat autem homo ex Phariseis Nycodemus nomine. Quartum capittulum. Qualiter Ihesus peciit a muliere Samaritana bibere circa puteum Jacob & de regulo. Quintum capittulum. De probatica piscina ubi dixit Ihesus infirmo. Tolle grabatum tuum & vade. Sextum capittulum. De refectione ex quinque panibus & duobus piscibus Et de ewkaristia.* Jam figuram quoque male tornatam delineabimus. Ea hanc inscriptionem in media fere paginæ parte gerit: *Prima ygo* (imago) *Johannis.* Heic conspicis Joannis insignia, aquilam, ruditer sculptam, expansis aliquatenus alis, & distortis pedibus. Ejus fronti insidet columba, capiti utrinque appositæ sunt duæ virorum, senis scilicet barbati & juvenis facies, nota primi numeri adjecta, ut sic capitis primi argumentum indigitetur. Aquilæ cor onerat cithara, appensis, ni fallor, tribus tintinnabulis, & numeri secundi indicio adscripto, ut nimirum sic nuptias, Canæ celebra-

tas, acute innui scias. Forte tamen ea, quæ tintinnabulis haud videntur dissimilia, nummulariorum loculos & pecuniæ receptacula referunt. Circa ventrem, nonnihil apertum & profectum, numeri 3. nota comparet. Nescio, an eo digitus intendatur in Nicodemi verba: nunquid homo senex potest in ventrem matris suæ iterato introire & renasci? Aquilinæ caudæ situla vel hydria, hauriendis e fonte aquis apta imposita est, nec non corona, qua ὁ βασιλικος, Sospitatoris nostri opem implorans, significatur, addito numeri 4. signo. In superiori alæ dexteræ parte quinti capitis nota & piscis, ad piscinam probaticam designandam, spectatur: sinistræ vero alæ supremam partem duo pisces & quinque panes ornant, annotato numero 6. apposita insuper figura quadam, oblatam forte eucharisticam adumbrante.

Sed liceat alteram quoque textus paginam, quæ septendecim tantum absolvitur lineis, describere. *Septimum capittulum. De cenophbeya sew festa tabernaculorum in Iherusale Ubi dixit Ihesus ascendite vos ad diem festum. Si quis sitit &c. Octavum capittulum. De muliere deprebensa in adulterio Ego sum Lux mundi &c. Nonum capittulum. De ceco a nativitate quem Christus illuminavit & cetera.*

cetera. Decimum capittulum. De pastore bono per totum &c. Undecimum capittulum. De suscitacione Lazari a monimento. Duodecimum capittulum. De Maria Magdalena que unxit pedes Ihesu. Tabula sculpta iterum aquilam variis ornamentis, jam a nobis recensendis, conspicuam repræsentat. Videlicet fronti infixum est vexillum, adjecta tuba & cyatho cum numeri 7. nota. Pectori insident nudis corporibus juvenis ac mulier, mutuis se amplexibus & osculis foventes: fœmina manu dextera tenet candelam, cui adscriptus est numerus 8: (mirare sanctæ simplicitatis documentum, & risum cohibe.) Circa aquilæ ventrem apparet oculus cum numeri 9. indicio. In caudæ extremitate jacet baculus pastoralis, quem facile Herculis clavam esse existimes, appicto numeri 10. signo. Dexteræ alæ impositum est hominis demortui caput, vermibus jam corrosum, utroque lumine, cute & carne orbatum cum numero 11. sinistræ vero myrothecion & numeri 12. nota. In paginæ umbilico conspicitur inscriptio : *Imago Johannis secunda.* Sequitur deinde, addita itidem figura, tertium textus folium, quo Evangelii Joannis argumenta absolvuntur. Posthæc Matthæi summa quinque paginis ac totidem

tidem imaginibus comprehensa traditur, quam Evangeliorum Marci & Lucæ compendia excipiunt: illi tres, huic quatuor paginæ, totidemque figurarum tabulæ destinatæ sunt. Matthæi figuras angelo, Marci leoni, Lucæ bovi appictas insculptasve esse scito. Fateor, in sola antiquitate & raritate ponendum esse omne hujus libri pretium, cetera incompti, barbari & horridi, immanemque illam squalem, quæ ea ætate linguas bonasque artes obsedit, ubique referentis. Scilicet primi typographi, homines elegantis literaturæ plane rudes, inventum suum, quoad ejus fieri poterat, celantes, ne lucrum inde speratum ab aliis sibi præriperetur, inconsultis doctioribus, quorum tum parva admodum seges erat, nubem plerumque pro Junone amplexi sunt, & ex tam immensa præstantissimorum operum, quæ id temporis in variis Bibliothecis latebant, copia sæpenumero futiles & levioris vel nullius momenti libros elegerunt, in quibus prima tyrocinii rudimenta ponerent, suo tantum judicio usi, ne arcanum proderetur. Et hæc præcipua tantæ eorum raritatis causa mihi esse videtur, quod postea in tam fœcundo optimorum authorum proventu neglecti sint asperi & squalidi hi libri, in ob-

scuros

ſcuros projecti angulos, gliribusque & tineis in ſapidiſſimum pabulum relicti. Servandæ tamen ſunt & quovis ſtudio colligendæ paucæ iſtæ venerandæ vetuſtatis reliquiæ in nobiliſſimæ artis gloriam, ipſa ſua incomta ruditate jucundum oculis ſpectaculum præbentes. Nihil eſt ſimul & inventum & perfectum (*l*). Rudia ſunt plerumque initia artium, quæ paulatim magis magisque excultæ & ornatæ, ad ſummum tandem perveniunt. Sic de pictoribus vetuſtis Ælianus (*m*): *ὁτε ὑπηρχετο ἡ γραφικη τεχνη, και ἦν τροπον Ἰινα ἐν γαλαξι, καὶ ἐν σπαργανοις, ἐτως ἀρα ἀτεχνως ἐικαζον τα ζωα, ὡςε ἐπιγραφειν αὐτοις τες γραφεας, τετο βες, ἐκεινο ἱππος, τετο δενδρον.* Interprete Juſto Vultejo: *Quum ars pingendi jam ortum duceret, & quodammodo in lacte faſciisque verſaretur, adeo rudi & impolito ſtylo depinxerunt animantia, ut adſcribere ad ea pictores neceſſe eſſet: hoc eſt bos, illud equus, hoc arbor.* Cæterum non poſſum non mirari, eo demum tempore, quo penitus fere bonæ literæ jacebant neglectæ & proſtratæ, ac grandis barbaries orbem ſubegerat, nobiliſſimam imprimendorum libro-

(*l*) Cicero de Claris oratoribus Cap. 18.

(*m*) Var. Hiſt. Lib. X. Cap. X. cf. Schefferi & Kuhnii notas in h. l. p. 505. edit. Argent. 1685.

librorum artem esse excogitatam, cum olim excellentissima magno numero floruerint ingenia artibus inveniendis, incognitis proferendis, præclarisque operibus fingendis aptissima. Parum certe ab hujus rei inventione absuisse mihi videntur Justini Imperatoris ministri. Ita enim de iis Procopius Cæsariensis (*n*), cujus verba brevitatis studio ex Latina saltim versione Nicolai Alemanni dabimus: *Justinus capessivit imperium, senex jam licet capularis, & quod Romanis antehac non evenit, adeo literarum expers, &, quod dicitur, analphabetus, ut, cum sui soleat nominis apices libellis indere princeps, cum quid imperat faciundum, ipse neque im-* *pe-*

(*n*) in Anecdotis sive Historia Arcana. f. 28. 29. edit. Lugdun. 1623. Adjicienda heic omnino sunt, quæ Martinus Crusius in Germano-Græciæ Lib. IV. f. 158. habet: Agesilaus (ut est in Laconicis Plutarchi Apophthegm.) in sinistræ manus vola ***** (nomen Victoriæ) inscripsit, inversis literis, & postea jecinori victimæ impressit, ac mox militibus ostendit, jubens animosos esse, tanquam Diis victoriam præsignificantibus. Hoc erat tenue quoddam typographiæ principium, sed nemo tunc eam rem intellexit, nec cogitatione persecutus fuit. GOtt wolts dazumahl nicht geben: Germanis ea laus asservata fuit, ut in tanta Turcarum vastatione boni libri Græci conservarentur (Aldo præclare his excudendis merente) & Latinæ quoque ab interitu vindicarentur, omnesque artes & disciplinæ cum veræ religionis cognitione restituerentur.

perare, neque compos esse posset rerum gerendarum. Verum ut aliquod Imperatoris manus extaret argumentum, a magistratu, qui id muneris habet, excogitatum hoc est. Tabella lignea perpolita formam quatuor literarum, quæ legi Latine possent, incidendam curant, eaque libello imposita, calamus colore imbutus, quo scribere mos est Imperatoribus, huic principi tradebatur in manum, quam alii prehensantes ducebant, circumagebantque calamum per quatuor illas literarum formas (ἐς των τεττάρων γραμμάτων τον τυπον) *nempe singulas tabellæ incisuras, atque ita demum iis ab Imperatore literis reportatis recedebant.* Diversa equidem erat hæc literas ducendi ratio a typographica arte, viam tamen faciliorem ea ad hanc munire, ulterius cogitantibus, potuisset: quod & de nummorum cudendorum more sigillorumque usu dixerim. Sed ita fuit in fatis, ut ultimis demum temporibus utilissima ars cœlitus quasi demitteretur, in cujus inventorum laudem hac occasione subjungo Petri Guntheri (*o*) *carmen.* Mar-

(*o* Præmissum est hoc carmen Dialogo Apologetico fratris Wigandi Wirt contra Wesalianicam perfidiam, atque ordinis fratrum prædicatorum persecutores, Oppenhemii absque anni indicio in 4. excuso, cui corrigendo præfuit dictus Guntherus, ludi literarii Oppenheimensis magister.

Martia Romanis Germania clara triumphis :
Bello, armis, animo, nobilitate potens.
Cui favet ingenio Pallas, cui pectora Mavors
Fortia victrici dexteritate dedit.
Quodque acri passim studio sibi vendicat orbis,
Hoc se Germanus gaudet habere simul.
Nec prius inventas aliis hic excolit artes
Ingénio vafro sollicitaque manu.
Et nova Dedaleo concinnat acumine mentis
Miraturque suum sæpius auctor opus.
Primus hic ære notas plumboque incudere chartis
Instituit, calamo non agitante manum.
Primus hic incisis componere rite metallum
Litterulis docuit, compositumque premit.
Hic ubi consuescunt vigilatum ferre laborem
Chalcographi instantes, turba operosa nimis:

Hic

Hic partita simul sua quisque negocia tractat,
Is componit, at hic corrigit, ille premit.
Nec mora, nulla quies, nulla est cessatio, fervet
Semper continuæ sedulitatis opus.
Intendunt nervos, irritanturque vicissim,
Inque vicem stimulant alter in alterius
Atque operas inter quamvis magis illa fatigat,
Quæ cupiat mendis emaculare libros:
Attamen illa sua (quodcunque est) fallitur arte,
Et studio proprio raro nitere potest (*p*).

(*p*) Reliqua septem disticha missa facio, cum in iis poëta tantum erratorum in hac dialogi editione commissorum excusationem afferat.



II.

De vita moribus & Scriptis Marsilii Ficini (*) *Commentatio.*

SUMMARIUM.

Ficini annus diesque natalis, parentes, & de iis quædam singularia. §. 1. Felicitas seculi, quo vixit. §. 2. Cosmi Medicis beneficia in ipsum adhuc juvenem profusa. §. 3. Præceptores, genus scribendi. §. 4. Studia, quibus operam dedit. §. 5. Diligentia. §. 6. Scripta juvenilia. §. 7. Patroni Medices. §. 8. 9. Continentia animi, & mens paucis contenta. §. 10. Officia, quibus functus est. §. 11. 12. Familiares & auditores. §. 13. Honor, ipsi a Germanis habitus. §. 14. Favor Principum, virorumque illustrium, quo gavisus est. §. 15. Rusticatio & secessus literarius. §. 16. Staturà, & corpus imbecillum, morbisque sæpe vexatum. Item temperamentum. §. 17. Mores: & quidem primo virtutes. §. 18. Nævi dein & vitia. §. 19. Immodicus Platonis

(*) Vitam Ficini Dominicum Mellinum descripsisse memorat Alexander Natalis in Histor. Ecclef. Tom. VIII. f. 182. At ea rarius obvia est, & hactenus a me frustra quæsita.

tonis amor, & abſona quædam ejus dicta & facta, obſcuritas item in ſcribendo. §. 20. An Pandectarum Florentinarum inventioni interfuerit? §. 21. Scripta Ficini, & ſpeciatim Platonis verſio. §. 22. 23. Plotini, Theophraſti, Synaſii, Pſelli aliorumque translationes. §. 24. Epiſtolæ. §. 25. Brevis omnium ejus operum conſpectus. §. 26. Libri promiſſi & inediti. §. 27. Mors & Epitaphium. §. 28. Apparitio poſt mortem. §. 29. Elogia. §. 30.

§. 1.

MAgnum inter eruditos ſeculi XV. quo literarum ſtudia, antehac depreſſa atque afflicta, in Italia iterum caput erigere cœperunt, nomen habet Marſilius Ficinus, philoſophiæ Platonicæ ſuo ævo inſtaurator, præclara eruditione ac doctrina vir, de cujus vita, moribus rebusque geſtis brevi hac commentatione, bona, ut ſpero, cum Lectoris venia, agere animus eſt. Omnia vero, quæ a nobis collecta ſunt, ex ipſis potiſſimum ejus ſcriptis petita eſſe videbis.

Marsilius Ficinus (*a*) Florentinus lucem hanc primum adspexit A. R. S. MCCCCXXXIII. d. 19. Oct. honestis parentibus progenitus (*b*), patre medico & chirurgiæ præcipue perito, Cosmi, primi celsissimæ familiæ Mediceæ Statoris Archiatro (*c*), matre Alexandra (*d*): de quibus hæc, quorum memoriam filius apud posteros extare voluit, ex ipsius epistolis excerpere juvat. Sed penes autorem fides esto. Scilicet de patre sequentia ad Franciscum Marescalchum Ferrariensem (*e*) perscribit: Pater meus Ficinus Chirurgicus Florentiæ,„ suo seculo singularis ductus olim fuit a„ rustico

(a) An cognomen suum ex Fighinio, (ubi cum ipsum Marsilium annis juvenilibus, tum patrem ejus aliquamdiu habitasse ex illius epistolis perspicio) traxerit, dicere non habeo. Fighinium autem unum idemque oppidum cum Ficino esse suspicor, quam urbem Florentinos A. 1298. condidisse tradit Raphael Volaterranus in Comment. Rerum Urbanarum f. 54. edit. Basil. 1530.

(*b*) Diem annumque natalem suum ipse Ficinus notavit Epistolarum Lib. IX. fol. 162. (utor autem editione Veneta A. 1495. fol.) quin & horam nativitatis ibidem addidit, eamque unam supra vigesimam, juxta computationem Italis solennem, fuisse ex matris verbis se conjicere meminit. Designavit quoque l. c. astrorum situm nativitatis suæ tempore.

(*c*) Epist. Lib. I. f. 21.
(*d*) Epist. L. I. f. 5.
(*e*) Epist. L. I. f. 21.

rustico quodam nomine Pasquino ad cu-„
randum filium ejus Thomam caput gra-„
vissime vulneratum. Medicus inspecto in-„
curabili vulnere puerum paulo post pro-„
cul dubio periturum existimans recessit,„
idem tanquam non rediturus. Parentes,„
infirmi a Medico destituti divam Mariam„
pro nati sanitate supplices obsecrarunt.„
Igitur eadem, qua illi orabant, hora Fi-„
cino in itinere sub quercu vel oscitanti vel„
certe levissime dormienti mulier quædam„
visa est aspectu admodum veneranda, ita„
eum compellans: Quid ingratus erga„
Deum es Ficine? Quæ ab eo gratis acce-„
pisti, non das gratis. Respondit ille: pa-„
nem do quotidie mendicantibus. Sub-„
junxit illa: artis quoque tuæ munera egen-„
tibus abunde largire. Post triduum re-„
diit ad Medicum rusticus ille orans, ut ad„
filium curandum reverteretur: quod qui-„
dem valde miratus est Ficinus; nam obiis-„
se illum arbitrabatur. Accessit gratis tum„
præterito somnio, tum voto parentum„
admonitus. Narravit enim rusticus,„
quæ vota & qua hora fecisset. Denique„
puer præter spem Medici artemve meden-„
di sanus evasit. Ex eo tempore Ficinus sæ-„
pe pro salute eorum, qui curæ suæ com-„

„ missi sunt, vota Mariæ fecit, feliciterque „ successit.

De matre vero & avis hisce ad Matthæum Corsinum (*f*) utitur verbis : „ Alexandra „ mater mea nata est ex patre Joanne & ma„ tre Angela. Alexandra Fighini erat, Jo„ annes Juvarchii oppido: Angela vero Flo„ rentiæ. Hæc ad Joannem & Alexandram „ scripsit, se bene valere, ac die sequenti re„ dituram: illi lectis literis & nocte facta „ dormientes Angelum viderunt eadem hora „ ambo. Alexandræ quidem in vestibulo „ domus apparuit, & cum filia matri tan„ dem revertenti congratularetur, mater „ filiæ amplexus effugiens, Vale, ait, & da „ operam, ut pro me Sacerdotes Deum „ orent. Joanni autem inquit: O quantum „ fortunam tuam doleo mi Joannes! vale, „ & jube pro me Deum orari. Repente „ ambo iis visis excitati exclamaverunt, eam „ mortuam judicantes. Florentiam mise„ runt: renunciatum est, illam ea nocte ex „ hac vita migrasse. Miraris hæc, Corsine, „ pergit ibidem Ficinus. Audi & aliud æque „ mirandum. Mater mea filium statim na„ tum nutrici rusticæ tradidit. Decima septi-

ma

(*f*) Epist. L. I. f. 5.

ma inde die dormiens meridie videtur,„
ipſa ſibi maxima cordis anxietate premi, „
atque a matre ſua jam pridem mortua ſub-„
levari, dicente: noli te affliċtare filia. Se-„
quenti die ruſtici ad eam filium a nutrice„
ſuffocatum referunt. Mitto, quod ſomni-„
ans prævidit futurum mariti ejus Ficini me-„
dici caſum ex equo, & locum, ubi caſu-„
rus erat, & ſingula mitto & alia multa.„
Utrumque hunc Marſilii parentum An. MCCCCLXXV. d. 4. Dec. in rebus humanis adhuc fuiſſe, ex ejus epiſtolis (*g*) compertum habeo: tum enim Franciſcus Cardinalis Senenſis pro noſtro illiusque annoſis parentibus a Summo Pontifice jubilæi gratiam ſe impetraſſe ſcripſit. Immo matrem A. 1493. tum octuagenariam, adhuc vixiſſe, ipſe refert filius (*h*).

§. 2.

Natus igitur eſt Ficinus eo ſeculo, quo immanis illa & horrida barbaries, quæ literas bonasque artes obſederat, Græcorum præſertim exulum opera feliciter diſpelli cœpit. Hinc ipſe fortunatum illud ævum

(*g*) Epiſt. L. I. f. 36.
(*h*) Epiſt. L. XII. f. 192.

ſic (*i*) celebrat: „Quæ poëtæ quondam de „ſeculis quatuor cecinerunt, plumbeo, fer„reo, argenteo, aureo: Plato noſter in li„bris de Rep. ad quatuor hominum inge„nia transtulit, diſputans, aliis hominum „ingeniis plumbum quoddam, aliis ferrum, „aliis argentum, aliis aurum naturaliter in„ſitum. Si quod igitur ſeculum appellan„dum nobis eſt aureum, illud eſt procul du„bio tale, quod aurea paſſim ingenia pro„fert. Id autem eſſe noſtrum hoc ſeculum „minime dubitabit, qui præclara ſeculi hu„jus inventa conſiderare voluerit. Hoc „enim ſeculum tanquam aureum liberales „diſciplinas ferme jam extinctas reduxit in „lucem, Grammaticam, Poëſin, Oratoriam, „Picturam, Sculpturam, Architecturam, „Muſicam, antiquum ad Orphicam lyram „carminum cantum: idque Florentiæ &c. Cumprimis vero in maxima ſeculi hujus felicitatis parte ponendum eſſe arbitror divinum illud artis typographicæ inventum, quo tot ſcriptis immortalitate digniſſimis, lux & vita obſtetricantibus præcipue Germanis auſpicato reſtituta eſt: quod gratus quoque agnovit Marſilius, teſtis συγχρονος adeoque claſſicus

(*i*) Epiſt. L. XI. f. 186.

classicus, pro gente nostra (k), cui hæc gloria nullo modo eripi poterit, ita pronuncians: *In Germania temporibus nostris imprimendorum librorum inventa sunt instrumenta:*

B 5 *tabulæ*

(*k*) l. c. Honorem hunc, quod in transcursu moneo, Germaniæ nostræ habuerunt etiam alii exteri, quorum, utpote a partium studio hic alienorum, testimonia nobis gravia acceptaque esse debent. Belgæ certe, licet pro gloria hac Harlemensibus suis vendicanda speciosis haud destituantur argumentis, paucorum extraneorum calculum suffragiumque meruerunt. Ipse Naudæus, at quantus vir! Addit. a l'Histoire du Roy Louis XI. p. 120. edit. recentissimæ. lectis jam Hadriani Junii aliorumque hac de re disquisitionibus, a partibus nostris stare non veretur, sententiam suam plurium eruditorum auctoritate muniens. Producemus & nos hac occasione nonnullos exteros, pro gente nostra pugnantes, ab aliis, quod ego quidem sciam, hactenus neglectos. En verba Hieronymi Nigri Veneti, Canonici & JCti Patavini (pag. 57. Epistolarum Orationumque Patavii 1579. in 4. edit.): *Quis nesciat, tormenta bellica, quibus nostri utuntur exercitus, & impressorum librorum artem, duo stupenda rerum miracula, quæ veteres nostri nunquam somniarunt, Germanicum inventum fuisse?* Cujus judicium etiam sequitur sublimis ingenii vir Octavius Ferrarius (pag. 249. Operum variorum, Wolfenbuttelii curante summe venerando Abbate Jo. Fabricio 1711. editorum Tom. I.) *Præsto est*, inquiens, *innoxium Germaniæ munus, quo ne majus quidem optare a superis possimus, munus superis ipsis invidendum, ipsa si dicere licet æternitate fraudata. Hoc est typographiæ beneficium, ingeniorum vita ac literarum tutela, mora præcipitis ævi, adversus oblivionem ac vetustatis injurias fortissimum pharmacum &c.* Huic jungimus

tabulæ præterea, quibus hora, ut ita dixerim, una per omne seculum tota cœli facies aperitur. Accedit, quod tum Florentiæ præsertim Domus

---

gimus Stephanum Forcatulum JCtum Gallum, quem, licet alias haud raro splendide nugetur, vera hac in re dixisse tot eruditissimorum virorum consensus comprobat. Non enim semper mentiuntur Cretenses. Ita autem ille Lib. IV. de Gallorum Imperio & Philosophia p. 283. *Germanorum gloriam paulo superiore seculo vehementer extulit ac dilatavit fructuosa solertia clarissimorum inventorum, quæ olim divinitatem quibusdam mortalibus communi gentium consensione adscripsit. -- Nec vero dubium est, superatam rerum naturæ fere munificentiam excogitata librorum typis excudendorum ratione Moguntiæ a Joanne Gutembergio equite: cujus inventum nullo vitæ miraculo, si verum fatemur, postponendum ne novem quidem Musæ æquabunt, licet cuilibet suæ artis disciplinæve institutionem veteres assignaverint &c.* Nec Celeberrimus Maittaire in Annal. Typogr. p. 8. 31. 36. &c. Germanis inventæ artis gloriam denegat. Non possum vero, quin adhuc ejus rei testem laudem omni exceptione majorem, non quidem extraneum, sed domesticum, Imperatorem videlicet gloriosissimæ memoriæ, Maximilianum I. quem Philib. Pirkheimerus in Dedic. commentarii de ratione scribendæ historiæ p. 51. inter bellicosos Imperatores doctissimum, & inter doctos bellicosissimum nominat. Is in privilegio, editioni Livii Moguntinæ A. 1518. in fol. præfixo, ita Joannem Schefferum, Petri filium, & Jo. Fausti nepotem, compellat: *Cum, sicut docti & moniti sumus fide dignorum testimonio, ingeniosum calcographiæ authore avo tuo inventum felicibus incrementis in universum orbem promanaverit -- proinde volentes tibi, tum ob avum tuum, omni vel ob hoc divinum inventum suum favore & commendatione dignum, tum pro damni tui recupe-*

Domus Medicea literas atque literatos mira complexa fuerit benevolentia, iisque excitandis, fovendis ac provehendis maximopere studuerit. Æternis idcirco fastis mandanda sunt magna Cosmi potissimum & Laurentii nomina, qui regiis sumtibus incomparabilem instruxere Bibliothecam, eamque thesauris pretiosissimis exornatam, & libris undique, ex ipsa etiam Græcia, conquisitis refertam publico dicavere usui. Paulus Jovius (†) ejus his verbis meminit: *Hanc Cosmus instituerat, auxerat Petrus, & Laurentius postremo, tota pene Græcia rarissimis libris spoliata, expletisque tandem studiosorum desideriis magna sui fama claritateque condiderat.* Speciatim Laurentius tanto librorum colli-

cuperatione - opportuno remedio succurrere - inhibemus, ne Titum Livium &c. conf. ibidem Erasmi Roterd. præfationem, & Nicolai Carbachii postfationem. Sibilo certe excipiendi sunt Pomponius Lætus & Matthæus Lunensis, qui artis hujus autorem Saturnum extitisse perhibent. vid. G. Naudæum l. c. p. 106. Ridiculus quoque est Antonius del Corno, qui typographiam a Pamphilio Castaldi, Poëta Feltriensi, inventam fuisse nugatur in Memoire Istoriche di Feltre. vid. Neuer Bücher-Saal. vol. I. p. 643.

(†) Historiarum sui temporis Lib. I. p. 14. edit. Venetæ 1566. in 4. Brevem celeberrimæ hujus bibliothecæ historiam tradidit vir doctus, qui nuper adeo vernacula lingua Petri Lambecii vitam descripsit, pag. 42. sqq.

colligendorum flagravit desiderio, ut majus illud esse nequiverit. Audiamus de eo Nicolaum Leonicenum, qui ita Angelum Politianum (††) effatur: *Laurentius Medices, maximus hac tempestate studiorum patronus, missis per universum terrarum orbem nunciis, in omni disciplinarum genere libros summa ope conquirit, nulli sumtui parcit, quo tibi ac reliquis praeclaris ingeniis bonarum artium studia aemulantibus instrumenta abundantissima paret. Audivi te referente vocem illam praeclaram ex Laurentii ore prodiisse: optare tanta sibi abs te ac Pico nostro ad libros emendos praestari incitamenta, ut tandem deficientibus sumtibus totam suppellectilem oppignorare cogatur.* Idem ille ad ultimum usque halitum isto in literas affectu constanter usus est. Discimus id ex voce, quam inter extremas praeclarissimam edidit. *Advocaverat*, scribit Philippus Wannemakerus (†††), *eximium corculum Joan. Picum, illum mirandulae comitem, ut iterum ei liceret frui divino isto animo, priusquam naturae satisfaceret: nam gravissimo & supremo morbo laborabat. Advenit, & simul cum*

(††) In Libro de Plinii & aliorum Medicorum erroribus, Basil. 1529. in 4. excuso, pag. 1.

(†††) In Triumpho Litteratorum p. 97. conf. Angeli Politiani Epistol. Lib. IV. pag. 130. & 132.

cum Politiano lecto adsedit. Post varia colloquia, Dux: O mei! inquit, utinam summus ille Deus ad hoc tantum me reservasset, ut Bibliothecam vestram absolverem. O desiderium! extruebat eam, & pene finierat, in ipso Florentiæ civitatis meditullio. Sed desiit & simul virtus & fortuna suæ gentis in aliquot annos. Nam pulsi Medicei, & literarum iste thesaurus (heu furor!) & omnis illorum memoria ab infelici populari statu deleta. Hæc Wannemakerus. Marsilius quoque noster, Laurentio fatis functo, apportatos esse adhuc libros, quos coëmi curaverat in Græcia, testis est in literis ad Martinum Uranium An. 1492. 3. Aug. scriptis (††††) *Post discessum ex Italia tuum advecti sunt e Græcia mox ad magnanimum Petrum Medicem libri multi, ex quam plurimis electi nuper electore Lascari Græco admodum elegante pro regia illa bibliotheca jam pridem a magno Laurentio feliciter instituta. Ego autem inter multa*

(††††) Epist. Lib. XI. f. 182. Laudes Prosapiæ Mediceæ, cumprimis Laurentii, & Bibliothecæ ab ipso instructæ, prolixe decantat Joannes Lascaris Græcus in epistola ad Petrum Medicem, bonæ frugis plenissima, editioni Anthologiæ Epigrammatum Græcorum rarissimæ, quæ Florentiæ A. 1494. in 4. prodiit, subjuncta, quam jure meritoque integram Annal. Typogr. Tom. I. p. 271. seq. Celeb. Maittaire inseruit.

multa, ut soleo, semper inprimis legi Platonica, primaque inter hæc commentaria Procli in sex Platonis de Rep. libros principiumque septimi &c. Felices vero illos, imo terque quaterque beatos, quibus tum hisce cimeliis, hisce egregiis ad eruditionem acquirendam subsidiis & adjumentis affatim uti licuit!

§. 3.

Bona indoles & ingenium ad summa quæque a natura fautrice effictum in teneris annis Marsilio nostro favorem Cosmi, incomparabilis illius literarum literatorumque Patroni, conciliavit, qui in ipsum, dum viveret, indulgentissime contulit omnia. Fuit hic, ut verbis Plinii (*l*) utar, vir optimus, & inter præcipua seculi ornamenta numerandus, coluit studia, studiosos amavit, fovit, provexit, multorum, qui aliqua composuerunt, portus, sinus, præmium, omnium exemplum, ipsarum denique literarum jam senescentium reductor ac reformator. Domum suam recitantibus præbuit, nec eruditis defuit unquam. Neque vero in ingratum

(*l*) Hoc encomio ornat Plinius Tittinium Capitonem Epist. L. VIII. num. 12.

gratum ceciderunt beneficia, a Cosmo largiter in Ficinum profusa: illorum enim memoriam nonnisi cum vita ipsa deposuit. Isto curante, sumtusque præbente munifice, puer doctissimorum virorum disciplinæ traditur, ingenuisque artibus instructus fuit. Ejus potissimum auspiciis juveni instillata sunt Platonis præcepta ac dogmata, quæ dein in omni vita summo nisu tuitus, ferventissimoque studio omnium animis insinuare conatus est. Ipsum Marsilium idoneum, gravem, gratumque hujus rei producam testem. Is ita ad Laurentium Medicem in dedicatione Plotini, a se Latine redditi & observationibus illustrati: *Magnus Cosmus Senatus consulto Patriæ Pater, quo tempore concilium inter Græcos atque Latinos sub Eugenio Pontifice Florentiæ tractabatur, Philosophum Græcum nomine Gemistum, cognomine Plethonem, quasi Platonem alterum de mysteriis Platonis disputantem frequenter audivit E cujus ore ferventi sic afflatus est protinus, sic animatus, ut inde Academiam quandam alta mente conceperit, hanc opportuno primum tempore pariturus. Deinde dum conceptum tantum magnus ille Medices quodammodo parturiret; me electissimi medici sui Ficini filium adhuc puerum tanto operi destinavit. Ad hoc*

ipsum

ipſum educavit indies. Operam præterea dedit, ut omnes non ſolum Platonis, ſed etiam Plotini libros Græcos haberem &c. Hinc noſter Coſmum alterum ſuum parentem vocavit, in præfatione librorum de vita. *Ego*, inquiens: *Sacerdos minimus, patres habui duos, Ficinum Medicum, Coſmum Medicen: ex illo natus ſum, ex iſto renatus: ille quidem me Galieno tum medico tum Platonico commendavit: hic autem divino conſecravit me Platoni. Et hic ſimiliter atque ille Marſilium Medico deſtinavit: Galienus quidem corporum, Plato vero medicus animorum.* Fallitur ergo, quod ὡς ἐν παρόδῳ obſervo, Henricus Wharton, qui in Appendice ad Hiſtoriam Literariam Scriptorum Eccleſiaſticorum Guil. Cavei fol. 112. Marſilium Laurentii Medicis ſumtu literis excultum eſſe tradit (*m*).

§. 4.

In Grammatica Præceptores habuit Lucam Geminianenſem & Comandum (*n*), quem poſteriorem Wharton l. c. Commodum vocat: neſcio, an rectius. Priorem in

(*m*) Hoc ante Whartonum etiam Janus Jac. Boiſſardus in Jcon. virorum doctrina illuſtrium. P. I. p. 155. retulit:

(*n*) Epiſt. L. I. f. 18.

in epistola ad Matthæum Palmerium his prædicat verbis: *Huic ego tantum debeo, quantum loqui ex arte præstantius est, quam casu verba inania fundere.* Dicendi tamen scribendive ratione non semper usus est noster adeo tersa ac eleganti, ut quibusvis delicatulis censoribus ex omni parte satisfaceret. Ludovicus certe Vives, politissimæ doctrinæ vir, dictionem ejus invenustam & molestam nominat. Nec diffiteor, illius sermonem nonnunquam affectata quadam obscuritate involutum esse, ac a linguæ Romanæ castimonia & nitore aliquantulum abhorrere. Sed in ipsis forte rebus illius obscuritatis causa quærenda est. Platoni unice addictus erat Marsilius, hunc habebat in deliciis, atque animo toto effusissime complectebatur. Omnes ejus scriptiones, epistolæ, libri decreta Platonica venerantur & spirant. Hæc autem quam fuerint sæpe tenebricosa atque intorta, nemo ignorat, nisi qui nihil novit.

§. 5.

Præter studium philosophiæ, cujus amore totus, quantuluscunque fuit, incaluerat noster, amavit quoque ac excoluit medendi artem scientiamque diviniorem, quam

theologiam vocamus. Muſicæ etiam nonnihil operæ impendit, citharaque, blanda ſonante carmina, ſæpiuſcule uſus eſt ad animum laboribus curiſque fractum, ſuaviter reficiendum, pellendamque mœſto de pectore ægritudinem. De his Marſilii ſtudiis teſtimonia quædam ex ipſius epiſtolis petamus. Lib. I. fol. 21. ad Thomam Valorium de nobilitate & utilitate medicinæ pluribus agit, ſubque finem earum literarum Hieronymum Amatium comitem ſuum in medicinæ citharæque ſtudio valde jucundum appellat. In Epiſtola ad Antonium Caniſianum ſcripta fol. 24. ſeq. rationem reddit, cur tam frequenter medicinæ & muſicæ ſtudia miſceat, ibique præter alia, *Ego autem*, inquit, *eo conſilio poſt theologiæ vel medicinæ ſtudia gravioribus fidibus cantibusque frequenter incumbo, ut cætera ſenſuum oblectamenta penitus negligam, moleſtias animæ corporisque expellam, mentem ad ſublimia Deumque pro viribus erigam, autoritate Mercurii Platonisque fretus, qui muſicam nobis a Deo conceſſam dicunt, ad domandum corpus, temperandum animum, Deumque laudandum* (o). §. 6.

(*o*) cf. præterea Epiſt. L. I. f. 37 L. III. f. 70. L. V. f. 100. artis muſicæ, literis conjunctiſſimæ, deſiderium a Marſilio etiam Laurentio Medici inſtillatum fuiſſe ſcribit Steph. Forcatulus de Gallorum Imperio & Philoſ. L. IV. p. 232.

§. 6.

Egregiis igitur animi dotibus liberalique Cosmi Medicis benevolentia ita usus est, ut totum se daret literis, & enixa diligentia præstantissimas solidioris doctrinæ opes sibi conquireret. Indefessam & stupendam ejus industriam loquuntur tot scripta, ab ipso elucubrata, de quibus posthac dicendi erit occasio. Videlicet nihil pretiosius æstimabat tempore: cujus jacturam maximam & gravissimam judicare consuevit. Testis est hujus rei epistola, ad Laurentium Medicem (*p*) exarata, qua ipsi temporis parsimoniam etiam atque etiam commendat. Ibi inter cætera: *In hac mea infirmitate* (tum enim ex incommoda valetudine emerserat) *nihil acrius animum affligebat, quam inutiliter transacti temporis recordatio: nihil rursus restabat, quod me aliquantum consolaretur præter eorum memoriam, quæ didiceram, quamvis non multa didicerim. Solo enim divino veritatis pabulo revera divinus animus oblectatur, alitur, augetur: cætera volantium nugarum deliramenta immortalem non implent mentem, naturali quodam instinctu æterna & immensa poscentem. Obsecro te igitur, carissime mi patrone, per æternum Deum, ut pretiosissimum*

(*p*) Epist. L. I. f. 22.

simum temporis hujus quam brevissimi minimum parce prudenterque expendas, ne quando frustra te prodigalitatis irreparabilisque jacturæ pœniteat. Jactura temporis Theophrastum annos octuaginta natum frequenter deducebat ad lacrymas: jactura temporis magnum Cosmum natum annos plures quam septuaginta sæpe me præsente graviter suspirare coëgit, &c. Aurea sunt isthæc verba, digna, quæ decies legantur & relegantur, animoque penitus insculpantur!

§. 7.

Hac autem cura & sedulitate id effecit, ut in eo adhuc juvene literæ essent plurimæ, præcocibusque ingeniis jure quodam suo accenseri mereretur. Nec desunt eruditionis specimina, quæ ab eo adolescente fuerunt profecta. *Argonautica*, scribit ad Martinum Uranium (q), *& hymnos Orphei & Homeri atque Procli, theologiamque Hesiodi, quæ adolescens, nescio quomodo, ad verbum mihi soli transtuli, quemadmodum tu nuper hospes apud me vidisti, edere nunquam placuit, ne forte lectores ad priscum deorum dæmonumque cultum jamdiu merito reprobatum revocare viderer: quantum enim Pythagoricis quondam cura*

(q) Epist. L. XI. f. 180.

curæ fuit, ne divina in vulgus ederent, tanta mihi semper curæ fuit, non divulgare profana, adeo ut neque commentariolis in Lucretium meis, quæ puer adhuc, nescio quomodo, commentabar, deinde pepercerim. Hæc enim sicut & Plato tragœdias elegiasque suas Vulcano dedi. Maturior enim ætas exquisitiusque examen, ut inquit Plato, sæpe damnat, quæ levitas juvenilis vel temere credidit, vel saltem, ut par erat, reprobare nescivit. Misit tamen simul Marsilius cum hac epistola Uranio quædam Orphei carmina, a se Latinis versibus heroicis expressa, quæ tutiora esse judicavit. Alius etiam operis, a se juvene compositi, meminit in literis ad Philippum Valorem A. 1491. d. 5. Nov. datis, his verbis: *Anno salutis humanæ MCCCCLVI. quo ego quidem annos ætatis agebam tres atque viginti, tu vero natus es, primitias studiorum meorum auspicatus sum a libris quatuor institutionum ad Platonicam disciplinam: ad quas quidem componendas adhortatus est Christophorus Landinus amicissimus mihi, vir doctissimus. Cum autem ipse & Cosmus Medices pellegissent eas, probaverunt quidem, sed ut penes me servarem consuluerunt, quoad Græcis literis erudirer, Platonicaque tandem ex suis fontibus haurirem. Eas enim partim fortuita quadam inventione,*

 partim

partim Platonicorum quorundam Latinorum lectione adjutus effeceram. Platonem deinde Platonicosque, Græcos aggressus, institutiones illas paulatim libris sequentibus emendavi. Neque tamen librum ipsum placuit abolere, quem tanquam liberum primogenitum meum eo anno genueram, quo tu natus es &c. (r) Liber quoque ejus de voluptate hac ornatus eſt coronide: *Marſilii Ficini Florentini liber de voluptate abſolutus eſt Figini 3. Kalendas Januarias MCCCCLVII. anno ætatis ſuæ XXIIII.* Juvat ex hujus opuſculi præfamine ad Antonium Caniſianum, Civem Florentinum, paucula decerpere, ut inde, quibus deliciis juventutem ſuam oblectare conſueverit, conſtet: *Memini, cum adeſſem una tecum in campo Litano veſtro, & cum regionis illius precipua amœnitate, tum variorum pomorum, quibus ea villa inprimis abundat, ſuavitate duceremur, nos in voluptatis diſputationem incidiſſe, quam ipſe a me requiſiſti, ut, cum primum daretur otium, literis traderem. Hoc ergo ad te de voluptate opuſculum, ut primum Figinum redii, ſumma ipſe cum voluptate conſcripſi.*

§. 9.

(r) Epiſt. L. XI. f. 177.

§. 8.

Ob virtutem itaque & eruditionem suam Ficinus perpetuo Mediceæ Domus favore gavisus fuit. De beneficiis, a Cosmo ipsi puero exhibitis, jam superius §. 3. actum est: nunc alia memoranda erunt. Montem Vechium ab eo sibi donatum in epistola ad Gregorium Epiphanium Sacerdotem (*s*) gratus profitetur Marsilius. Familiarissime præterea illo utebatur idem Musageta. *Nemo magno Cosmo me familiarior fuit nemo carior:* scribit noster ad Nicolaum Micheloctium (*t*): & ad Laurentium Medicem (*u*): „Ego una cum illo (Cosmo) annos plures, „quam duodecim feliciter philosophatus „sum: tam acutus erat in disputando, quam „prudens & fortis in gubernando. Multum „equidem Platoni nostro debeo, sed Cosmo „non minus me debere fateor. Quam enim „virtutum ideam Plato semel mihi monstra„verat, eam quotidie Cosmus agebat — „Solonem Philosophum imitatus cum per „omnem vitam vel in summis negotiis phi„losophatus esset, illis tamen diebus, quibus „ex hac umbra migravit ad lucem, quam „maxime philosophabatur. Itaque post„quam

(*s*) Epist. L. I. f. 6. L. VII. f. 131.
(*t*) L. I. f. 9. (*u*) l. c. f. 23.

„quam Platonis librum de uno rerum principio ac de fummo bono legimus, ficut tu „nofti, qui aderas, paulo poft deceffit, tanquam eo ipfo bono, quod difputatione guftaverat, reipfa abunde jam potiturus. En ipfas Cofmi literas, benevolentiæ in Marfilium teftes (*x*): „Contuli heri me in agrum „Charegium, non agri fed animi colendi „gratia. Veni ad nos Marfili quam primum, „Fer tecum Platonis noftri librum de fummo bono, quem te ifthic arbitror jam e „Græca lingua in Latinam, ut promiferas, „transtuliffe. Nihil enim ardentius cupis, „quam, quæ via commodius ad felicitatem „ducat, cognofcere. Vale & veni non „absque Orphica lyra.

§. 9.

Laurentius vero Medices, Cofmi nepos, omnium feculorum, judice Nicolao Reuffnero (*y*) & gentium heros, maximus ingeniorum liberalium educator, artium omnium & elegantiarum pater, virtutis veræ æftimator unicus, præclarus vatum hofpes & æmulus, quam ftudiofe noftrum foverit, quam effufa eum benevolentia fuerit profecutus,

(*x*) l. c. f. 1. (*y*) In Iconibus literis clarorum virorum. F. 6.

cutus, clamant tot epiſtolæ, meitum ſpirantes amorem (z), atque beneficia divite manu in illum collata, quæ paſſim Ficinus memori prædicat mente. *Multa abs te*, ſunt ejus verba (*a*), *quondam & magna accepi beneficia Laurenti: nuper vero maximum atque gratiſſimum, videlicet divi Chriſtophori templum.—— Nunc primum tibi gratias ago. O quantas, non quantas Marſilius capit puſillus homo, ſed quantas vir grandior Laurentius, imo quantas ingentiſſimus gigas ille divus Chriſtophorus &c.* Scriptæ autem ſunt hæ literæ Florentiæ A. 1478. d. 13. Jan. Sed ingenue fateor, me hæc verba parum intelligere. Accepiſſe ſe a Laurentio D. Chriſtophori templum prædicat Ficinus: forte Sacerdotium in eo obeundum? vel domum quandam, Chriſtophori imagine inſignitam, ipſiusque patrocinio dicatam, & exin minus proprie templum Chriſtophori a noſtro appellatam? Poſterius vero propius mihi eſſe

(z) v. g. Epiſt. L. I. f. 7. ſqq. 22. &c. quanti noſtrum æſtimaverit Laurentius, ex hoc etiam colligere potes, quod is duobus circiter ante obitum ſuum menſibus ſe deſtinaſſe dixerit, reliquam ætatem in Philoſophiæ & literarum ſtudiis cum Politiano, Ficino & Pico Mirand. procul ab urbe & ſtrepitu conſumere. vid. Aug. Politiani Epiſtol. Lib. IV. p. 133.

(*a*) l. c. f. 8. cf. Epiſtolam ad Robertum Salviatum L. IX. f. 162.

videtur. Et forſitan hoc ſenſu accipienda ſunt verba Laurentii (*b*) : *Cum ſemper ante oculos divum Chriſtophorum, cui ædes tua dicata eſt, habeas, ea ipſius eſt magnitudo corporis, ut cæterarum omnino rerum tibi proſpectum auferat, atque inter te & nos quodammodo faciat ecclipſin quandam.* Sed tranſeant hæc. Hoc unum adjicio, totius Mediceæ gentis propenſam in ſe voluntatem Ficinum paſſim dilaudare. Hinc in literis ad Jacobum Cardinalem Papienſem (*c*) ſe antiquiſſimum Mediceæ domus alumnum nominat. Et alibi (*d*) ſingulos ex illuſtriſſima hac proſapia patronos ſuos ſic recenſet : *Primum ſummumque inter amicos locum patroni noſtri Medices jure optimo ſibi vendicant : Magnus Coſmus : gemini Coſmi filii, viri præſtantes Petrus atque Joannes : gemini quoque Petri nati, magnus Laurentius & inclitus Julianus : tres Laurentii liberi, magnanimus Petrus, Joannes Cardinalis plurimum venerandus, Julianus egregia indole prædictus : ac ne in longum ſingulorum laudes proſequar, una Medices omnes communi laude complectar, Genus heroicum.*

§. 10.

(*b*) Epiſt. L. I. f. 9. (*c*) Epiſt. L. III. f. 76.
(*d*) Ep. L. XI. f. 182.

§. 10.

Non tamen ita ufus eft illa, qua apud Mediceos plurimum valebat, gratia, ut abuteretur. Ea enim fuit continentia animique moderatione, ut in angufta & tenui etiam re, fi tempora fic ferebant, ferenam tranquillamque mentem retineret. Familia vero, quam domi fuæ alebat, nepotes nimirum neptesque (ex fratribus, an fororibus nefcio: proprios enim liberos (*e*), utpote facerdos & canonicus, non habuit) eo adegerunt aliquando hominem, quem verecundia alias nova femper petere beneficia prohibuit, ut in amicorum finum nonnullas effunderet querelas. Sic A. 1485. d. 17. Jan. hifce Petrum Leonem (*f*) compellavit: *Vixi*

(*e*) Teftis ipfe eft Marfilius, Ego, Epift. L. VII. f. 137. inquiens, nullos unquam genui liberos, nifi libros.

(*f*) Epift. L. VIII. f. 147. Hic, quam alii Leonium nominant, Medicus fuit infignis, fed aftrologicæ vanitati, pro more fere illorum temporum, nimium deditus: quum fubitæ fibi mortis periculum (vide Nic. Reufnerum l. c. F. 8.) in aqua portandi ex aftris præfagiret, fluminum publicorum ac navigationum occafionis evitandæ gratia, mutata fede e Patavio, Venetiisque in Umbriam ac Spoletum demigrans, fatis nihilominus viam invenientibus, Florentiæ demum, quo medicinæ faciendæ caufa a Laurentio Medice fuprema valetudine tentato accitus fuerat, exitiali ob ejus mortem furore correptus, præceps in proximæ Core-

Vixi hactenus, atque etiam vivo, quod maxime philosophum decet, tenui facultate contentus. Sed non eadem domi contenti vivunt nepotes orphani neptesque jam nubiles: inimici hominis domestici ejus. Vixi equidem philosophantis more, semper hodie, nec unquam crastinum cogitavi: sed hodie domestica turba me compellit invitum, quod Deus vetat, cogitare de crastino. Tentavi fortunam meam hoc anno Laurentio nostro sæpius aperire, sperans mihi apud illum significatione tantum opus fore, non precibus: subrusticus vero pudor me sæpe cohibuit; sed epistola vel amicus minus forsitan erubescet. Eandem fere querelam in literis ad Philippum Valorem, tum Florentinorum apud Pontificem oratorem, *(g)* repetiit: *Inimici hominis domestici ejus: domestici quidem mei, qui mihi sunt multi, multumque molesti, quoniam neque philosophici, neque philosophico victu supellectilique contenti, frequenter objiciunt: cæteros Medicea domus clientes atque clientulos paucis annis inde quam plurimum accepisse, me vero amplissimæ hujus familiæ familiarissimum, ac, ut ita dixerim, clientissimum, multis annis reportasse non multum.*

Sed

Coregiæ villæ puteum, sponte an illata vi incertum, datus fatali mersus aqua periit.

(g) Epist. L. XI. f. 186.

Sed audi parumper, mi Valor, nostram hanc ad meos apologiam: Ceteri quidem amici Medicum nondum, quantum voluerant, acceperunt: ego vero, quantum voluissem, si modo petissem. Et habeo certe, quantum volo: illi plerumque precario, ego gratis. Medices,, item aliis aliena dederunt, mihi sua. Nos,, igitur ita causam apud domesticos nostram,, perbelle probamus: at illi, quod mihi,, molestissimum est, non comprobant: opor-,, tuerat enim jamdiu vel meos una mecum,, quandoque fore philosophos, vel me non,, fuisse philosophum.,, Imo aliquando eo adactus est noster, inimicorum, credo, opera, (raro enim contingit, ut eminens virtus fugiat invidiam) & inscio forte Laurentio Medice, ut de exactorum insolentia graviter conqueri necessum haberet, publicis oneribus nimium pressus. Ipsum audiamus hac de re Marsilium in epistola ad Bernardum Divilium, Laurentii amanuensem (*b*): Tanta mihi est erga magnanimum Lau-,, rentium reverentia, ut vel epistola, quæ mi-,, nus erubescere solet, jam erubescat. Hæc,, igitur nunc Laurentium aditura, interim,, rubore cohibita, ad te saltim, dilectissime,, mi

(*b*) Epist. L. X. p. 168.

„ mi Bernarde, confugit. —— Sed querula,
„ venit, & queri præterea nesciens, videlicet
„ a philosopho veniens, querelis minime
„ omnium assueto. Quid ergo? narrabit sal-
„ tim. Publica literatis stipendia ubique dari
„ solent, ne dixerim, & in patria debent: am-
„ plissima certe Florentiæ dantur & peregrinis
„ & civibus: ego vero literosus senex stipen-
„ dium literarium ut excipiam, nihil postulo.
„ Non enim tantum mihi arrogo: sed satis
„ mihi factum fuerit, si non dedero. Re-
„ cepi me nuper in secessum montis Vechii,
„ ne frequentes amicorum salutationes præ-
„ sens hoc meum, cui totus nunc incum-
„ bo, Dionysiacum opus interpellarent.
„ At vero quod longe molestius est,
„ non interpellant quidem me amici mei,
„ quos jam desidero, sed interturbant quo-
„ tidie exactores improbi & vexant, ut ve-
„ rius dixerim, extortores post decimas illas
„ mox studii Pisani nomine Florentinum ho-
„ minem certe studiosissimum a divino circa
„ Dionysium studio separantes. Fortuna stu-
„ diis inimica bonis, ne divinum opus id
„ producam, & multis me id genus injuriis
„ agitat, & crebris interea corporis languo-
„ ribus afficit." Præterea accidit quandoque,
ut Medicea familia variis adversantis fortu-

næ

næ insultibus affligeretur, qui plerumque, uti fieri assolet, in ejus clientum etiam capita ruebant. Hinc A. 1478. quo Laurentius Florentia pulsus a solo patriæ extorris erat, diro Pontificis Sixti IV. anathemate perculsus, Ficinus quoque noster miseriis & ærumnis pressus fuit: quas tamen æquo cum animo pertulisse, ex his epistolæ ad Joannem Nicholinum Archiepiscopum Amalphitanum (*i*) verbis elucet: Deus humilem mi-„ hi fortunam dedit: fortuna olim tenuem, „ nunc tenuissimam facultatem. Deo pa-„ reo: fortunæ cedo: consentio facultati: „ exigua sum sorte contentus, modo tuta. „ Fortunatus, cui fortuna obtigit mediocris, „ felix, qui sua est fortuna contentus.

§. II.

Nunc, quibus muneribus noster functus sit, enarrandum est. Scilicet Sacerdotio præditum fuisse indicat ipse in epistola ad Petrum Leonem A. 1485. scripta, quam modo §. præcedenti citavimus. Ita enim ibi Marsilius: „Tu quidem optabas his tan-„ dem pactis multos Hippocratis libros me„ Latinos

(*i*) Epist. L. VI f. 116.

„Latinos efficere: ego autem Plotino mox
„absoluto medicum cogor non jam interpre-
„tari, sed agere. At sacerdotem inquies
„non decere. Quid sacerdotem? Sacerdotem
„præstat referre quam ferre medicum. Vixi
„hactenus &c. Sequuntur enim jam verba paulo antea llegata. Nempe necessitatibus domesticis ad medendi artem exercendam se, licet sacerdos sit, fere compelli pro pane suis lucrando, salse innuit. E suggestu sacro publica eum verba fecisse, nobis persuadent aliquot homiliæ, Epistolis ejus insertæ, quarum una (*k*) hoc gaudet titulo: Oratio Marsilii Ficini de charitate habita in collegio Canonicorum (†) Florentinorum ad populum, cujus parte, ut specimen aliquod habeas, prima docet, Deum charitatem esse, parte secunda, eum, qui manet in charitate, in Deo manere, tertia denique, Deum vicissim in eo manere, qui in charitate manet: Fpilogus est patheticus, exhortationem atque consolationem complectens.

Abusos esse alios Ficini, hominis haud ambitiosi, sorteque sua contenti, moderatione, honoresque & pinguiora sacerdotia im-

(*k*) Epist. L. VIII. f. 150.

(†) Canonicis enim in Ecclesia Cathedrali Florentina adscriptus fuit.

impudenti ambitu ipsi præripuisse, ex literis ad Jo. Nicholinum Archiepiscopum Amalphitanum (*l*) auguror. Sub earum enim finem ita Riarium Cardinalem affatur: Tu vero, mi Domine, memento jam servi „ tui, si qua videtur memoria dignus. Ve- „ nisti enim in regnum tuum. Heu quam „ invitus nunc petere cogor temporum ma- „ lignitate compulsus, quæ nunquam alias „ censui philosophantibus esse petenda. Di- „ camne? Quod forte philosophum minus, „ at vero decet egenum. Dispeream hercle, „ nisi dixero. Surgunt e cœno quotidie „ qui rapiant nobis cœnam.„ Alio tempore (*m*) contra adversariorum scommata & criminationes causam suam Leonardo JCto commendare coactus fuit (*n*). „Causam „ nostram pluribus verbis amicissimo com- „ mendare —— cum non solum apprime do- „ ctus sis atque facundus, sed etiam Jovia- „ lis & cras pro nostra causa pugnaturus, „ sole feliciter Jovem aspiciente, speramus, „ si modo ingenii tui nervos intenderis, te „ ini-

(*l*) Epist. L. VI. f. 116.

(*m*) Nescio quo? Nam Ficinus tempus, quo hanc epistolam scripsit, non notavit. Dolendum est certe, complures ejus epistolas diei annique indicio destitui.

(*n*) Epist. L. IX. f. 165. Quænam vero fuerint istæ adversariorum cavillationes, Marsilius haud memorat.

„ iniquas adverſariorum noſtrorum cavilla„ tiones expugnaturum. „ Sed feliciter omnia iſthæc nubila tandem favore Ioannis Medicis tum Cardinalis, quem poſtea ad ipſum ſummi Pontificatus faſtigium, nomine Leonis X. aſſumto, aſcendiſſe novimus, diſpulſa ſunt. Ipſe nobis Marſilius in literis A. 1492. d. 25. Apr. exaratis (*o*) gratiſſima celebrat mente eá, quibus a laudato Mæcenate ſuo inſigniter ornatus fuerat, beneficia: „ Cum quar„ tum Medici gratum maximum arbitrentur, „ tu vero quartus a Coſmo in generoſa Me„ dicum familia mihi ſis patronus, es pro„ cul dubio maximus. Quod quidem hinc „ plane perſpicio, quod non aliena mihi das, „ ſed tua. Tuo jamdiu canonicatu me or„ naſti: æde nunc Martiana tibi dono con„ ceſſa ſubito me donaſti. Quamobrem „ obitu magnanimi Laurentii noſtri neque „ fortunam meam deflere mihi licet, qui „ deinceps tanto patrono me videam maxi„ me commendatum, neque ſortem ejus „ commiſerari, quem multis evidentibus„ que argumentis translatum ad ſuperos eſſe „ cognoſcimus.

§. 12.

(*o*) Epiſt. L. XI. f. 178.

§. 12.

Officium præterea docendi philoſophiam in Academia Florentina, cui adhuc puer a Coſmo deſtinatus erat (*p*), noſtro bonis auſpiciis commiſſum fuit. Quanta vero fide & dexteritate, quanta cum & induſtria hanc, quam nactus erat, ſpartam exornaverit, clamant tot diſcipuli, qui ex ejus ſcholis prodierunt doctiſſimi. Principem inter illos locum occupat Angelus Beſſus Politianus; iſtud Muſarum & Apollinis delicium, qui hoc præconio (*q*) doctorem ſuum mactat: Ego tenera adhuc ætate ſub duobus excel-„ lentiſſimis hominibus, Marſilio Ficino Flo-„ rentino, cujus longe felicior quam Thra-„ cenſis Orphei cithara veram, ni fallor, „ Euridicen, hoc eſt ampliſſimi judicii Plato-„ nicam ſapientiam revocavit ab inferis, &„ Argyropylo Bizantino, Peripateticorum„ ſui temporis longe clariſſimo, dabam qui-„ dem philoſophiæ utrique operam &c.„ Quamvis enim, qua erat modeſtia Marſilius ſummum hunc virum e numero auditorum ſuorum eximat, familiaribusque duntaxat

 ſuis

(*p*) Vide ſupra §. 3.
(*q*) In Miſcellaneis p. 123. edit. Baſil. 1522. in 8. Idem Ficinum Epiſt. L. VI. p. 231. philoſophum principem in ſecta principe appellavit.

ſuis adſcribat, ego tamen in hac re ipſi Politiano (*r*) fatenti fidem adhibere malim.

§. 13.

Non alienum ab hoc loco erit, recenſum familiarium atque auditorum celebriorum, ab ipſo Ficino inſtitutum & cum Martino Uranio ſuo (*s*) communicatum, exhibere. „Præter patronos, ait, duo ſunt nobis amicorum genera. Alii enim non auditores „quidem omnes, nec omnino diſcipuli, „ſed conſuetudine familiares, ut ita loquar, „confabulatores atque ultro citroque conſiliorum diſciplinarumque liberalium communicatores. Alii autem præter hæc, quæ „dixi, nos quoque legentes & quaſi docentes audiverunt; & ſi ipſi quidem quaſi diſcipuli, non tamen revera diſcipuli; non „enim tantum mihi arrogo, ut docuerim „aliquos aut doceam, ſed Socratico potius „more (†) ſciſcitor omnes, atque hortor, foecun-

(*r*) Ejus vitam nobis eleganter deſcriptam dedit Vir Clariſſimus Wern. Jac. Clauſius Magdeb. 1718. Conferri tamen quoque de eo omnino meretur Eruditiſſimi Henrici Brencmanni Hiſtoria Pandectarum Florentinarum, Trajecti ad Rhenum 1722. edita, p. 306. ſqq.

(*s*) Epiſt. L. XI. f. 182.

(†) Hac docendi ratione, ſicut & in aliis ſuum Platonem imitatus eſt Marſilius, qui itidem ea utebatur via, in

fœcundaque familiarium meorum ingenia,,, ad partum assidue provoco. In primoge-,, nere sunt Naldus Naldius a tenera statim,, ætate mihi familiaris: post hunc in ado-,, lescentia nostra Peregrinus Allius, Christophorus Landinus, Baptista Leo Albertus, Petrus Pazius, Benedictus Accoltus Aretinus, Bartholomæus Valor, Antonius Canisianus: paulo post Joannes Cavalcantes, Dominicus Galectus, Antonius Calderinus, Hieronymus Rossius, Amerigus & Thomas ambo Bencii, Cherubinus Quarqualius Geminianensis, Antonius Seraphicus, Michael Mercatus ambo Miniatenses, Franciscus Bandinus, Laurentius Lippius Collensis, Bernardus Nuthius Comandus, Baccius Ugolinus, Petrus Fannius Presbyter. ,,Horum plurimi,,, exceptis Landino & Baptista Leone & Bene-,, dicto Accolto primas nostras lectiones non-,, nunquam audiverunt.,, In ætate vero mea jam matura familiares non auditores: Antonius Allius, Ricciardus Anglariensis, Bartholomæus Platina, Oliverius Arduinus, Sebastianus Salvinus, amitinus noster, Laurentius Bonincontrus, Benedictus Biliottus, Georgius Antonius Vespucius, Joannes

in Cratylo pronuncians, illum esse perfectum dialecticum, qui bene interrogare, & recte respondere sciat.

Baptista Boninsegnius, Demetrius Bizantius, Joannes Victorius Federinus, Angelus Politianus, „Pierteonus Spoletinus, Joannes Pi-„cus Mirandula. In secundo genere, id est „in ordine auditorum sunt Carolus Marsupinus, Petri quinque, Nerus, Guicciardinus, Soderinus, Compagnius, Parentus: Philippi duo, Valor scilicet & Carducius? Joannes quatuor, Canacius, Nesius, Guicciardinus, Rosatus; Bernardi quatuor, Victorius, Medices, Canisianus, Michelottius: Francisci quatuor, Berlingierius, Rimicinus, Gaddus, Petra Sancta: Amerigus Cursinus, Antonius Lanfradinus, Bindacius Recosolanus, Alamannus Donatus, Nicolaus Michelotius, Matthæus Rabatta, Alexander Albitius, Fortuna Hebræus, Sebastianus Presbyter, Angelus Carduccius, Andreas Cursus, Alexander Borsius, Blasius Bibiennius, Franciscus Diacetus, Nicolaus Valor. Facile plures amicorum & discipulorum Ficini ex ejus epistolis colligere possem; sed vereor, ne jam nimius fuerim. Unde nec observationes, quæ de horum multis in promtu essent, adjicio.

§. 14.

Sed circumscribi ejus fama angustiis Italiæ finibus non potuit, ad ipsos quoque nostros Ger-

Germanos deferenda, quibus venerabile gratiſſimumque fuit Marſilii nomen. Impenſe colebatur, oculitusque amabatur a Martino Uranio Præningero Conſtantienſi, quem viciſſim tanto proſecutus eſt affectu, ut illum alterum vocare Marſilium (*u*) conſueverit. Non ſplendidis tantummodo donis (*x*) Uranius propenſam ſuam in noſtrum declarare ſolitus fuit voluntatem, ſed & natalem ejus & doctorum cœtu & magnifico ſumtu in Germania celebravit (*y*). Juſſu inſuper quorundam Germaniæ Principum laudatus Martinus, Ludovicus Nauclerus & Joannes Reuchlinus Phorcenſis, ſummi ingenii, maximæque eruditionis & immortalium in orbem literatum meritorum vir, aliquot adoleſcentes, in patriæ ſpem formandos, illius curæ & inſtitutioni A. 1491. commendaverunt (*z*), inter quos fuit Joannes Stræler, Suevici fœderis deinceps Triumphir (†). Quanto autem honore hoc

 tan-

(*u*) Epiſt. L. X. f. 168. 173. &c. in hujus ſui amoris τεκμηριον ipſi dicavit Epiſtolarum Librum nonum, & apologos de voluptate, qui l. c. f. 173. ſqq. leguntur.

(*x*) Epiſt. L. X. f. 166. 168. add. L. XI. f. 177.

(*y*) Epiſt. L. XI. f. 177.

(*z*) l. c. f. 176. 177.

(†) Inter Henrici Bebelii Opuſcula, Argentinæ 1509. in 4. excuſa, extitat Epiſtola & Elegia ad hunc Stræ-lerum

tantorum hominum judicium Marſilium afſecerit, quilibet facile videt. Nimirum in tam immenſa eruditiſſimorum virorum, quos eo tempore Italia ſinu ſuo complectebatur, copia unus Ficinus videbatur digniſſimus, cujus fidei pretioſiſſima patriæ pignora crederentur, cujusque doctrina egregiæ indolis & optimæ ſpei juvenes, ampliſſimis tandem muneribus præficiendi, imbuerentur.

§. 15.

Sicuti vero principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt: ita nec hac in parte noſtrum deſti-

lerum, Jurisconſultum Ulmenſem & Suevici fœderis Triumvirum, cujus hac occaſione epitaphium, per Joannem Caſſelium Geislingenſem Sacerdotem compoſitum, ex MSto appingam:

Quis jacet hic? Stræler Doctor cenſuræ utriusque:
Qualis vita fuit? ſobria, caſta, pia.
Quis ſtatus officii? Suevorum in fœdere judex:
Rector & in Dirkhaim pavit oves Domini.
Quis vocitatus? Jöannes: Quos laude ferébat?
Vates, philoſophos, doctiloquosque viros.
Cui patuit domus, & quem comiter excipiebat?
In quo virtutes noverat eſſe ſitas.
Quo delectatus nimis eſt, quove otia trivit?
Libris, quorum illi copia magna fuit.
Quem mirabatur? qui clarus ab arte nitebat,
Qualis Praxiteles Protegenesque fuit.
Defuncti quis parta tulit? Loca ſacra, ſodales,
Cognati: exhibita gaudet inopsque ſtipe.
Quidnam ex præmiſſis modo commoditatis habebit?
Fama & imago manent, ſpiritus aſtra tenet.

destituisse fortunam, ex jam dictis abunde liquet. Verum plura adhuc supersunt ejus rei documenta, satis illustria. Gratiam illum tenuisse Innocentii VIII. Summi Pontificis, testis est barbaria suo tempore, Salmasii judicio, victor Hermolaus Barbarus, in literis ad eum Romæ Kalendis Sextilibus A. 1490. datis (*a*) scribens: *Quod rogas, ut quemadmodum tu me Deo, ita ego te vicario ejus commendem: scito, id me non solum fecisse, verum etiam ex animo diligenter ac sæpius fecisse. Atque ut hoc verissimum esse intelligas, respondit, per Laurentium stetisse, quo minus huc te arcesseret: multa de te mitissimus Pontifex honorificentissime locutus, in sententia sua permanet videndi te apud se. Quod quidem si futurum aliquando est, opto, ut in legationis meæ tempus cadat.* Quamvis enim coram illo Romanorum Præsule ab öbtrectatoribus hæreseos vel ipsius forte magiæ crimen ei impactum fuisse, e nonnullis haud obscuris indiciis colligi queat: attamen amicorum & patronorum suorum opera, e quibus præcipue Hermolaum Barbarum, Antonium Calderinum, Franciscum Soderinum Episcopum Volaterranum, Rainaldum Ur-

(*a*) Epist. L. X. f. 168.

ſinum Archiepiſcopum Florentinum, & Marcum Cardinalem D. Marci dilaudat, hanc ſuſpicionem ex ejus animo feliciter dimoviſſe videtur, qua de re in ſubſequenti obſervatione plura diſſerendi locus erit. Nunc commemorandum quoque nobis venit, Matthiam Corvinum, Hungariæ Regem, qui felici conjugio arma & literas, Lanſio (*b*) judice miſcuit, & in togæ ſagique proceres liberaliſſimus extitit, noſtrum in Pannoniam invitaſſe, ut ejus commercio frui, ex ipſiusque ore Platonis dogmata imbibere poſſet. Voluntatis regiæ hac in re interpretes fuerunt Nicolaus Batoreus Fpiſcopus Vacienſis, & Franciſcus Bandinus. At Marſilius, forte ſua contentus, & corpuſculi imbecillitate prohibitus, Florentiam ſuam deſerere noluit. *Scribis*, ſunt ejus verba (*c*) ad Batoreum, *Matthiam invictum Pannoniæ Regem præſentiam noſtram deſiderare, quod & tu valde deſideres, aliique nonnulli, Platonicæ mentis explicandæ gratia. Rogas ſi minus ipſe venire valeam, ut aliquem ſaltem mittam ad vos meorum, qui veſtro hac in re ſatis deſiderio faciat. Ego vero curabo pro viribus, ut ad*

(*b*) Conſultat. de principatu inter provincias Europæ. p. 448. ſq.
(*c*) Epiſt. L. VIII. p. 152. cf. L. IV. p. 97.

ad vos Sebaſtianus noſter amitinus accedat, aut ſi per occupationes ſuas ipſe non poſſit, iter ad vos meorum alius agat. Me vero patrias mutare ſedes mirum fuerit, ſive mutationem prohibeat Saturnus in aquario nobis aſcendens —— ſeu vetet aliquis genius —— ſive corpuſculum ineptum laboribus impediat iter, ſeu mens contemplationi ſemper intenta quieſcere jubeat. Ex epiſtola vero ad ipſum Regem A. 1489. ſexto Februarii exarata Philippum Valorem noſtri vices in itinera ad Corvinum ſuſcipiendo expediiſſe (*d*) edoceor. Taceo jam alios multos, a fortuna in celſo conſtitutos loco, qui maximi Marſilium fecerunt, eumque ſingulari benevolentia & amore proſecuti ſunt: quales fuere ex purpuratis Romanæ Eccleſiæ patribus præter ante memoratos Beſſarion (*e*) Franciſcus Salviatus (*f*), Jacobus Papienſis, (*g*) Raphael Riarius (*h*):

(*d*) Epiſt. L. IX. f. 158.

(*e*) Trapezunti natus, Rom. Eccl. Cardinalis Nicenus & Patriarcha Conſtantinopolitanus. vid. Ep. L. I. f. 5. 6.

(*f*) Cardinalis & Archiepiſcopus Piſanus. vid. Epiſt. L. I. f. 23. 36. 37. L. V. f. 102. Hic idem ille fuit, qui initæ contra Medicæam domum factionis particeps, imo vero præcipuus autor, Julianum in ipſis ſacris interfici curavit, ipſe dein in medio urbis foro a Florentinis in epiſcopali ornatu ignominioſe ſuſpenſus.

(*g*) Epiſt. L. III. f. 76. ſq.

(h): ex Episcoporum ordine Joannes Nicholinus *(i)*, Gentilis Aretinus *(k)*, Jacobus Rondonus Arimensis *(l)* aliique bene multi. Ne quid dicam de Ramberto Malatesta, Sogliani Principe *(m)*, Bernardo Bembo, Patricio & Senatore Veneto, Petri Cardinalis patre *(n)* & cæteris, quorum nomina passim in nostri epistolis obvia sunt.

§. 16.

Cæterum cum nemo facile fuerit, qui literas fervidiori cura coluisse dici queat, quam Ficinus noster: apprime in omnem ejus vitam Ciceronis verba convenire mihi videntur: *Studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur (o)*. Otium quidem amavit Marsilius, sed literarium, & nunquam magis negotiosus fuit, quam in isto otio. Secessum ac rus sæpius quæsivit, sed

(h) Cardinalis S. Georgii. Epist. L. V. f. 105. 108. L. VI. f. 113. sq. 123.

(i) Archiepiscopus Amalphitanus. Ep. L. I. f. 34. L. V. f. 110. L. VI. f. 113. *(k)* Ep. L. VI. f. 125.

(l) Ep. L. XII. f. 193. *(m)* Ep. L. XII. f. 191.

(n) L. I. f. 25. L. III. f. 64. 73. L. IV. f. 85. 91. 97. &c.

(o) Orat. pro Archia.

ſed nunquam non Muſis ſtipatus, quas ſecum quoque ruſticari juſſit. Prædiis, a Medicibus ſibi donatis, hoc fine uſus eſt, ut deliciis ruralibus ſuavibusque amicorum confabulationibus animum reficeret, ac eum tot vigiliis exantlandis, tantis libris ſolerter conſcribendis redderet ſervaretque parem. Ipſam Ficini vocem audire mihi videor, quotiescunque elegantiſſima Plinii *(p)* verba menti meæ obverſantur, vivis coloribus mellitiſſima iſthæc gaudia delineantia. *In Laurentino meo aut lego aliquid, aut ſcribo, aut etiam corpori vaco, cujus fulturis animus ſuſtinetur. Nihil audio, quod audiſſe; nihil dico, quod dixiſſe pœniteat. Nemo me apud quenquam ſiniſtris ſermonibus carpit: neminem ipſe reprehendo, niſi unum me, cum parum commode ſcribo: nulla ſpe, nullo timore ſollicitor, nullis rumoribus inquietor. Mecum tantum & cum libellis loquor. O rectam ſinceramque vitam! O dulce otium, honeſtumque ac pene omni negotio pulchrius! O mare, O litus, verum ſecretumque μουσεῖον, quam multa invenitis, quam multa dictatis!* Et profecto absque hoc ſi fuiſſet, tot ſcriptis concinnandis haud ſuffeciſſet Marſilii corpuſculum. Majanus certe, Celanus & Caregianus ager mons-

(p) Lib. I. Epiſt. 9.

monsque Vecchius plurimos ingenii ejus fructus protulerunt *(q)*. Nec minus solus erat, quam cum solus esset, quod Cicero *(r)* de Scipione Africano seniore dixit. Tum enim a cœtu hominum remotus cum Platone aliisque suavem instituit sermonem, per viridesque saltus & amœna vireta sophorum devolavit: tum studiis genium devovit omnem, cunctosque animi nervos. *Secessi*, scribit ad Bernardum Bembum *(s) Nonis Septembribus in montem Celanum nostrum procul ab urbe remittendi, imo potius intendendi animi gratia: nam solitudo philosophantibus non tam remissio mentis quam intentio esse & solet & debet.* Et ad Petrum Nerum *(t)*: *Abesse me jam ab urbe diutius, ut opinor, una cum aliis nostris & ipse conquereris. Sed desine conqueri. Nunquam enim minus absum ab Academia, quam cum ab urbe absum. Urbana quidem a vobis sæpe me distrahunt, rustica vero restituunt: vester hic totus sum atque expeditus. Sive enim deambulo, vobis mihique passim ipsi floreo: sive dormio, vos mihi semper somnia nostra reducunt.* Quodsi vero in suo secessu amicorum fruebatur consortio, eruditis

(q) Epist. L. I. f. 5. L. III. f. 70. L. VII. f. 131. L. VIII. f. 148. L. X. f. 166. (r) L. III. Offic. Cap. I.
(s) Epist. L. V. f. 100. (t) Epist. L. VII. f. 139.

ditis confabulationibus tempus terere otiumque fallere consuevit. *Cum ego ac tu*, verba sunt nostri ad Laurentium Medicem (*u*), *nuper in agro Charegio multa de felicitate ultro citroque disputavissemus, tandem in sententiam eandem duce ratione convenimus, ubi tu novas quasdam rationes, quod felicitas in voluntatis potius quam intellectus actu consistat, subtiliter invenisti. Placuit autem tibi, ut tu disputationem illam carminibus, ego soluta oratione conscriberem. Tu jam eleganti poëmate tuum officium implevisti: ego igitur nunc adspirante Deo munus meum exequar quam brevissime.* O vero felicia ista tempora, quibus literis, jam jam caput erigentibus, haud sui defuere Mæcenates, tam jucunda earum cultoribus & restauratoribus parantes otia! Tum suave erat, viridi sub tegmine fagi, inque locis, strepitu vacuis atque alti plenis silentii litare Musis: tum eruditi in campis læto gramine decoratis & spicis frugeque flavescentibus sociabantur amico commercio, ut rei literariæ fines adunitis viribus quam longissime proveherent. Altorum nemorum umbræ, jucundaque sylvarum vireta Phœbi choro patebant: rivis, rauco mur-

(*u*) Epist. L. I. f. 30.

murmure leniter ſtrepitantibus, Caſtalidum grex, magnatum gratia fota, ſecure aſſidebat. Non poſſum a me impetrare, quin, hujus materiæ ſuavitate illectus, huc transferam Angeli Politiani *(x)* verba, quibus Marſilium in villam ſuam Fæſulanam invitavit, ut inde iſtius temporis mores aliquatenus cognoſcas. Ita autem ille: *Tu velim, quando Caregianum tuum Sextili menſe nimis æſtuat, ruſculum hoc noſtrum Fæſulanum ne faſtidias. Multum enim hic aquarum habemus, ut in convalle minimum ſolis, vento certe nunquam deſtituimur. Tum villula ipſa devia, cum pene media ſylva deliteſcat, totam tamen æſtimare Florentiam poteſt. Et cum ſit in proximo celebritas maxima, ſemper apud me tamen ſolitudo eſt mera, qualem profecto ſeceſſus amat: uti poteris autem duplici ſpe. Nam ſæpius e querceto ſuo me Picus inviſit improviſus obrepens, extractumque de latebra ſecum ducit ad cœnulam, qualem noſti frugi quidem, ſed & ſcitam, plenamque ſemper jucundi ſermonis & joci. Tu tamen ad me potius, non enim pejus hic cœnabis, bibes fortaſſe vel melius:*

(x) Epiſt. L. X. pag. 394. edit. Baſil. 1542. in 8. cf. Ficini Epiſt. L. IX. f. 157.

lius: nam de vini quidem palma cum Pico quoque valde contenderim (y).

§. 17.

Quam vero vellem, ut totum nunc tibi Marsilium intus & in cute notum reddere, illiusque cum corporis tum animi accuratam effigiem viva colorum luce depingere possem! Sed contentos nos esse decet paucilis & rudibus lineis, usque dum aliquis forte Apelles plenam ejus imaginem docta nobis manu exprimat. Ingenti Ficini animo breves natura artus finxit, ejusque ingenio haud par corporis augmen concessit. Fuit enim pusillus admodum, & tam brevi

(y) De secessu & otio literario plura legere, scio, pœnitebit neminem in Theophili Spizelii Dissert. de Bibliothecis p. 169. sqq. collect. Schmid. P. II. Adjicere vero mihi hic liceat verba, quibus Guilielmus Budæus, Galliæ suæ lumen, secessus sui literarii delicias in literis ad Ludovicum Vivem prædicat: Hortorum, pascuorum, arvorum conspectum nullis officientibus ædificiis liberum quanti esse æstimas? Quanti villarum amœnitatem, ambulationes inter opaca abstrusas, meditando, commentando; recitando implicitas, rhapsodiis canoras, numeris omnibus securitatis tranquillitatisque solutas? Quanti denique illud otium fruendæ felicitatis, quum interordiniis arborum obeundis, quibus ipse metandis non pridem, in versusque oblongos porrigendis interfui, velut operis curator, operarum-

corporis ſtatura (z), ut ad viri ſolitæ magnitudinis lumbos vix pertingeret. Hinc in epiſtola (a) ad Joannem Cavalcantem amicum conjunctiſſimum ſic in ſeipſum jocatur: *Neminem latet, quam libenter imaginem ſuam ſpeculis intueantur omnes vel homunculi. Amicus autem in amico non imaginem ſuam tantum inſpicit, ſed ſe ipſum. Ego certe & ſi quaſi bellus in me homuncio ſum tenuisque brevisque, in heroico tamen ſpeculo, ex quo amavi, luſtra jam quinque procerum me video procerem non humunculum.* Valetudine haud ſemper uſus fuit commoda, morbis ſæpiusçule tentatus. Sic A. 1474. dum librum de

rumque exactor, vivere me ſentio? Eos autem, quibus vel in fori ſtrepitu vel in aulæ ambitu conſeneſcere contingit, aura quidem veſci ac ſpirare, non etiam frui vita, cœlique ſuſpiciendi compotes eſſe cenſeo: quibus utique ipſis (o miſeram vivendi conditionem!) nec licet unquam, nec libet ſecum vivere, & ſuo verſari cum genio. Ibi unam demum experior ægritudinem, cum mihi ſubit ſcilicet repetendæ urbis memoria, non aliter atque ſi jugum rurſus ſubeundum ſit equo in paſcuis ſoluto. Enimvero lectitandi, commentandi, ſcriptitandi voluptatem, iis quidem certe, queis ea res ſub manu ſuccedit numine aliquo aſpirante, nec ære nec auro permutandam eſſe cenſeo, ne ſceptris quidem ipſis, nedum faſcibus, & infulis ad vulgus ſplendorem ſuum venditantibus. vid. Ejus Epiſtolas Baſil. 1521. in 4. editas pag. 35. ſq.

(z) Iſ. Bulliart. in Academia Scientiarum.

(a) Epiſt. L. III. f. 74. cf. L. IV. f. 91. L. X. f. 165.

de Christiana Religione emendaret, mense Augusto in febrem incidit atque diarrheam, quæ eum vitæ dubium reddidit. *In tantum*, scribit ad Marescalchum Ferrariensem (*b*), *debilitatem prolapsus sum, ut salutem pene jam desperarem: meditabar igitur, quæcunque annis triginta magna legissem, si quid forte mihi occurreret, quod ægrum animum consolaretur. Scriptores humani exceptis Platonicis nihil penitus conferebant, Christi autem opera multo magis quam philosophorum verba consolabantur. Feci insuper divæ Mariæ vota signumque salutis aliquod postulavi. Respiravi subito aliquantum ac manifestum in somniis nuncium salutis accepi.* Ita quoque A. 1480. mense Julio graviter ægrotavit, in summum vitæ discrimen conjectus; sed præter omnem suam medicorumque spem, cunctis mirantibus, iterum convaluit, Deo soli, quod vivat, se debere grata piaque mente professus (*c*). Alibi vero (*d*), male ne an bene valeret, semper se ambigere, & fortunam nunquam amplam & perpetuam quandam corporis imbecillitatem suis plerumque libris vel scribendis obstitisse, vel edendis ait. Haud, spero, dividiæ erit

(*b*) Epist. L. I. f. 21. (*c*) Epist. L. VI. f. 123.
(*d*) Epist. L. IX. f. 162. L. XII. f. 191.

legere heic ejus verba, quibus (*e*) de va-valetudine ſua amicis rationem reddidit. *Quid totiens, amici, quæritis, quomodo valeam? Interrogate potius, nunquid denique convaluerim. Cæteri ſiquidem ad hoc nati videntur, ut bene valerent. Ego autem contra ob hoc ipſum natus videor, ut male continue valeam. Nam mihi imbecillitate quadam naturæ datum eſt ab initio, ut nunquam diem integrum firmam corporis valetudinem ſim expertus. Sed largiſſimo quodam Dei munere invida naturæ damna rependo, ut quam male nonnulli bonam valetudinem ferunt, ferme tam bene ipſe malam. Quantum ergo quidam poſſeſſionis proſperæ gratia naturæ debent, tantum ego gratia uſus ipſius debeo Deo. Quando Deus ipſe noſtra firmitas eſt, infirmi undique eſſe non poſſumus.* Hoc præcipue ſilentio nobis involvendum non eſt, A. 1476. noſtrum oculorum morbo, quo eruditis triſtior eſſe nequit, haud absque viſus amittendi periculo laboraſſe (*f*), de quo hæc ad Laurentium Medicem perſcribit: *Cum Novembris Superioris Calendis epiſtolam alteram ad tertium cœlum Pauli ad Joannem Cavalcantem, alteram de cœleſti & ſupercœleſti lumine ad Phæ-*

(*e*) Epiſt. L. IV. f. 85. (*f*) Epiſt. L. IV. f. 82.

Phœbum Capellam composuissem, mox in eum oculorum morbum infeliciter incidi, quem imaginum nomine physici nuncupant, proximamque asserunt portendere cæcitatem. Etsi expertus sum pene omnia, quæ tractantur a medicis Apollinis successoribus, nondum tamen Medicorum pater Apollo lucens pristinam restituit mihi lucem. Quo fuerit temperamento præditus noster, hæc ejus verba (g) aliquatenus nos edocent: *Dei solius æterno quodam munere mortalium bonorum minime cupidus sum; quod vero circa mala nimium formidolosus sum, complexionem quandam accuso melancholicam, rem, ut mihi quidem videtur, amarissimam, nisi frequenti usu cithara nobis quodammodo delinita dulcesceret. Quam mihi ab initio videtur impressisse Saturnus in medio ferme aquario ascendente meo constitutus, & in aquario eodem recipiens Martem, & Lunam in capricorno, atque aspiciens ex quadratura Solem Mercuriumque in Scorpio nonam cœli plagam occupantes. Huic forte nonnihil ad naturam melancholicam restiterunt Venus in libra Jupiterque in cancro.*

(g) Epist. L. III. f. 70. Lib. de Vita sana Cap. X. Ego, inquit, quantum adversus atræ bilis amaritudinem dulcedo lyræ cantusque valeat, domi frequenter experior.

§. 18.

Nunc breviter delineare conabor Ficini mores, quales ex ejus epiſtolis cognoviſſe mihi videor. Scilicet in amicitiæ cultu fuit conſtans & humanus, nec, licet familiares nonnunquam diſſiderent a ſe ſententiis, concordiæ vincula dirupit, quod alias frequenter fieri inter eruditos, contradictionis impatientes, ſolet. *Neque vero*, ſcribit ad Hermolaum Barbarum *(b) putare quenquam volumus, Hermolaum atque Marſilium ob id forſan minus vel eſſe vel fore conjunctos, quod alter quidem Ariſtoteli favere potius videatur, alter vero Platoni. Nam in eodem veritatis virtutisque cultu ſumus unum, in quo Plato & Ariſtoteles non eſſe unum non potuerunt. Perge itaque, Latiniſſime & Attice Barbare, atque ut cœpiſti Atticum Ariſtotelem a diuturna barbarie ſtrenue vendica: ego vero Platonem noſtrum a Lethea quadam oblivione vel ſomno pro viribus excito.* Nimirum

diverſum ſentire duos de rebus iisdem
incolumi licuit ſemper amicitia.

Animi lenitate, moderatione ac manſuetudine nemini facile ſecundus, procul abfuit

(b) Epiſt.L. VIII. f. 145.

fuit ab eorum more, qui vel verbulo laceſſiti, miras excitant tragœdias, immenſos clamores tollunt, ventoſamque rabioſa in jurgia linguam acuunt. Ut adeo optime in illum, pauculis mutatis, conveniant, quæ Ovidius *(i)* de ſe cecinit:

Tempus ad hoc luſtris fere ter mihi quinque peractis
Omne fuit Muſæ carmen inerme meæ:
Nullaque, quæ poſſit, ſcriptis tot millibus, extat
Litera Marſilii, ſanguinolenta legi.

Et hoc quidem in noſtro eo magis laudari meretur, quod alias ii, qui ſectæ cuidam unice addicti ſunt, inque verba & dogmata alicujus veluti jurarunt, haud facile ferunt adverſantes, omnibusque conſenſum, vel rixis & litibus, extorquere volunt, Platonem Marſilius quaſi ex inferis revocavit, eique, pene ad ſuperſtitionem usque, deditus fuit: at dogmata illius non canina facundia, ſed mira modeſtia propagare contendit, longe diverſus a Georgii Trapezuntii moribus, qui eadem fere ætate, ut Ariſtotelem extolleret, indigne Platonem depreſſit, ac peracerbe inſolenterque inſectatus eſt; quem tamen, Platonis amore

 ductus,

(i) in Itin.

ductus, pari propemodum vehementia & mordacitate depexum dedit Bessarion. Temperantiæ & sobrietatis laus adeo nostro denegare nequit, ut hac præcipue imbecille suum corpusculum inter tot exhausto labores tamdiu sustentasse videatur. Nec vanæ ambitionis ipsi dica merito scribi potest, nisi forte eam callide dissimulasse dixeris: ejus certe epistolæ penes me quidem a nimia gloria cupidine tumentique fastu Marsilium absolvunt: quod oppido rarum est in eo homine, cujus adhuc vivi magnum jam & memorabile nomen fuit, qui summorum favorem meruit virorum, quique tot monumentis ære perennioribus inclaruit. Ne quid nunc amplius dicam de ejus tranquillissima morum temperie, laudabili æquanimitate, & indefessa industria, quæ ex superius memoratis jam patent. Pietatis in Deum haud pauca in nostri scriptis extant vestigia: nec facile quid in fervida ejus & devota oratione desideraverint vel rigidissimi censores, qua Deum se quotidie compellare *(k)* meminit, ut suæ vulgeat menti, & voluntati faveat. Quamquam nec hoc inficiandum est, ad superstitionem Ficinum fuisse aliquanto procliviorem, & vanitatibus astro-

(k) Integra ea legitur Epist. L. I. f. 33.

astrologicis nimis addictum: quod tamen seculi illius genio adscribendum esse arbitror, quo magna quidem literis oriebatur lux, at densissimæ tenebræ religionem obscurabant. *Rei philosophicæ nimium deditus*, Henrico Whartono (*l*) indice, *religionis & pietatis curam posthabuisse dicitur, donec Savonarolæ Florentiam advenientis eloquentiam admiratus, concionibus ejus audiendis animum adjecit, dumque flosculis Rhetorices inhiavit, pietatis igniculos recepit: reliquamque dein vitam religionis officiis impendit.* Notissimus est hic familiæ Dominicanæ Monachus per δυσφημιας & ἐυφημιας, qui jussu Alexandri VI. Pont. Max. Florentiæ A. 1498, primum strangulatus ac deinde cum duobus sociis crematus fuit (*m*). Licet vero diversissima de eo (*n*) prostent judicia, hoc tamen

E 5 nega-

(*l*) In Append. ad Hist. liter. Script. Eccles. Gu. Cavei f. 112. Idem fere L. E. Du-Pinius Biblioth. Eccles. Tom. XIV. p. 111. memorat.

(*m*) Ejus vita a Jo. Francisco Pico Mirandulano descripta, inserta est collectioni Batesianæ pag. 107. sqq.

(*n*) Præter innumeros alios consuli de eo possunt Naudæus in Apologia magnorum virorum, magiæ postulatorum, Gallice scripta p. 319. sqq. edit. Amstelod. 1712. Petrus Bayle in Dictionario Historico & Critico f. 3058. editionis tertiæ. & Jo. Franc. Buddeus in Diss. de artibus tyrannicis Hieronymi Savonarolæ, ejusque Retractatione, quæ utraque Parergis ejus historico-theolog. p. 277. sqq. indita est.

negari nequit, optimum fere quemque ab ejus tum ſtetiſſe partibus, illumque maximo cum bonorum luctu neci datum eſſe. Hac occaſione verba Ficini (*o*) referre placet, e quibus, quanti Savonarolam fecerit, palam eſt. Videlicet in epiſtola ad Jo. Cavalcantem A. 1494. d. 12. Dec. data plenius de eo, cur divina providentia permittat adverſa, deque vaticiniis & remediis malorum diſſerit, virumque hunc ſibi amiciſſimum tandem ſic compellat: *Nonne propter multa delicta poſtremum huic urbi hoc autumno exitium imminebat? nulla prorſus hominum virtute vitandum? Nonne divina clementia Florentinis indulgentiſſima integro ante hunc autumnum quadriennio nobis iſtud praenunciavit per virum ſanctimonia ſapientiaque praeſtantem Hieronymum ex ordine Praedicatorum, divinitus ad hoc electum? Nonne proſagiis monitisque divinis per hunc impletis certiſſimum jam jam ſupra noſtrum caput imminens exitium, nulla prorſus virtute noſtra, ſed praeter ſpem opinionemque noſtram mirabiliter evitavimus? A domino factum eſt illud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Reliquum eſt, optime mi Joannes, ut deinceps ſalutaribus tanti viri conſiliis obſe-*

(*o*) Epiſt. L. XII. f. 197.

obsequentes, non solum ego atque tu, sed omnes etiam Florentini, Deo nobis clementissimo grati simus, & publica voce clamemus: Confirma opus hoc Deus, quod operatus es in nobis.

§. 19.

Auriculas asini quis non habet? vere pronunciat Persius: adeoque nec in Marsilio desunt, quæ jure quodam suo carpenda veniunt. Mentem ad superstitionem proniorem jam tetigimus: nunc & alia quædam candide recensebimus. Pudendæ adulationis notam ipsi inurunt nonnullæ ejus epistolæ. Sic ampullosis assentatiunculis Sixti IV. Pont. Max. gratiam aucupari annisus, hisce inter alia ipsi supparasitatur (*p*): *Hic omnes Christianorum populi proclamabunt: quis nam est iste? cui tam facile obtemperant elementa, cui sidera parent. Hic est profecto legitimus ille clementissimi Christi vicarius, qui clavibus acceptis a Christo statutis ab eo temporibus Jani Plutonisque ostia claudit —— Sixtus sublimis theologiæ Phœnix, excelsas Palladis arces ante alios possidens, divinum ibi oraculum in singulis consulit. —— Cantate Sixto canticum novum*, & reliqua, quæ exscribere tædet. Forte tamen

(*p*) Epist. L. VI. f. 115.

tamen ex hoc capite excusari posset Ficinus, quod hæc indifficillimis patriæ suæ temporibus gravissimisque calamitatibus effuderit. Scripsit enim eas literas A. 1478. mense Decembri, posteaquam Laurentius Medices a Pontifice diro anathematis fulmine perculsus, graveque contra Florentinos bellum a Papa & Ferdinando Neopolitanorum Rege decretum esset. Earum calamitatum causas atque originem ex Jacobo Philippo Bergomate (*q*) paucis narrabimus. Franciscus Salviatus, Florentinus civis & Archiepiscopus Pisanus, multarum machinationum artifex, conjuratione contra Medicæam familiam inita, Florentiam magno comitatu venit, ibi per eos, qui sceleris conscii erant, Laurentium & Julianum fratres medices aliosque ex optimatibus interfici curaturus. Quare urbis Magistratu ad solemnem missam in

(*q*) Supplement. Chronic. f. 310. edit. Venet. A. 1513. Hac de conjuratione brevem commentarium Latine ornatissime perscripsisse Angelum Politianum, ex Vossio commemorat. W. J. Clausius in ejus vita. p. 70. conf. Raph. Volaterrani Geograph. Lib. V. qui nam conjurationem ipso Sixto IV. Pontifice conscio & adjuvante initam esse narrat, illiusque speciales quasdam circumstantias curate persequitur. adde Steph. Forcatulum de Gallorum Imperio & Philos. L. IV. p. 234. & Fr. Hotomanni Brutum Fulmen Sixti V. p. m. 172. nec non Historiæ Florentinæ Scriptores.

in S. Liberatæ templo celebrandam invitato, in ipsis sacris Julianus nutu illius obtruncatus fuit: Laurentius vero, vulneribus acceptis, ut erat vir prudentissimus, e sicariorum manibus elapsus: fuga sibi consuluit. Florentini igitur, Archiepiscopi fraude cognita, multis conspirationis hujus consciis, trucidatis, eum cum plurimis comprehensum in medio urbis foro, ipso episcopali habitu ornatum, ignominiose suspenderunt. Quas ob res Sixtus Laurentium excommunicavit, omnibusque dignitatibus privavit, cum Ferdinando Rege bellum Florentinis indicens. Verum re deinceps curatius cognita eum cum Florentinis absolutum, in pristinos honores restituit. (†) Hoc itaque tempore Marsilius supplices istas ad Romanorum sacrorum arbitrum literas pro Mæcenate suo Laurentio & patria urbe exaravit, animum ejus assentatiunculis & adulatorio sermone expugnandum ratus. Præterea communi fere illius ævi labe majestas Pontificis propemodum divina haberi solita est. Quid? quod Patroni ærumnæ etiam in clientis Ficini caput ruisse videntur. Parum enim abest,

(†) Alii tamen Florentinos, Ferrariæ Duce in belli societatem adscito, Papam ad revocandam excommunicationem minis armisque compulisse volunt.

abeſt, quin noſtri quoque res in maximo tum verſatas fuiſſe diſcrimine credam (*r*). Hinc ergo illæ lacrymæ! ſed ad alia properat calamus. Niſi de Marſilii pietate aliunde mihi conſtaret, facile in eam ingrederer ſuſpicionem, profana illum mente fuiſſe præditum. Turpiter enim nonnunquam abutitur divinæ Scripturæ oraculis cujus quædam tibi nunc ſpecimina exhibebimus. *Fuit apud nos*, ſcribit ad Sixtum Pontificem (*s*); *hactenus Nicholinus Antiſtes plenus gratiæ & veritatis, homo nuper iſthuc miſſus a Deo, cui nomen eſt Joannes. Hic Romam venit in teſtimonium, ut teſtimonium nobis inde perhiberet de numine Sixti, quam gratioſa mente Sixtus noſter filiam ſuam Florentiam complectatur —— O legitimum Petri Apoſtoli Succeſſorem, o verum hominum piſcatorem. Proinde ſi dicere fas eſt, in hoc uno retium jactu videtur quodammodo Petrum ipſum ſuperaviſſe: non enim centum quinquaginta tres piſces hic cepit, imo fere, quodcunque Arnus alit æquorque Piſanum &c.* In proemio in Jamblichum his ineptiſſime utitur (*t*) verbis: *Eſt homo Flo-*

(*r*) vid. Epiſt. L. VI f. 116. (*s*) l. c. f. 115.

(*t*) Epiſt. L. IX. f. 159. Puduit profanæ hujus parodiæ eum, qui verſionem Jamblichi, aliorumque Platonico-

Florentiæ missus a Deo, cui nomen est Joannes, heroica Medicum stirpe natus: hic venit in testimonium, ut de summa patris sui magnanimi Laurentii apud omnes auctoritate testimonium perhiberet. Huic ergo & tu, precor, (Jambliche) *de singulari meo erga eum amore testimonium perhibeto.* En turpissimam adulationem, & profanum divini oraculi abusum! sed pejus adhuc luxuriatur in procemio Procli & Porphyrii (*u*): Deus,„ omnipotens Joanni Bicio Medici —— quasi„ cuidam Abrahæ, quantum fas est confer-„ re, quondam promisisse videtur: proles,„ o Joannes tua fulgebit in seculum, sicut„ stellæ cœli, seminibus tuis benedicent po-„ puli, in semine tuo tandem benedicentur,„ omnes

nicorum, a Ficino factam cum ejus opusculo de voluptate Venetiis in ædibus Aldi A. 1497. excudi curavit. Nam ibi hæc verba in Dedicatione ad Joannem Cardinalem Medicem prorsus omissa sunt.

(*u*) Epist. L. IX. f. 159. Integra hæc dedicatio, ad Joannem Medicem directa, impiis istius modi lusibus scatet, ab Aldo in laudata Editione Veneta prorsus omissa. Ἐν παρόδῳ tamen notare juvat, Ficini divinationem de summi pontificatus honoribus, aliquando in Joannem conferendis, non fefellisse. Paulus Jovius quoque in Vita Leonis X. Lib. III. Marsilium, quem eximiæ autoritatis astrologum vocat, ex fortunata & regia genesi Joanni Medici sacrorum principatum, quum adhuc esset puer, nec plane sacris initiatus omnino detulisse refert.

„omnes gentes: hæc illi Deus. Semina „vero Joannis, quibus benedicunt populi, „Cosmus quidem primo, deinde Petrus „Cosmi filius, tertio magnanimus Laurentius Petro natus: Semen autem Joannis „ejusdem, in quo benedicentur omnes gen„tes, est Joannes Laurentio genitus, cui „adhuc adolescentulo divina providentia „mirabiliter Cardineam contulit dignitatem, „futuri pontificis auspicium, in quo quidem „vice Christi benedicantur omnes gen„tes &c.„ Sic penitus transversum egit nostrum adulandi libido. Sed & nimius Platonicæ sectæ amor quandoque illum eo adegit, ut hac ratione insaniret. Ita verbi causa in præfatione, Plotino præmissa, auditores & lectores suos his affatur: *Vos Platonem ipsum exclamare sic erga Plotinum existimetis: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi undique placeo, ipsum audite.* Epistolam vero de concordia Mosis & Platonis ad Braccium Martellum (*x*) hac coronide obsignat: *Tu vero, postquam Academiam ingressus mysteria hæc ab his heroibus intus acceperis, ac insuper alia plura atque majora, quæ non capit epistola, forsitan Petri voce clama-*

(*x*) Epist. L. VIII. f. 144.

clamabis: Bonum eſt hic eſſe, faciamus tria tabernaculorum millia. Plura hujus generis (y) referre nolo, ne & tibi & mihi moleſtus ſim.

§. 20.

Cæterum res nota & pervulgata omnibus eſt, Marſilium ſtudioſiſſimum Platonicæ Scholæ ſectatorem, ſummumque ejus admiratorem fuiſſe. Noli autem a nobis exſpectare, ut hypotheſes, quas foverit, jam prolixe repetamus: integrum enim Platonicæ philoſophiæ ſyſtema nobis explicandum foret. Generatim vero hoc de ipſo ſalva veritate pronunciare nos poſſe confidimus, opiniones eum ſuas adeo tenebricoſis allegoriarum involucris & dicendi genere plusquam poëtico, qui fere Academicorum mos erat, plerumque proponere, ut ſæpe, an ſeipſum intellexerit, valde dubitem. Ipſe Ficinus hanc ſuam in ſcribendo obſcuritatem haud diffitetur, in literis ad Loctarium Neronium (z) A. 1477. d. 15. Apr. exaratis, *Quantum*, inquiens, *ab initio ſtudiorum meo-*

 rum

(y) cf. Epiſt. L. VIII. f. 131. L. VI. f. 129. L. IX. f. 162. L. V. f. 109.

(z) Epiſt. L. IV. f. 82. Poëtici vero, quo uſus eſt, dicendi generis rationes reddere annititur L. III. f. 65.

rum mea mihi verba ſcriptaque placebant omnia, tantum ferme deinde in dies mea mihi omnia diſplicent. Scribere tamen nonnihil quotidie neſcio quo ſive fato ſive ſpiritu vel invitus impellor. Ergo id mihi primum ſemper eſt in ſcribendo propoſitum, ut quam minime Marſilium cæterosque offendam, quam breviſſime loqui. Sed dum nimia brevitate ſtudeo prolixitatis devitare faſtidium, interim obſcuritate quadam nonnunquam quodammodó confundo me ipſum, certe alios ſæpe perturbo. Hoc autem jure iis ſolet accidere, qui modum in rebus tenere non didicerunt. Solenne quoque ipſi Platonicorum ritu eſt, abdita ubique crepare myſteria: immo nonnunquam ejus ingenium uberiori phantaſia abreptum ita luxuriatur, ut fere in fanaticorum claſſem conjici mereat. Haud enim rarum eſt ipſi, raptus quosdam & viſiones, vaticiniaque ac ſomnia divinitus ſibi inſpirata jactare, niſi forte oratorum & poëtarum conſuetudine hæc finxiſſe dicendus ſit (*a*). Effuſo vero ejus & immodico in Platonem aliosque veteres

(*a*) Vide tamen egregium, quod haud ita pridem elegantiſſimi vir ingenii D. Jo. Laurentius Moshamius, Theologus nunc Helmſtadienſis, de Platonicis tulit, judicium in pereruditâ de felicitate eorum, qui pura mente ſunt ad Matth. V. 8. diſſertat. primitiis ejus Juliis inſerta, p. 20.

teres studio tribuendum est quod Dialogum illius, qui Critonis titulo insignitur, religionis Christianæ fundamentum continere in præfamine ipsi præmisso dixerit, magnamque in præcipuis Mosis & Platonis ejusque sectatorum concordiam videre sibi visus fuerit *(b)*. Trinitatis equidem mysterium in ipsis Platonis libris nunquam esse prudens *(c)* fatetur, sed nonnulla verbis quidem, quamvis non sensu, quoquo modo similia: similiora vero in sectatoribus ejus, qui post Christum natum floruere. Nec adeo mirum est, nostrum philosophorum ante Christi adventum salutem propugnasse. Quod quibus rationibus fecerit, breviter jam nobis exponendum est. Scilicet *(d)* præcepta Mosaica in duo apud Theologos genera distingui, alia ad naturale moraleque jus pertinere, alia ad ceremonias & judicia bene asserit. Prima illa a Deo Mosi data esse atque populo, secunda Mosen ipsum constituisse divinitus inspiratum: rursus prima omni hominum generi semper servanda mandari, secunda Judæos solos adstringere,

 vide-

(b) Epist. L. VIII. f. 144. Magno conatu post Ficinum præter alios hoc agere allaboravit Augustinus Steuchus Eugubinus in Libris de perenni Philosophia.

(c) Epist. L. XII. f. 193. *(d)* Epist. L. V. f. 111.

videlicet usque ad Messiæ ipsius adventum: prima adeo communia esse, ut cuique etiam minus liberaliter instituto vel solo naturali judicio cognita esse potuerint. Pithagoram igitur, Socratem, Platonem atque similes alios Dei unius cultores optimisque moribus institutos, ejus modi sive Mosaica sive naturali disciplina inferos devitasse, superna vero sine superni Christi gratia mereri non potuisse: ea propter in mediam quandam regionem perlatos, in ipso Limbo de Messiæ adventu sive per prophetas, similiter ibidem servatos, sive per angelos certissimos esse redditos, atque hinc gentiles pariter ac Judæos sub ipsa Christi spe primum, deinde præsentia Christi superos repetiisse. Alibi vero (e) ita deliravit Marsilius, ut Socratem dulcissimi nostri Servatoris typum constituere haud erubuerit. Quanquam enim præfamine & colore quodam hanc insaniam velare velit, reipsa tamen illum præsignavisse Christum censet. *Nisi vererer*, scribit ad Paulum Ferobantem, *fore nonnullos, qui vel pravitate ingenii vel parvitate judicii alio, quam nos loquamur, sensu captent singula, demonstrarem Socratem etsi non figura qua Job atque Joannes Baptista, tamen adumbratione forte quadam Chri-*

(e) Epist. L. VIII. f. 144.

Christum salutis auctorem quasi, ut ita loquar, præsignavisse. Posthæc comparationem Socratis cum Sospitatore nostro instituit, eumque sapientissimum, magnorum philosophorum & Apollinis oraculo judicatum, singulari mentis excellentia, divinitate insuper vaticinioque ingenito æterna bona caducis præposuisse, incommodaque corporis, inediam, nuditatem atque fortunæ mala ultro sustinuisse, uni pietatis charitatisque intantum officio, propria negligentem commoda nulloque deterritum periculo tanquam animorum medicum mentibus hominum ubique purgandis incubuisse, mansuetudinem & charitatem aliasque virtutes, ambitiosa scientiarum professione exclusa, commendavisse, divinis ubique nisum testimoniis, nullum præmium humanum sperantem, certo periculo & morti se subjecisse, ab iis ipsis tandem impietatis accusatum, quibus ipse palam pietatis officium prædicaverit, in judicio se, cum potuisset, non defendisse neque excusasse, & cum e carcere abire quivisset, noluisse tamen, injustamque necem libentissime, summæ constantiæ patientiæque posteris exempla daturum, sustinuisse, non alio consilio tradit, quam ut eum insano ausu cum Christo conferat. Ultra

hæc Chriſti figuram inveniſſe ſibi videtur in triginta nummorum pretio de Socrate facto, ipſius Socratis vaticiniis, & vindicta divinitus ejus necem ſubito conſecuta; lotione veſperi paulo ante obitum inſtituta a Socrate, exhortationeque ejus ad pietatem hora cœnæ. *Quid? quod*, exclamat Marſilius, *in eadem hora de calice atque benedictione & in obitu ipſo de Gallo fit mentio! Mitto præterea*, addit, *multa Socratis tam facta quam dicta, non ab ipſo quidem, ſed a diſcipulis ejus quatuor præcipue ſcripta.* Ut nimirum ſic quatuor Evangeliſtas præſignificatos eſſe ſcias, quamvis hæc non diſerte exprimat Ficinus.

O Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit!

Luciano potiſſimum ſe hæc oppoſuiſſe ait noſter, ſed eo ipſo commento dignum ſe præſtitit, quem facetus ille homo ſale ſuo acriter perfricet, naſoque adunco ſuſpendat. Verum nondum ſatis ineptiarum. Eo etiam progreſſus eſt Marſilius, ut philoſophiam Platonicam tanquam ſacram legendam in ſacris, inque templis docendam aſſeverare non dubitaverit *(f)*: imo ipſe jam ea

(f) Epiſt. L. VIII. f. 153. Haud ergo fidem excedit, quod ex Bzovii Annalibus Jo. Lomejerus Lib. de Biblioth.

ea in re aliis exemplum præivisse videtur, oratiuncula, qua id suadet in ædibus sacris habita. Quid autem, quæso, per febrim somniari ineptius unquam posset? adeo verum est, quod Tullius olim *(g)* dixit: *Nescio, quomodo nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum.* Sed his longius immorari nolo. Verbulo duntaxat meminisse liceat, nostrum illos, qui eodem secum in Platonem studio & amore ducebantur, suos in Platone fratres *(h)* nominavisse.

§. 21.

Antequam vero ad scripta Ficini enarranda accingar, paucis observare lubet, ejus

oth. C. IX. p. m. 177. de Ficino refert, eum, cum nullam Christi aut beatæ Virginis aut alicujus Sancti imaginem domi coleret, Platonis tamen simulacrum in cubiculo habuisse, anteque illud perpetuo dies noctesque ardentem lampadem suspendisse.

(g) Lib. II. de Divinat.

(h) Epist. L. IX. f. 157. Fratres istiusmodi Platonicos plures, præsertim Florentiæ, habuit Ficinus. Ipsi Medices aliquando natalitia Platonis solenniter celebraverunt cereali pompa, convivio opiparo, convocato doctorum cœtu, cui noster quoque interfuit. Sermones iis in epulis habiti recensentur prolixe in prolegomenis, Platonis convivio ab ipso præfixis. Franciscus etiam Bandinus genethliacum Platonis festum in urbe Florentina suis sumptibus & apparatu regio celebrasse dicitur a Ficino Epist. L. IV. f. 97.

auctoritate nonnullos eruditos in designanda exemplaris Pandectarum Florentini, toto orbe celebratissimi, ætate abuti. Nempe post primum illarum Pandectarum volumen recenti manu ex ejusdem voluminis initio repetitum inveniri Epigramma Græcum, quod plerumque digestorum editionibus præmitti solet, cum versione interlineari, refert post alios Henricus Brencmannus (*i*), testis ocularis idemque gravissimus, subscriptaque sequentia: *Epigramma hoc superius sex versum reperitur in precedenti volumine in fine tabule voluminis. Christophorus Landinus. Secretarius manu propria.* Sequitur autem in continenti eadem manu, ut laudato Brencmanno cum cura examinanti visum est: *Ego Marsilius Ficinus interfui, dum hoc reperiretur, idque manu propria scripsi, die 9. Aprilis* 1486. *Petro Berardi de Berardis sedente vexillifero justitie. Quapropter perspicuum judicamus, hoc volumen proprie fuisse ab ipso Justiniano compositum, neque solum transscriptum.* Sed pia, nimis tamen crassa fraude id confictum esse non dubitat l. c. vir doctissimus. Nec, si verba, Ficino affic̃ta, de ipso Pandectarum exem-

(*i*) In nitidissima Historia Pandectarum Florentinarum Lib. III. C. I. p. 199.

exemplari primum reperto accipere velis, patitur id ratio temporis, nisi Marsilium seculo XII. quo Pisas illud delatum est (*k*), vixisse simul absone concedas. Quanquam Jo. Mabillonius (*l*) Landinum & Ficinum iis verbis tantum testatos esse existimet, quod interfuerint, dum epigramma illud reperiretur.

§. 22.

Scripta Marsilii tot numero, tamque diversa sunt, ut iis recensendis eam, quam velim, operam præstare nequeam. Ad vitandum igitur nimie prolixitatis tædium de præcipuis duntaxat, quæ notatu non indigna nobis videbuntur, commemorabimus, nudum dein omnium ejus operum catalogum subjecturi. Eminet inter ea Platonis editio, quem integrum in Latinum primus convertit sermonem, commentariisque illustravit, vel hoc solo, si nihil aliud fecisset, nominis immortalitatem meritus. Quo autem anno, Ficino obstetricante, Platonis opera, Latine reddita, publicam lucem primo viderint, præcise determinare haud possum.

(*k*) l. c. L. I. Cap. VII. sq.
(*l*) in Musæo Italico ad diem 16. April. 1686. citat. Brencm. l. c. p. 455.

Quamvis enim jam versare manibus, Bibliotheca Memmingensium publica eam mihi suppeditante, primam illam editionem mihi liceat, anni tamen indicio ea destituta est, his tantum in fine verbis adjectis: *Impressum Florentiæ per Laurentium Venetum.* (†) Ex præfatione tamen, qua Plotinum Laurentio Medici Noster dedicavit, colligo ante annum 1490. Platonis opera in publicum prodiisse. *Quo tempore*, scribit ibi Ficinus, *Platonem Latinis dedi legendum: heroicus ille Cosmi animus heroicam Joannis Pici Mirandulæ mentem nescio quomodo instigavit, ut Florentiam & ipse quasi nesciens quomodo perveniret. Hic sane quo anno Platonem aggressus fueram natus, deinde quo die & ferme qua hora Platonem edidi Florentiam veniens, me statim post primam salutationem de Platone rogat. Huic equidem Plato noster, inquam, hodie liminibus nostris est egressus. Tunc ille & hoc ipso vehementer congratulatus est, & mox nescio quibus verbis, ac ille nescit quibus ad Plotinum interpretandum me non adduxit quidem, sed potius concitavit. Divinitus profecto videtur effectum, ut dum Plato quasi renasceretur,*

(†) Hunc eundem esse opinatur Maittaire Annal. Typ. T. I. b. 374. qui Laurentius Francisci de Alopa Venetus dictus fuit.

retur, natus Picus heros sub Saturno suo Aquarium possidente, sub quo & ego similiter anno prius trigesimo natus fueram. Ex his verbis edocemur, multorum annorum labore Platonis versionem a nostro confectam esse: verisimile enim est, Picum intra A. 1480. & 1490. primo Florentiæ Ficinum convenisse. Natus est is A. 1463. diemque supremum obiit mense Novembri A. 1494. ætatis 32. Aliquot vero annis ante inter eos amicitiam & familiaritatem viguisse, ex epistolis novi. Quin imo ex literis nostri ad Callimachum (*m*) die 8. April. 1485. scriptis conjicio, tum vel paulo ante Platonem vulgatum fuisse: nam in iis laudato amico suo eum, Latine loquentem offert. Difficilem autem Lucinam Platonis fœtus experti, inque ipso fere partu suffocati esse videntur. Epistola Marsilii ad Hieronymum Cancianum Urbinatis Ducis Oratorem (*n*) hunc gerit titu-

(*m*) Epist. L. VIII. f. 145. His jam ita annotatis, deprehendi ex Epist. L. IX. f. 162. Anno circiter 1482. vel 1483. Platonem prodiisse in lucem: ibi enim septimo ætatis suæ septennario eum se edidisse ait Ficinus, nisi forte his, tum hæc opera se prelo subjecisse, indigitet, quæ tamen anno vel biennio post eo liberari demum potuerunt.

(*n*) Epist. L. VII. f. 141. Dein L. VIII. f. 142. eidem gratias agit pro Platonis libris ab occupatore redemtis.

titulum: *Obsecratio, ut Platonis libri in Latinum a nobis translati ex ejus manibus, qui occuluerat, redimantur.* Integram eam, cum brevis sit, adjiciemus. *Divum Platonem in Ægina venditum Anniceris Cyreneus a servitute redemit, & in Sicilia in summo vitæ discrimine constitutum Archytas Tarentinus ab exitio liberavit. Platonis autem liberi eum relicta Græcia a Barbaris occupata sese in Italiam contulissent, in carcerem forte conjecti sunt, integrumque biennium, proh nefas! in vinculis detinentur. Sed ecce jam insignis pietate vir Cancianus Hieronymus a compedibus eos solvet lucique restituet. Quantum ergo quondam Cyreneo & Tarentino pro Platone Græcia debuit, tantum Canciano pro Platonis liberis debebit Italia.* Tibi divinandum relinquo, quodnam fuerit fatum Platonis operum, de quo heic loci conqueritur. Nisi tamen memoria me fallit, alicubi in Ficini epistolis legisse puto, manuscriptam versionem cum commentariis ab eo cum Federico, Urbini Duce, communicatam, & plus justo ab hoc retentam fuisse, amicorum tandem precibus ipsi vix rursus extortam; sed locus ille, summo licet studio quæsitus, nunc non succurrit. Paulo adhuc obscurius aliud sinistrum eorum operum subaccusat fatum in literis ad Carolum

rolum Ristorum (*o*) scribens: *Pius Plato noster bis diebus ab impio quodam Germano transscribebatur, qui nuper sacrilegis manibus sacrum ante aras sanguinem fudit; ille, ut ita dixerim, sacricida miles repente sacerdote caeso fugam arripuit, ipsaque fuga alterum videtur sacrilegium patravisse, dum videlicet urbanum Platonem inter rusticos relinqueret vagabundum, tertium insuper sacrilegium patraturus, si sacrum cruentis manibus Platonem reversus aliquando ausit attrectare. Da igitur operam quaeso, vir optime, ne Plato aut diutius in sylvis oberret, aut forte, quod foret crudelius, aliquando contaminatis profani illius manibus polluatur.*

Minus vero elegans est prima illa Platonis editio, charactere Gothico minuto expressa, multis praeterea mendis deturpata, quorum catalogus, a Ficino illi annexus, septem fere plagulas integras implet. Hinc noster ad Franciscum Bandinum (*p*): *Quod Platonis libri tandem ab impressoribus sint expressi, pia Philippi Valoris opera & magnifica manu factum est. Quod autem minus eleganter expressi, id partim negligentia impressorum, sic potius*

(*o*) Ep. L. VII. f. 138.
(*p*) Epist. L. VIII. f. 146.

potius oppressorum, partim si dictu fas est, malignitate fortunæ nobis accidisse putato. Doles autem, quæ tua pietas est, senem hunc nostrum ad vos sqalidum accessisse. Desine precor mi Bandine dolere. Sic enim & natura comparatum est & sorte datum, ut qui e carcere diuturno solvuntur, profundisque tenebris eruuntur, squalentes prodeant, macieque confecti. Alibi vero Laurentium Medicen in literis ad Martinum Uranium (*q*) A. 1491. d. 24. Nov. exaratis celebrat, quod magnifico sumtu formaque regia Platonis libros eleganter denuo exprimi jusserit; simulque se pro viribus curaturum, ut emendatior sit expressio secunda quam prima, librosque singulos in capita distincturum, & inscriptionibus certissimis tanquam formulis declaraturum promittit. Aliam quoque editionem Venetiis curari, eodem anno ad eundem mense Julio (*r*) meminit: & hæc illa est, quam Whartonus loco sæpius citato annotat. Multoties vero Ficini versio deinceps recusa est, quod ex Summi Polyhistoris D. J. A. Fabricii Biblioth. Græc. Lib. III. C. I. p. 33. patet.

§. 23.

(*q*) Epist. L. XI. f. 178. cf. L. X. f. 171.
(*r*) Epist. L. XI. f. 177.

§. 23.

Non possum hic silentio prætermittere, quæ idem nunquam satis deprædicandus D. Fabricius l. c. memorat, ad hujus versionis historiam omnino pertinentia. Nempe dicitur Ficinus translationis suæ primum specimen ostendisse Marco Musuro, & ejus censuram rogasse. At hic inspecto Ficini labore, digitos atramento protinus immersit, iisque prima Ficinianæ versionis pagina obliterata demonstravit, alia versione opus esse, hanc nonnisi una litura posse emendari, ut refert Menagius T. II. Antibailleti p. 157. Itaque Ficinus denuo rem majori studio adorsus, illam, quæ in omnium manibus versatur, composuit Platonis versionem. Hæc vir laudatus. Ut vero scias, quanta solicitudine, quantaque industria Marsilius in altera illa versione conficienda usus fuerit, ipsa ejus verba appingam, quibus lectorem suum ita affatur: *Ne forte putes, tantum opus editum temere, scito cum jam composuissem, antequam ederem, me censores huic operi plures adhibuisse, Demetrium Atheniensem, non minus philosophia & eloquio quam genere Atticum, Georgium Antonium Vesputium, Joann. Baptistam Boninsegnium, Florentinos, Viros Latinæ lin-*

linguæ Græcæque peritissimos, usum præterea acerrimo Angeli Politiani doctissimi viri judicio, usum quoque consilio Christophori Landini & Bartholomæi Scalæ, virorum clarissimorum. Nec certe laude sua defraudandæ sunt hæ Ficini vigiliæ, etsi, ut sunt hominum res, omnes numeros non habeant. *Multam quidem*, censente doctissimo autore historiæ philosophicæ doctrinæ de Ideis (*s*), quem Jac. Bruckerum Augustanum esse novimus, *Platonica philosophia Platonisque operibus impendit operam, indeque magnam laudem meruit: sæpe tamen ubi litera sententiæ suæ non favet, nescio quæ mysteria allegoriarum subsidio quærit, totusque Platonis amore captus est, unde ei non omnino fidendum esse monet Franc. Picus* de Vanit. Astr. L. V. C. 6. *& post eum Jo. Baptista Crispus* in rarissimo opere de Ethnicis Philosophis caute legendis Distrib. II. L. VI. p. 270.

§. 24.

Platone absoluto, Plotinum, Jo. Pico Mirandulano potissimum instigante, aggressus, eum Latino Idiomate publicæ luci exposuit A. 1492. Auspiciis quidem & sumtibus

(*s*) pag. 33. 34.

tibus Laurentii Medicis, magni illius herois & Musagetæ, cui etiam consecratus est, excudi cœptus, prelo tamen demum exiit, eo jam fatis functo, quod ex allocutione Marsilii ad Petrum filium, ad calcem subjecta, perspicimus. Præmissa est vita Plotini, a Porphyrio composita, & a nostro traducta, nec non isagoge satis prolixa in ejus opera, qua in faciliorem illorum lectionem nos introducere, eaque subinde illustrare satagit Ficinus. In fine hæc verba leguntur: *Magnifico sumtu Laurentii Medicis Patriæ Servatoris impressit ex archetypo Antonius Miscominus Florentiæ Anno MCCCCLXXXXII. Nonis Maji.* Vere splendida est hæc editio, nitidissima charta & perquam elegantibus typis lectoris oculos jucunde adficiens, magnificentiæ Mediceæ monumentum, quibusvis imaginibus statuis marmoribus illustrius, ut parum absit, quin de hac editione dici posse existimem, quod de Josephi & Philonis operibus in Gallia & Germania excusis pronunciavit (*t*) Michael Neander, ea scilicet scripta adeo pulchris typis esse expressa, ut si angelis tales literæ pingendæ essent, non sint picturi & effecturi pulcriores. Interea vero temporis

(*t*) In præfat. Theologiæ Bernhardi & Tauleri præmissa.

poris, dum in Plotino transferendo, & commentariis illustrando occupatus esset, alia quoque emisit opera, præsertim versiones veterum quorundam autorum, quæ hoc intervallo lucem adspexisse primum videntur. Procemia enim in Theophrastum de anima (*u*), Synesium atque Psellum (*x*) &c. A. 1489. conscripta sunt. Junctim vero dein, politissimo habitu induti, ex ædibus Aldi Venetiis A. 1497. mense Septembri in fol. prodierunt ex Latina Ficini versione Jamblichus de Mysteriis, Proclus de anima & dæmone, sacrificio item & magia, Porphyrius de divinis atque dæmonibus, Synesius de somniis, Psellus de dæmonibus, Theophrastus de anima, phantasia & intellectu cum Prisciani & Marsilii expositione, Alcinous de doctrina Platonis, Speusippus de Platonis definitionibus, Pythagoræ aurea verba & symbola, ac Xenocrates de morte (hunc tamen librum Æschini Socratico alii tribuunt): additus est quoque Marsilii Liber de voluptate, ab ipso adhuc juvene concinnatus, in quo varias philosophorum de voluptate sententias brevi sermone percurrere satius esse duxit, quam suam exprimere. De his

(*u*) Epist. L. IX. f. 159. (*x*) l. c. f. 160.

his vero Ficini versionibus nihil annoto, nisi unum hoc, quod ipse Jamblichum se non ad verbum expressisse sed ad sensum dicat (y), non tam, quod tunc in Plotini commentariis totus fuerit occupatus, quam quod unicum ejus habuerit exemplar, mendarum & fragmentorum plenum. Habentur autem ex ejus quoque translatione Dionysius Areopagita, Mercurii Trismegisti (†) Pæmander & Asclepius, Athenagoræ Atheniensis de Resurrectione Excerpta. De ratione vero interpretandi, quam tenuit noster, Petrus Daniel Huetius (z) sic judicat: *Marsilium Ficinum religiosum & fidelem dicit Nannius, summaque cura verbis institisse, sententiam quoque reddidisse, in indole vero defecisse: nos aliter judicamus, nam verborum quidem curam negligit Ficinus, sententias dilatat nonnunquam, vel contrahit, id quod alibi sæpe, maxime vero in Trismegisti interpretatione deprehendas.*

(y) Epist. L. IX. f. 163.

(†) Trismegistus Ficino interprete primum prodiit Tarvisii A. 1471. in 4. ex officina Gerardi de Lisa, notante Maittaire. l. c. p. 90.

(z) Lib. de Claris Interpret. pag. 270. edit. Stad. 1680. Idem l. c. p. 212. quædam Trismegisto falso afficta opera Ægyptiace & Græce ab eodem Hermete utriusque Linguæ perito scripta absurdissime credidisse Ficinum ait.

§. 25.

Epistolas Marsilii quod attinet, editæ sunt eæ, in Libros XII. distinctæ, Venetiis A. 1495. in fol. In earum calce hæc verba legimus: *M. F. Florentini Eloquentissimi Viri Epistolæ familiares feliciter finiunt: impensa providi Hieronymi Blondi Florentini, Venetiis commorantis, opera vero & diligentia Matthæi Capcasæ Parmensis impressæ Venetiis, æquinoctium vernale Phœbo introeunte, as. Leon. die & hora Mercurii, vigilia divi Gregorii, Anno Salutis MCCCCLXXXXV.* Aliquos earum libros jam antea prodiisse, e nonnullis locis colligo, nisi forsan in manuscripto tantum circumlatæ fuerint. De suarum vero Epistolarum ratione ipse Marsilius ad Angelum Politianum hæc (*a*) perscribit: *Circumferuntur, ut ais, epistolæ quædam meo nomine quasi Aristippicæ & quadam ex parte Lucretianæ potius quam Platonicæ: si meæ sunt, non sunt tales, si tales sunt, non meæ illæ quidem, sed a detractoribus meis confictæ. Ego enim a teneris annis divinum Platonem, quod nullus ignorat, sectatus sum. Sed facile hoc signo scripta nostra discernes ab alienis. In Epistolis meis sententiæ quædam semper pro inge-*

(*a*) Epist. L. I. f. 6.

ingenii viribus aut moralis aut naturalis est, aut theologica. Quodsi quid interdum quodammodo amatorium inest, Platonicum illud quidem & honestum, non Aristippicum & lascivum, laudes autem veræ & tales, ut exhortentur atque admoneant, non adulentur, verba pene nulla superflua: statui enim ab initio studiorum meorum semper, quam brevissime possem, scribere. Sed ut quæ mea de his epistolis sit sententia, paucis exponam ingenue, non in illarum censum referendas esse eas arbitror, quæ animum, seriis & gravioribus studiis aliquantisper sepositis, oblectamen & remissionem quandam appetentem multis pascere & demulcere deliciis queant. Hac enim virtute alias pollent eruditorum Epistolæ, ut non plura solum nos doceant recondita, sed & mira quadam jucunditate mentem legentium exhilarent atque impleant. Ego quidem literario doctorum commercio nihil animo recreando accommodatius fingi posse mihi persuadeo, & omnium fabularum Romanensium lectioni, qua alias tempus decipere mentem otio quodam refecturi solent, longe præfero dulcissima isthæc gaudia, quæ inde uberrimæ fluunt. In Ficini vero epistolis licet illas etiam delicias quæsiverim, spe tamen mea me frustratum esse sæpius

 com-

comperi. Et fateor, iis aliquoties a me guſtatis, fere eas attentius perluſtrandi deſiderium extinctum in me fuiſſe, niſi animum obduraſſem, iſto præcipue ſcopo mihi propoſito, ut inde, quæ ad viri hujus hiſtoriam, cujus cognoſcendæ avidus valde eram, attinent, omni adhibita diligentia haurirem. Pauca ſunt in his, quæ ad hiſtoriam literariam illius ævi illuſtrandam facere queant; ambagibus plerumque allegoricis ea, de quibus diſputat, propoſuit Marſilius, nebulis & caligine ſua ex induſtria tecturus, involucrisque canoras & bullatas, quas ſæpe crepat nugas obſepturus. Ne quid de tricis Aſtrologicis dicam, quibus & hic crebro ad delirium uſque indulget. Sed forte aliorum palato gratiora ſunt, quæ nobis, ut variant hominum judicia, faſtidium nauſeamque concitant. Per me ergo quivis ſuo abundet ſenſu. Has epiſtolas etiam Norimbergæ A. 1497. in 4. impreſſas eſſe, notat Whartonus l. c. conf Maittaire Annal. Typ. T. I. p. 348.

§. 26.

Nunc brevem omnium ejus operum, junctim Baſileæ 1561. duobus tomis in folio edi-

editorum, conspectum exhibebimus (*b*). Volumine primo continentur

1. De Religione Christiana & fidei pietate liber.
2. Theologia Platonica: de immortalitate videlicet animorum ac æterna felicitate Lib. 18.
3. In epistolas Pauli Apostoli commentaria (*c*) & ascensus in tertium cœlum, ad Paulum intelligendum.
4. Prædicationes aut conciones Marsilii.
5. De quinque panibus Lucæ IX.
6. De illo Pauli ad Coloss. Si consurrexistis cum Christo.
7. De duobus discipulis euntibus in Emaus.
8. De laboribus ac ærumnis D. Pauli Apostoli.
9. De passione Domini.
10. De Stella Magorum, cujus ductu pervenerunt ad Regem Israëlis jam natum.

(*b*) Ex Eliæ Ehingeri Cathalogo Bibliothecæ Augustanæ. f. 632. Hi vero tomi omnes Ficini libros complectuntur, exceptis versionibus Platonis & Plotini.

(*c*) Quicquid vero tituli opus illud in fronte gerat, nonnisi Epistolam ad Romanos explicatum dat: sunt verba Whartoni l. c.

11. De cantico Simeonis ac vera fidelium pace.
12. De creatione rerum.
13. De vita libri 3. nempe sana, longa & cœlesti.
14. Apologia, in qua de medicina astrologica, vita mundi & de magis Christum salutantibus agitur.
15. Quod necessaria sit ad vitam securitas tranquillitasque animi.
16. Epidemiarum antidotus, tutelam bonæ valetudinis continens (*d*).
17. Epistolarum Libri XII.
18. Dialogus inter Deum & animam theologicus (*e*).
19. De divino furore.
20. De felicitate.
21. Oratio ad Deum theologica.
22. Quæstiones quinque de mente.
23. Compendium Platonicæ Theologiæ.

24. Dia-

(*d*) Hunc librum Italica lingua scripsit noster. vid. Epist. L. IX. f. 160. Ab Hieronymo autem Riccio, teste Whartono, Latine versus est. Prodiit etiam Italice Venetiis 1556. hoc titulo: Il consiglio di Marsilio Ficino Fiorentino contra la Pestilentia. Con altre cose aggiunte appropriate alla medesima malatia. vid. Ehingeri Catal. p. 901.

(*e*) Hic dialogus & sequentes libelli ac orationes usque ad num. 44. insertæ quoque sunt editioni Epistolarum Ficini Venetæ A. 1495.

40. Apologi de voluptate.
41. Excerpta ex Proclo in Remp. Platonis.
42. Apologia in librum suum de sole & lumine.
43. Oratio ad Carolum Magnum Gallorum Regem.
44. De providentia, vaticiniis remediisque malorum.
45. De Sole Lib. I.
46. De lumine Lib. I.
47. De voluptate Lib. I.

Altero volumine hæc exhibentur

1. Dionysii Areopagitæ translatio una cum suis argumentis.
2. In Platonem epitomæ seu argumenta, commentaria, collectanea & annotationes.
3. In Plotini libros 54. de rebus philosophicis argumenta, quibus tota ejus philosophia comprehenditur.
4. Expositio Prisciani & Marsilii in Theophrastum de sensu, phantasia & intellectu.
5. Mercurii Trismegisti Pæmander de potestate ac sapientia Dei: item Asclepius de voluntate Dei.
6. Athenagoras Atheniensis de Resurrectione. Nunc porro usque ad num. 17.

17. sequuntur illæ variorum autorum versiones, quas Aldum Venetiis junctim vulgasse A. 1497. supra §. 24. diximus.

18. Sententiæ pulcherrimæ cum multarum rerum definitionibus, ex Marsilii Ficini operibus collectæ, & secundum ordinem alphabeti distributæ. Cæterum opera hæc prodiisse etiam Venetiis 1516. Basil. 1576. & Paris. 1641. Whartonus l. c. observat.

§. 27.

Restat, ut de libris quoque Ficini ineditis nonnihil disseramus. Nimirum in epistola ad Angelum Politianum *(f)* se Theonis Smyrnæi mathematica in Latinum convertisse sermonem narrat, physiognomiamque & oeconomica composuisse. Meminit quoque passim commentarii sui in Platonis Philebum de summo bono elaborati, quem A. 1489. d. 12. Jun. in literis ad Martinum Uranium *(g)* nondum prorsus absolutum scribit, eidem simul, Hermiam in Platonis Phædrum utcunque se traduxisse, nuncians. Hæc

(f) Epist. L. I. f. 7. (g) Epist. L. IX. f. 160.

Hæc Hermiæ versio postea in Lucæ Holstenii Bibliothecam, quæ multa habuit ἀνέκδοτα, migravit, quod index manuscriptorum ejus, Morhofiano Polyhistori (*b*) inditus, declarat. An exin in Civitatis Hamburgensis Bibliothecam, cui multos codices possessor moribundus legavit, cum aliis pervenerit, me quidem fugit. Nescio quoque, num Michael Pocciancius in Catologo Scriptor. Florent. p. 123. quem Whartonus allegat, præter hæc alia Marsilii opera hactenus non edita enumeret, quia is mihi haud ad manus est. Forte tamen anecdotis ejus accensendus erit Liber contra vana Astrologorum judicia, cujus procemium Epist. L. IV. f. 96. legitur. Inter scripta ejus juvenilia, de quibus §. 7. itidem quædam videntur esse inedita. Henr. Wharton l. c. Ficinum etiam pro Savonarola eruditissimam Apologiam scripsisse perhibet, quam parum abest, quin inter inedita referam. Operibus certe ejus junctim excusis inserta haud est. Nec unquam videre mihi contigit loca ab aliis ex illa citata. Naudæus, Bailius ac Buddeus recte quidem nostrum inter Savonarolæ hyperaspistas referunt, at nullus eorum, si recte memini, ad

(*b*) Tom. I. Lib. I. Cap. VII. p. 72.

ad librum pro isto vulgatum provocat. Forsan epistola supra §. 18. laudata ab iis indigitatur.

§. 28.

His igitur laboribus perfunctus, in fata concessit A. 1499. in villa sua Corregiana, in quam alias secedere otioque literario animum recreare suum consueverat: febre extinctus, & sepultus Florentiæ in æde S. Mariæ, teste Nic. Reusnero (*i*), qui tamen in hoc fallitur, quod Septuagenario provectiorem eum obiisse scribat. Si enim præstantissimorum virorum Auberti Miræi, Natalis Alexandri, Henrici Whartoni, J. A. Fabricii, J. F. Buddei, L. E. Du-Pinii, aliorumque authoritatem secuti, A. 1499. nostrum e vita emigrasse dicamus, annum ætatis 66. tantum attigisse patet. Gravius vero errat Janus Jacobus Boissardus (*k*), qui supremum diem

(*i*) in Elogiis Clar. Virorum. H. 7.

(*k*) in Icon. virorum doctrina illustrium. P. I. p. 156. Eleganter equidem sculptæ sunt hæ imagines a Theodoro de Bry, at plerasque non ad vivum, ut in titulo promittitur, factas esse nonnulli judicant, vid. Observat. Halens. Lat. P. IV. p. 36. Ipsa, quæ iconibus adjiciuntur, elogia quanquam haud spernenda sint, brevem vitarum delineationem præcipuorumque librorum titulos complectentia, veruntamen in multis, præsertim chronologicis, litura & correctione opus ha-

diem eum explevisse A. 1483. ætat. 71. tradit, & Hieron. Cardanus, qui octogesimo ætatis anno illum decessisse vult. (*l*). Post mortem autem Florentinis charam gratamque fuisse civis hujus sui memoriam, fidem facit Epitaphium, quo eum annis supra viginti post elapsis decorarunt, his constans versibus jambicis senariis:

En hospes, hic est Marsilius Sophiæ Pater:
Platonicum qui dogma culpa temporum
Situ obrutum illustrans, & Atticum decus
Servans, Latio dedi: fores primus sacras
Divino aperiens mentis actus numine.
Vixit beatus ante, Cosmi munere,
Laurique Medicis nunc revixit publico.
S. P. Q. F.
Anno M D XXI. (*m*).

Cinellus insuper statuam ipsi positam esse in ecclesia cathedrali Florentina (*n*) refert.

§. 29.

habent. Haud pauca quoque elogia magnam partem ex Nic. Reusnero exscripta sunt, nulla tamen ejus mentione facta, ut fere plagiariis annumerandus mihi videatur Boissardus.

(*l*) Notante D. J. A. Fabricio ad Trithenium de Script. Eccl. f. 211. In Jacobi le Long. Bibliotheca Sacra Tom. II. f. 725. edit. Paris. 1723. Ficinus obiisse dicitur A. 1489. errore forsan typographico.

(*m*) Hoc Epitaphium legitur in Reusneri, & Boissardi Iconibus, Missonii Itiner. per Italiam &c.

(*n*) Nelle Belleze di Firenze f. 49. citante D. Jo. Fabricio in Historia Bibliothecæ suæ P. III. p. 200.

§. 29.

Sed nondum rerum a Ficino gestarum finis est. Cui adhuc superstiti nullus per otium dies exiit, qui vivus, inexplebilis laborum helno, in studio & opere suo nunquam cessavit, nec post mortem statim quiescere potuit, sed Michaeli Mercato visendum se præbuit, earum rerum de quibus vivens cum ipso disputaverat, fidem facturus, si Cæsari Baronio Cardinali (*o*) credendum, cujus verbis rem, prout gesta esse fertur, exponemus. Haud inexplorata, inquit, referam,„ sed quæ complurium eruditorum virorum „ scimus assertione firmata, imo & a religio-„ sis viris ad populum pro concione sæpe nar-„ rata. Ego vero, a quo accepi, auctorem„ proferam, nempe integerrimæ fidei virum, „ Michaelem Mercatum S. R. E. Protonota-„ rium, probitate morum atque doctrina„ spectatum: ipse enim narravit de avo suo, „ eodem quo ipse nomine nuncupato, Mi- „ chaele Mercato Seniore, cui cum Marsilio „ Ficino nobilissimi ingenii viro summa in-„ tercedebat amicitiæ consuetudo, parta &„ aucta philosophicis facultatibus, in quibus„ Platonem ambo assectabantur auctorem. „

„Acci-

(*o*) in Annal. Eccles. ad Ann. 411. Tom. V. f. 371. edit. Colon. A. 1624.

„Accidit autem aliquando, ut ex more,
„quidnam post obitum supersit homini, ex
„ejusdem Platonis sententia, sed non sine
„tamen trepidatione deducerent, quæ la-
„bantia Christianæ fidei Sacramentis sufful-
„cienda essent: eo enim argumento extat
„ejusdem Marsilii ad ipsum Michaelem Mer-
„catum erudita quidem epistola (*p*) de ani-
„mi & Dei immortalitate. Cum vero inter
„differendum eorum progressa longius fuis-
„set disputatio, eam ad calcem perductam
„illo clauserunt corollario, ut juncta simul
„dextera pacti fuerint, uter eorum ex hac
„vita prior decederet (si liceret) alterum
„de alterius vitæ statu redderet certiorem.
„Quibus inter se conventis, ambo jurati
„ab invicem discessere. Interlapso autem
„haud brevi temporis spatio evenit, ut cum
„summo mane idem Michael Senior in
„philosophicis speculationibus vigilaret, ex
„inopinato strepitum velociter currentis
„equi, ejusdemque ad ostium domus cur-
„sum sistentis audiret, vocemque simul Mar-
„silii clamantis: O Michael, o Michael, ve-
„ra, vera sunt illa. Ad vocem amici Mi-
„chael admiratus, assurgens, fenestramque
ape-

(*p*) Epist. L. I. f. 1. 2. Epistola hæc dialogum inter Deum & animum theologicum exhibet.

aperiens, quem audierat, vidit post terga, „ ad cursum iterum acto equo candido, can- „ didatum: prosecutus est eum voce Marsi- „ lium, Marsilium invocans: prosecutus & „ oculis; sed ab eis evanuit. Sic ipse novi „ casus stupore affectus, quid de Marsilio Fi- „ cino esset, solicitius perquirendum cura- „ vit (degebat ille Florentiæ, ubi diem clau- „ sit extremum) invenitque eundem illa ipsa „ hora defunctum, qua eo modo auditus & „ visus est sibi. „ Hactenus Baronii verba. Ego rem narrasse contentus, quicquid ejus est, lectoris judicio permitto, hoc unicum addens, plura istius modi exempla recenseri in D. Jo. Frid. Majeri Progammate de Pacto apparitionis post mortem, D. J. A. Fabricii Dissertationi inaugurali de Recordatione animæ humanæ post fata superstitis subjuncto, ubi etiam de mortalitate hujus generis pactorum ex instituto disputatur *(q)*.

(q) Ea dissertatio publico examini subjecta fuit a viro, nostra laude majori, J. A. Fabricio, pro Licentia impetrandi summos in Theologia honores, Kilonii A. 1699. recusa ibidem 1714. Tale pactum etiam Joannes Wilmotus, Rostæ Comes, cum alio nobili & spectatæ dignitatis viro iniit. Verum quum hic nobilis in conflictu navali paulo post interemtus, nuspiam appareret, ea res in reliqua vita magnæ illi Comiti fraudi fuit.

§. 30.

Jam nihil amplius supereſt, niſi ut quædam doctorum de Marſilio Ficino judicia proferamus in medium, omiſſis iis, quæ à Thoma Pope Blount *(r)*, Tob. Magirō & C W. Eubenio (†) collecta ſunt. In eo laudando prolixus eſt Joann. Cavalcantes in epiſtola ad ipſum Marſilium perſcripta (*s*), ex qua tamen ea duntaxat verba excerpam, quæ feliciſſima noſtrum memoria fuiſſe præditum evincunt: Ad hoc etiam te reſpondere velim, unde memoria illa tot rerum capaciſſima, quæ adeo tenaciſſima eſt, ut quolibet momento ſibi omnia adſint, quæ unquam vidiſti aut audiſti, nec tantum res tenet, ſed quibus eæ geſtæ ſunt meminit tem-

fuit. Quanquam deinde tandem, Burneti rationibus victus, agnoverit, iniquum eſſe, ſi cogitaret, ſubſtantias, in alio ſtatu conſtitutas, iis legibus ac terminis non fore adſtrictas, ut propriis affectibus non imperarent; ejusmodi autem quales eas eſſe viſum foret ſummæ poteſtati, ſibique, qui adeo naturalia veritatis principia corruperat, rem adeo inuſitatam, qua convinceretur, neutiquam expectandam. Vide Roſtæ Comitis in extremis Μελέτην a Gilberto Burneto memoriæ proditam, ac Latinitate donatam a Guil. Gaesbecio. pag. 9. & 10. edit. Ultraject. 1698.

(*r*) In Cenſura celebriorum authorum. p. 492. ſqq.

(†) In Eponymologio critico p. 349.

(*t*) Epiſt. Ficini L. III. f. 70.

temporum atque locorum. Lanſelius *(t)* eum lumen ævi ſui, varia abundantique doctrina inclutum, Henr. Cornelius Agrippa commendatiſſimæ doctrinæ virum (††), Keckermannus magnum philoſophum *(u)*, Reuſnerus parvum corpore, ingenio ingentem, linguæ utriusque ornamentum ſingulare, lumen Italiæ, & patriæ decus *(x)*, Boiſſardus Græcæ & Latinæ linguæ peritiſſimum, hominem ingenii acuti & vigilantis *(y)*, Cardinalis Bona Platonicorum principem, qui fere ſolus ex Platonicis in offenſo pede percurri poſſit *(z)*, Weiſmannus Philoſophum, Theologum ac Medicum celeberrimum *(a)*. Arpe Platonis fere demortui Æſculapium, præclaris ingenii monumentis immortalitatem adeptum *(b)*, nominant. Ab Octavio Ferrario *(c)* eruditionis

(t) Diſput. Apolog. de S. Dionyſio p. 487. Tom. II. Opp. Dionyſii Areop. edit. Antwerp. A. 1624.

(††) Epiſtol. Lib. VII. p. m. 365.

(u) In Syſtemate Phyſico. p. 962. *(x)* l. c. *(y)* l. c.

(z) In Notitia Autorum Lib. de divin. Pſalm. præmiſſa.

(a) Introd. in memorabilia Hiſtoriæ Eccleſ. N. T. Tom. I. p. 1021.

(b) De Taliſmanibus & Amuletis p. 121. Politianus quoque mortui pene Platonis Æſculapium noſtrum vocavit Epiſt. L. VI. p. 226.

(c) Var. Opp. Tom. I. p. 516.

ac ſapientiæ, quæ poſtea ad exteros migravit, auctoribus, ac principibus accenſetur. Natalis Alexander (*d*) eum magnum nomen ſibi inter philoſophos peperiſſe, editis operibus clariſſimum judicat. Jacobo Philippo Bergomati (*e*) audit ingenii eminentiſſimi & prope divini vir, utriusque linguæ eruditiſſimus, ac multarum ſcientiarum locupletiſſimus Doctor, homo ſane memorabilis, moribus videlicet & ſanctimonia inſignis, ac inter Platonicos doctores facile princeps, qui excellentiam ſuæ permaximæ eruditionis immortalitati ſcriptis commendaverit. Matthæus Boſſus Veronenſis (*f*) Marſilii Ficini & Angeli Politiani ſublimia opera ſe admirari, neque intelligere ait, quid ullius generis literarum conferri poſſit eorum editionibus clariſſimisque operibus, quæ multa alter, alter vero pauciora, ſed graviſſima uterque conſcripſerit. Jo. Franciſcus Picus Mirandulanus (*g*) eum hominem omnifaria literatura redolentem, & maximum ex his, qui tum vixere, Platonicum appellat, ejusque opera patruum (Jo. Picum) in Aca-

(*d*) Hiſtor. Eccl. Tom. VIII. f. 182.
(*e*) In Supplemento Chronic. f. 317.
(*f*) In Dedicatione Recuperationum Feſulanarum, Bononiæ 1493. editarum, ad Joannem Medicem Cardinalem. (*g*) In vita Jo. Pici Mirand. p. 104. collect. Bateſ.

Academicis ſibi vendicandis uſum fuiſſe teſtatur. Simon Grynæus (*b*) his noſtrum dilaudat verbis: Probare vehementer ſtudium conatusque & pietatem Marſilii ſoleo, viri meo quidem videre optimi, qui ut philoſophiam nobis veterem guſtandam præberet patefaceretque, cum vires ſuas non ignoraret, nihil curavit, de nomine & fama ſua quid fieret, modo ſtudiis & veritati conſuleret bene: cum, qui propter utilitatem publicam ingenio cedere velit, nullus facile reperiatur. Philippus Wannemakerus (*i*) eum inter magna illa nomina, viroſque ſeriis ſcriptis claros, quos Laurentius Medices fovit, coluit, amavit, refert. Cinellus denique illum mactat elogio di Filoſofo maraviglioſo e ſingolare, e nella dottrina di Platone per tutto tenuto in ſommo onore (*k*). Nunc rivos claudo, additis tantum adhuc verſibus Angeli Politiani (*l*):

(*b*) In præfatione Platonis Operibus Baſil. 1532. editis præmiſſa.

(*i*) In Triumpho Literatorum Mediolani 1611. excuſo. p. 97.

(*k*) Citatus a Jo. Fabricio in Hiſt. Biblioth. ſuæ T. III. p. 200.

(*l*) Aliorum etiam in Ficinum poëmata leguntur in Reuſneri Elogiis, ubi quoque ejus effigies exhibetur; ſed talis, quæ hominem potius robuſtum & procerum, quam

Mores, ingenium, Musas Sophiamque supremam
Vis uno dicam nomine? Marsilius.

Et Joan. Latomi:

Hic, hic Marsilius notissimus ille Ficinus,
Totius Ausoniæ luxque decusque jacet.
In parvo ingentes qui clausit corpore dotes:
Immo non clausit, sed magis exeruit.
Quare etiam hac parva fama est angustior urna:
Ni tamen hæc potius, quem replet, orbis erit.

Nec non Julii Cæsaris Scaligeri:

Sancta anima, & cœlum tibi tu qui sæpe fuisti,
Spira in me rari flamina pura boni.
Ter cœli socia es: ter magni civis Olympi:
Ter comes in gremium pulcra recepta Dei.
Cum fluis ex astris: divi monimenta Platonis
Cum capis: & nunc te cum Jovis aula capit.

III.

---

quam tenellum & imbecillum pumilionem referre mihi videtur. Alia illius imago apud Boissardum conspicitur.

III.

Apologia pro Marsilio Ficino, Magiæ postulato.

HActenus, quæcunque ad Marsilii vitæ historiam pertinere videbantur, sedulo collegimus: restat, ut an criminis magiæ jure insimulatus sit, nec ne, æquo judicio dispiciamus. In hac autem re versabimur sine ira ac studio, quorum causas procul habemus. Operæ vero pretium facere ii mihi videntur, qui in hujus farinæ accusationum veritatem solicite inquirunt. Sæpiuscule enim viri, inclutum nomen varia ac multiplici doctrina adepti, obtrectatorum invidia diversorum criminum suspicione sunt gravati immerito, quorum patrocinium suscipere, ingenui esse hominis censeo, ita tamen, ut nulla veritati vis inferatur. Egò sic animatus sum, ut, cum livorem optimis plerumque viris nubila prætendere crebra me edocuerit experientia, semper de istiusmodi accusationibus judicium meum suspendere soleam, donec argumentis evidentibus & insuperabilibus eas evictas cognoscam, illius Phædrini (*a*) memor:

(*a*) Lib. III. Fab. XLIX.

Opinione alterius ne quid ponderes,
Ambitio namque diſſidens mortalium
Aut gratiæ ſubſcribit aut odio ſuo.
Erit ille notus, quem per te cognoveris.

Superſedere vero poſſemus hoc labore, ſi Gabrieli Naudæo, ſtrenuo tot præſtantium virorum vindici, noſtrum ab ea culpa liberare placuiſſet: ſed quum hoc ab illo factum haud ſit, a nobis jam tentabitur. Indagandus vero eſt primo omnium iſtius criminationis fons, qui, niſi vehementer fallor, liber ejus de vita cœlitus comparanda fuit. Scilicet ſcripſit Ficinus tres de vita libros, quorum primo de ſtudioſorum ſanitate tuenda, ſecundo de vita producenda, tertio de vita cœlitus comparanda agit. Primo illi junctim prodierunt A. 1489. Licet enim editioni illi, quam in manibus teneo, non adſcripta ſit anni, loci & typographi nota, eo tamen tempore eam vulgatam eſſe, ex Apologia iſti adjecta, & dicto anno d. 15. Sept. in agro Caregio exarata conjicio. Recuſi ſunt deinde ſæpius hi libri (†) ac Argentorati quoque in Germanicum converſi

(†) Anno ſtatim 1494. Joannem Menchen, Sacerdotem Colonienſem & Juris Canonici Profeſſorem novam eorum editionem curandam ſuſcepiſſe, ipſe refert Ficinus Epiſt. L. XII. f. 193.

versi sermonem cum Hieronymi Brunschwicks Arte distillandi A. 1515. lucem viderunt (*b*), nisi forsam ibi duæ saltim priores ejus operis partes translatæ exhibeantur. Haud inficiandum est, varia egregia & suo constantia pondere monita hisce libris inspersisse Marsilium, atque adeo non paucorum laudes inde retulisse. Unum allegabo Antonium Nigrum Uratislaviensem, ad Joachimum Camerarium (*c*) ita scribentem: *Profuturus tibi esset judicio meo liber Marsilii Ficini, qui de sanitate tuenda post Galenum optime scripsit, multa sane præcepta utilia valetudini tuæ inde excerperes.* Nec tamen negare ausim, librum cum primis tertium de vita cœlitus comparanda, diversa continere paradoxa, quæ variis contra autorem suspicionibus causam præbere queunt. Ipsi certe Morhofio *liber iste magici aliquid sapere videtur: docet enim,* inquit (*d*), *in eo, quomodo vita nostra instituenda sit, ut astrorum nobis assignatorum constitutioni sit conformis: in eo libro per imagines astrologicas mira se facturum confidit, quem se refutaturum fuisse dicit Jo. Franc. Picus Mirand.* Lib. VII.

(*b*) Vid. Ehingeri Catal. Bibl. August. f. 347.
(*c*) cf. L. III. Epistolarum Eobani Hessi & aliorum, a Joach. Camerario editarum. L.
(*d*) Polyhist. Tom. II. L. I. C. VII. n. 15. p. 38.

VII. de rerum prænotione C. 10. *nisi ob singularem cum illo amicitiam intermisisset.* An alio adversus nostrum, quem inter magos retulit, armorum genere utatur Leonardus Lessius (*e*), ii viderint, quibus ejus scripta ad manus sunt. Ex ipsius Ficini Epistolis colligo, ejus inimicos ex hoc de vita coelitus comparanda libro, cùm vix prelo exiisset, illum apud Summum Pontificem suspectum reddere annisos fuisse. Amicorum igitur & Mœcenatum contra hostium insultus patrocinium ipsi implorandum erat. Præsertim vero ab Hermolao Barbaro, ut Papæ vitam suam h.e. libros de vita de meliori commendaret, suamque strenue ageret causam, literis A. 1490. d. 15. Maji (*f*) majorem in modum petiit atque contendit. Ad Antonium autem Calderinum, quo ad benevolentiam Marci Cardinalis sibi conciliandam parario ùtebatur, eodem mense hæc de iis (*g*) perscribit: *Quicunque non perturbata mente, sed judicio sano nostra legerit, plane perspiciet, quam sincero consilio, quam pia mente, quanta religionis veneratione conscripserim. Præterea cognoscent literati omnes, quantum debeant favere libris nostris, literatorum vita*

(*e*) Vid. Th. Pope Blount Censuram Autorum. p. 493.
(*f*) Epist. L. X. f. 166. (*g*) l. c. f. 167.

vita diligentissime considentibus. Haud vero in levi famam fortunamque Marsilii tum versatam esse discrimine, vel exinde patet, quod superatis difficultatibus de Pontificis gratia certior factus *(h)*, verbis vix exprimere valuit, quantum iis, qui patrocinium sibi praestiterunt, deberet. Ampullosis loquendi formis, quibus alias quoque eum delectatum saepe fuisse illius me docent epistolae, vel hac ratione lectu minus jucundae, istorum in se merita depraedicat. Ut speciminis loco aliqua recitem, en verba ad Rainaldum Ursinum Archiep. Florent. *(i)*; *Salve diu, salve semper pastor bone, salus ovium: pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis, ut eas pascet & tueatur a lupis. Ita tu nuper agnum tuum Ficinum pie admodum ex voracibus luporum faucibus eruisti, & Saturno jam nos graviter invadenti tu quasi Jupiter es oppositus.——Quoniam vicarius ejus* (Jovis coelestis) *Summus Pontifex vestra opera nobis aspirare coepit, opto cum non solum aspirare nobis, verum etiam ipsum spirare diu. Itaque si ejus genesin intelligerem & corporis habitudinem, & a quo morbo medici huic maxime timeant, confectionem vel medicinam aliquam dili-*

(*h*) cf. praecedentis commentationis §. 15.
(*i*) Epist. L. X. f. 167.

diligenter excogitarem diuturnæ vitæ atque prosperæ valetudini profuturam. Ut vero missis ambagibus nunc candide dicam, quod res est: meo quidem judicio Marsilius Magiæ falso postulari, at ineptæ anilisque superstitionis reus juste agi videtur. Scilicet idem nostro contigit, quod aliis pluribus, qui Astrologiæ judiciariæ nimium statuere pretium, eique exercendæ operam addixere suam. Non raro ejus generis homines in magiæ suspicionem incidisse ipse fatetur Naudæus *(k)*. Ut autem jam tibi nostræ, quam de Ficino tulimus, sententiæ veritatem probemus, ejus mentem, & quas foverit, opiniones breviter ex libro de vita cœlitus comparanda delineabimus. Eo Plotini de favore cœlitus hauriendo librum illustrare satagit, prout in dedicatione ad Matthiam Corvinum, Pannoniæ Regem, testatur. Timidiori animo Marsilium hoc opusculum divulgasse colligo ex ejus protestatione, præfationi subjecta, qua in omnibus, quæ hic aut alibi a se tractantur, tantum se assertum velle innuit, quantum ab Ecclesia comprobatur. Evincit id etiam Apologia, huic libro annexa, in qua de medicina, astrologia, vita

(*k*) Apologie pour les grands hommes soupçonnez de Magie. Chap. V. pag. 55.

vita mundi, item de magis, qui Christum natum salutaverunt, mentem suam exponit.

Mundum igitur esse animatum cum Platonicis credidit Ficinus: hominem porro idem existimavit valetudini felicitatique suæ consulere posse vita ea ratione instituta, ut astrorum ipsi assignatorum constitutioni sit conformis: esse quasdam veluti escas, quibus animati mundi & stellarum munera allicere possent mortales, sibique vendicare. Inter animam mundi & corpus ejus inesse spiritum, eumque necessario requiri tanquam medium, quo anima divina & adsit corpori crassiori & vitam eidem penitus largiatur. Per hunc mundum generare omnia, & illum talem ferme esse in corpore mundi, qualis in nostro noster, hoc excepto, quod anima mundi eum non trahat ex quatuor elementis, tanquam humoribus suis, sicuti ex nostris nostra, sed hunc proxime ex virtute sua procreet, & simul cum eo stellas statimque per eum periat quatuor elementa. Hunc ergo mundi spiritum ut sibi quivis, sanitatis ac prosperitatis avidus, insinuet faventemque reddat, suadet. Hauriri autem eum ab homine per suum spiritum, illi suapte natura conformem, maxime si reddatur etiam arte cognatior, id est, si maxime coele-

cœleſtis evadat. Evadere vero cœleſtem, ſi expurgetur a ſordibus, & ab iis, quæ inhærent ipſi diſſimilia cœlo, & eas quidem ſordes non ſolum inter viſcera ſi fuerint, verum etiam ſi in animo, ſi in cute, ſi in veſtibus, ſi in habitatione & aëre, ſpiritum frequenter inficere. Hunc noſtrum ſpiritum, rite per naturalia præparatum atque purgatum, accipere ab ipſo mundi ſpiritu plurimum per radios ſtellarum opportune ſuſceptos, ſi leniter movearis, quoſdam pro viribus gyros agens, vertigine devitata, cœleſtia luſtrans oculis & mente verſans: frequenti item uſu plantarum, præſertim ſi adhuc viventibus recentibusque & matri terræ quaſi adhuc inhærentibus nutriaris atque fovearis: inter plantas ſuaviter redolentes, vel ſaltem non male olentes verſeris quam frequentiſſime: hoc enim odore quaſi flatu ſpirituque vitæ mundanæ recreari atque vegetari ſpiritum noſtrum, odoribus ejuſmodi natura ſimillimum, perque ſpiritum medium inter corpus & animam facile corpus quoque refici. Diurno tempore diutiſſime ſub dio verſandum eſſe, quatenus tuto vel commode fieri poſſit in regionibus altis & ſerenis atque temperatis: ſic enim ſolis ſtellarumque radios expeditius puriusque

undi-

undique nos contingere, ſpiritumque noſtrum complere mundi ſpiritu per radios uberius emicante: & quæ ſunt ejus generis alia, a Ficino nobis præſcripta.

Magnam vero vim & efficaciam noſter in hæc inferiora & ipſum etiam hominem, ejuſque tum corpus, animam & ſpiritum (tribus enim nos partibus ſubſtantialibus conſtare aſſerit) tum actiones & fata aſtris tribuit, & errantibus, & fixis: quæ ſint cujusque horum virtutes, quid cuivis ſubſit, quid boni a quocunque & quando expectandum, quid mali metuendum, prolixe & ſolicite enarrat. Nihil igitur facile inconſultis aſtris ſuſcipiendum eſſe ſuadet: præſertim vero explorandum, quæ ſtella, quid boni cuique in genitura promiſerit, atque ab ea potius quam ab alia repoſcendam eſſe gratiam, & ab unaquaque non quodlibet donum, & quod aliarum eſt, ſed ejus proprium expectandum: in medicinarum præcipue confeſtione & uſu aſtrorum poſitum curate obſervandum, atque hinc aſtrologiæ cognitionem medico ſummopere neceſſariam eſſe arbitratur. Cumprimis, ſi vitam producere cupias ad ſenectutem, quoties ſeptimo cuilibet propinquas anno ſive climacterico, diligenter conſulendum aſtrologum, ex eoque, unde

unde immineat tibi difcrimen, edifcendum, deinde adeundum medicum monet *(l)*. Præterea fpiritum noftrum cœleftibus non per qualitates duntaxat rerum fenfibus notas præparari: fed etiam multoque magis per proprietates quasdam rebus cœlitus infitas & fenfibus noftris occultas rationique vix notas affeverat. Sic e. g. fmaragdum, hiacynthum, faphyrum, topazium, rubinum, unicorni cornu, præcipue vero lapidem Bezoar & alia occultis proprietatibus prædita, & idcirco non folum intus affumta, fed etiam fi carnem tangant, ibique calefacta virtutem fuam promant, vim inde cœleftem fpiritibus inferere, qua fe contra peftem tueantur atque venena, memorat. Pluribus etiam de virtute imaginum, certo cœli pofitu variis modis ad varios mirabiles effectus compofitarum *(m)* ex mente antiquorum aftrologorum ita differit, ut parum abfit, quin artem conficienti amuleta & talis manes five imagines aftrologicas docere nos voluiffe videatur. Et hinc forfan magiæ nota illi inuri poffet, nifi aliquoties hæc a fe tantum hiftorice refer-

(l) cf. Libr. de vita longa Cap. XX.

(m) Elegans extat viri doctiffimi P. F. Arpe liber de naturæ & artis operibus, Talismanes & Amuleta dictis, cum recenfione Scriptorum hujus argumenti, edit. Hamb. 1717. in 8.

referri, non probari ipse testaretur. Fatetur equidem, se juvenem adhuc magneti insculpere cœlestis ursæ figuram, & ferreo filo collo suspendere voluisse, sed quum a theologis & Jamblicho imaginum fictores a dæmonibus malis occupari sæpius atque falli didicisset, intermisisse. Diserte quoque, si quam annuli, amuleta & imagines certa ratione confecti vim habeant, non tam figuræ, sed materiis, hoc vel illo pacto temporeque compositis eam adscribendam esse affirmat. Recitabimus nunc quædam ejus loca: „Cum natura cœlestis (inquit Cap. „ XV.) tanquam inferioris naturæ regula so- „ leat tenore quodam progredi naturali, & „ ita progredientibus adspirare, merito diffi- „ dunt plerique, imagines ejusmodi cœle- „ stem aliquam virtutem habere. Ego quo- „ que ambigo sæpius, ac nisi & omnis antiqui- „ tas, & omnes astrologi vim mirabilem „ habere putarent, habere negarem. Ne- „ garem equidem non omnino. Opinor „ enim, nisi quis aliter persuaserit, ad prospe- „ ram valetudinem saltem aliquam habere „ virtutem, electæ præsertim ratione mate- „ riæ: tametsi multo majorem inesse phar- „ macis arbitror, & unguentis sidereo favore „ conflatis. —— Quæ vero ex magorum vel „

I astrolo-

„astrologorum opinione ad Plotinum in-
„terpretandum pro imaginibus allegari pos-
„sunt, deinceps breviter afferam, si te pri-
„us hic admonuero, ne putes probare me
„usum imaginum, sed narrare: ego enim
„medicinis ad cœlum temperatis, non ima-
„ginibus utor, atque ita cæteris quotidie
„consulo. Sic Cap. XVIII. hæc usurpat verba:
„tutius fore arbitror, medicinis, quam ima-
„ginibus se committere, rationesque a no-
„bis de potestate cœlesti pro imaginibus as-
„signatas in medicinis potius quam in figu-
„ris efficaciam habere posse. Probabile
„enim est, si quam vim imagines habent,
„hanc non tam per figuram acquirere, quam
„per materiam possidere naturaliter sic af-
„fectam. Ac si quid denuo acquiritur, dum
„insculpitur, non tam per figuram compa-
„rari, quam per calefactionem conclusione
„quadam provenientem: quæ quidem
„contusio calefactioque facta sub harmo-
„nia cœlesti simili harmoniæ, quæ quon-
„dam materiæ virtutem infuderat, excitat
„virtutem ipsam atquæ corroborat, sicut fla-
„tus flammam, & manifestam efficit ante
„latentem. Cap. XX. ita fatur: Ego ima-
„gines in rem distantem vim habere ullam
„non satis intelligo, habere vero in gestantem
„non-

nonnullam ſuſpicor, non tamen talem „ opinor, qualem plerique fingunt, & hanc „ ratione materiæ potius quam figuræ, atque, „ ut dixi, longo intervallo medicinas ima- „ ginibus antepono. „ Sed pergendum eſt ad reliqua. Cap. XXI. de virtute verborum atque cantus ad beneficium cœleſte captandum agit, præterque alia ita diſputat: Difficillimum quidem eſt judicatu, quales „ potiſſimum toni, qualibus conveniant ſtel- „ lis, quales item tonorum compoſitiones, „ qualibus præcipue ſideribus aſpectibusque „ conſentiant: ſed partim diligentia noſtra, „ partim divina quadam ſorte non aliter id „ aſſecuti ſumus, quam Andromachus in „ theriaca componenda diutiſſime fatigatus, „ ac tandem poſt diligentiam divina ſorte „ conſecutus theriacæ virtutem ——. Tres „ vero potiſſimum regulas ad hoc afferemus, „ ſi prius admonuerimus, ne putes nos in „ præſentia de ſtellis adorandis loqui, ſed po- „ tius imitandis, & imitatione captandis. „ Neque rurſum de donis agere credas, quæ „ ſtellæ ſint electione daturæ, ſed influxu „ potius naturali. —— Prima regula eſt, ex- „ quirere, quas in ſe vires quosve ex ſe effe- „ ctus ſtella quælibet & ſidus & aſpectus ha- „ beant, quæ auferant, quæ ferant, atque ver- „

„ borum nostrorum significationibus hæc in-
„ serere, detestari quæ auferunt, probare
„ quæ ferunt. Secunda: considerare quæ
„ stella cui loco maxime vel homini domi-
„ netur, deinde observare, qualibus com-
„ muniter hæ regiones & personæ tonis utan-
„ tur & cantibus, ut ipse similes quosdam
„ adhibeas. Tertia situs aspectusque stella-
„ rum quotidianos animadvertere, atque sub
„ his explorare, ad quales potissimum ser-
„ mones, cantus, motus, saltus, mores,
„ actus incitari homines plerique soleant, ut
„ talia quædam tu pro viribus imiteris in
„ cantibus, cœlo cuidam simili placituris,
„ similemque suscepturis influxum.

Cæterum Marsilius generatim omnibus, qui diu feliciterque vivere desiderant, suadet, ut ingenium, sidus, geniumque suum & locum eisdem convenientem cognoscere allaborent; ut porro in liberis procreandis, præparandis epulis, ædificiis & habitatione sibi paranda, atque vestibus siderum constitutionem non prorsus negligant. Sed nimis diu & haud sine tædio in campo sentibus adeo horrido spinisque rigenti commorati sumus: nunc defatigati & nausea affecti egredi rursus anhelamus. Nunquam certe has res, parum immo nihil amœnitatis secum feren-

ferentes, perſecuti fuiſſemus, niſi ad biographiam Ficini perficiendam pertinere viſæ nobis eſſent. Tuum jam erit, an is jure meritoque magiæ diabolicæ a nonnullis accuſatus ſit, judicium ferre. Ego magici nihil, ſuperſtitioſi vero plurimum in his deprehendo: atque multa ex iis, quibus characterem hominis ſuperſtitioſi argute & eleganter exhibet Sam. Werenfelſius, Theologus Baſileenſis, ſummo ingenio præditus, in noſtrum optime convenire exiſtimo. Ita autem ille (x) inter cætera: Nihil hic incipiet, quin prius calendarium inſpexerit,

- - capiendo nulla videtur, „
Aptior hora cibo, niſi quam dederit Pe- „
tosyris. „

Siderum ignes pejus metuet, quam cum „ proximus ardet Ucalegon. Venam ſibi ſecari non patietur, niſi impetrata a planetis „ venia. Semen terræ non committet, cum „ terra, ſed cum luna id juſſerit. Caput „ tonderi jubebit, cum Luna eſt aut in Leone, „ ut capilli inſtar villorum leoninorum ri- „ geſcant, aut in ariete, ut inſtar cornuum „ arietinorum criſpentur. Quicquid creſcere „ volet,

(x) In diſſert. de ſuperſtitione in rebus phyſicis. p. 633. Operum junctim Baſil. 1718. in 4. editorum.

„volet, creſcente hoc ſidere; quod ſenſim „diminui decreſcente inchoabit. Cum in „Tauro Luna eſt, nunquam adduci poterit, „ut medicamenta hauriat, ne animal hoc „ruminans medicamentum evomere cogat. „Vitabit mare, quoties Mars eſt in medio „cœli, ne bellator iſte Deus piratas adverſus ſe ſuſcitet. Arborem ſeret in Tauro, „ut ſignum hoc, quod fixum aſtrologis ap„pellare placet, altius eam in terra defigat. „Si quando adire volet principem, expe„ctabit, donec Luna conſocietur Soli: tum „enim ſalutaris eſt minoris cum majore ſo„cietas.——Annum climactericum præter„greſſus non aliter lætabitur, ac ſi ex mor„tis ungulis elapſus eſſet.—— Ægrotus her„bis non utetur, niſi fauſta quadam hora „decerptis.——Nihil denique tam difficile „erit, quod numerorum, quod verborum atq; „characterum virtuti non pervium credet. Hæc vir eruditiſſimus. Conradus Geſnerus (*o*) de Ficini libris de vita ſequentem in modum judicat: *Multa in illis ſuperſtitioſa ex aſtrologiæ obſervatione traduntur: audio illum jam ſenem in Fr. Pici gratiam, ſive argumentis illius perſuaſum, aſtrologiam ceu vanam rejeciſſe, qua de re in epi-*

(*o*) In Bibliotheca Univerſali. f. 499.

epistolis ejus quædam legisse memini. Gesnerum nostri literas ad Angelum Politianum A. 1494. d. 20. Aug. datas (p) in animo habuisse auguror, quibus, quid de astrologia sentiat, exponit, ita quidem, ita cum, ut cum Politiano & Pico, strenuis astrologicæ vanitatis oppugnatoribus, eandem se fovere mentem afferat. De libris vero suis de vita sic ibidem scribit: „In Lib. de vita, „ ubi profiteor medicinam, ac remedia vitæ, „ utcunque & qualiacunque possum „undique „ diligenter exquiro, neque despicio pror-„ sus imagines illas (cœlestes), neque omnes „ respuo regulas: etsi enim arbitror certam „ iis rationem nullam inesse, tamen ut stu-„ diosissimus humanæ medicinæ curator re-„ media non solum sapientibus certa, sed „ etiam multis probabilia sector, ut subsidia „ passim accumulem, quomodo libet profu-„ tura. Nequid denique prætermiserim in-„ tentatum, quod ad vitam utcunque con-„ ducturum cuiquam videri possit, nonnulla „ tamen intersero firmiora, multa quoque „ passim congero, quæ & si forte minus spe-„ ro, tamen opto prodesse. Quod autem „ in principio libri tertii dicere videor, ima-„ gines,„

(p) Epist. L. XII. f. 194.

„gines ab antiquioribus Platonicis in cœlo
„diſpoſitas eſſe, non id equidem volo.
„Non enim conſilium ibi meum eſt, Pla-
„tonicos affirmare cœleſtium imaginum aſ-
„ſertores, de quibus aut nihil aut parum
„quid loquuntur: Sed Platonicorum quo-
„rundam fuiſſe ſententiam, mundi animam
„cœleſtia ſibi corpora peperiſſe, ſtellasque
„cum cœlo, atque ultra ſtellas ſingulas, ſi
„modo ibi ullæ ſint imagines, ejusmodi
„quoque imagines genuiſſe. Narrat illic
„diſpoſitiones ſignorum imaginumque, non
„quales apud Platonicos, ſed quales apud
„aſtrologos obſervaverim: jam vero quan-
„tum imaginibus vel cœleſtibus credam:
„vel arte factis confidam, progreſſio libri
„declarat.„ Deinde ſe inibi, cum philo-
ſophicis poëtica miſcentem liberius inter-
dum & forte licentius evagatum, ſibique
haud ingratum eſſe fatetur, aſtrologica por-
tenta a Pico Mirand. ſingulariter confu-
tata fuiſſe. In his igitur ut nos
acquieſcamus, æquum & juſtum
eſſe cenſeo.

IV.

IV.

Leonardi Lauredani, Venetiarum Ducis, litteræ ad Reip. Memmingensis Proceres.

LEonardus Lauredanus, Dei gratia Dux Venetiarum &c. Magnificis & Egregiis Viris Magistro civium & Consulibus Memmighen, Amicis carissimis salutem & sinceræ dilectionis affectum. Certo scimus, Magnificentias Vestras intellexisse successum adversæ fortunæ contra statum nostrum: quod judicamus ob antiquam inter nos amicitiam & benevolentiam Vestris Magnificentiis vehementer molestum fuisse. Nobis autem ut illis, qui eas amamus summopere, visum fuit cum eis communicare, quantum nobis occurrit: & præcipue ut ipsæ cognoscant, quanta cum reverentia Cæs. Majestatem prosequuti sumus, & prosequimur. Prætermittemus, quæ semper diximus & scripsimus superioribus mensibus Vestris Magnificentiis, quod nostra constantissima mens erat, non modò servare inducias, tam solenniter celebratas & firmatas cum Cæs. Majestate, verum etiam devenire ad perpetuam pacem cum ea &

Sacro Romano Imperio , quoniam ſemper fuimus & voluimus eſſe ejus obſequentiſſimi & devotiſſimi cultores. Et quanquam veſtræ Magnificentiæ ſciant, omne jus divinum & humanum velle, quod induciæ nobis ſerventur: tamen ut oſtendatur ſingularis reverentia noſtra erga præfatam Majeſtatem Cæſ. & Sacrum Rom. Imperium, & ipſa experientia comprobetur, ſine alicujus requiſitione fecimus conſignari repræſentantibus Cæſ. Majeſtatem cuncta loca & terras ipſius Cæſ. Majeſtatis per nos ſuperiori anno acquiſitas, quæ loca erant adeo fortificata & taliter munita, quod facilis erat nobis eorum defenſio, judicantes placare ipſam Cæſ. Majeſtatem erga nos, & ab ea in gratiam recipi: tamen ejus Celſitudo nunquam ſe placare voluit, neque admittere oratores noſtros, quorum medio ſperabamus illi declarare & clare oſtendere, quorſum tendant cogitationes Regis Franciæ, qui ad aliud non invigilat, niſi ad ſurripiendam ejus coronam, & ſe tandem orbis dominum facere. Non fuit dare modum, ut ejus Cæſ. Majeſtas dignata fuerit ſuſcipere humile & honeſtum deſiderium noſtrum, non quia ipſa Maj. non ſit clementiſſima, ſed ob malivolorum ſuggeſtiones, qui ut ſatisfiat aliquod

quod eorum privatum commodum, perniciem totius Christianæ religionis non respiciunt, & continue stimulant eam ad arma contra nos movenda, qui sumus ei obsequentissimi. Unde nobis necessarium est, sicuti omni jure convenit, nos ipsos defendere: quod quærimus facere omni cum modestia & ex minori injuria ejus Cæs. Majestatis, quæ nobis sit possibilis: & in divina bonitate speramus, quæ nos non derelinquet. Hoc etiam Vestris Magnificentiis dicere volumus, quod Resp. nostra, quæ jam tot & tot annis incredibilem auri quantitatem & non minus sanguinis effudit ob conservationem & Christianæ religionis argumentum, sicut omnibus notum est: & quæ semper omni dexteritate quæsivit Christianorum Principum unionem contra infideles, nunquam potuit ad aliquam devenire conclusionem: attamen contra nos Christiani Principes se penitus colligarunt in ruinam nostram: unde proveniat, quod una Resp. qualitatis, quæ semper nostra fuit, sit taliter tractata, & a tantorum Principum Majestatibus persequuta, & quod ad hoc sint uniti fuerintque sic stricte concordes, facilis est conjectura: & ideo nihil aliud Vestris Magnificentiis sapientissimis dicemus, eas exorantes, velint

velint declarare totum hunc successum, cum omni veritate per nos narratum, in nostram justificationem, ubi eis videbitur opportunum asserentes, quod sumus & volumus esse observantissimi & devotissimi cultores Cæs. Majestatis & Sacri Romani Imperii, sicut semper fuimus, & ob antiquam benivolentiam & commercium, quod semper fuit inter nos & totam Germanicam Nationem, & magnificas præcipue communitates & liberas civitates, velint præstare nobis eos favores, qui videbuntur esse huic rei convenientes, quandoquidem conservatio nostri status non est futura minori beneficio vestrarum Magnificentiarum & totius Sacri Romani Imperii, quam proprio nostro, ob respectus & causas ipsarum prudentiæ bene notas.

Datum in nostro ducali Palatio. die XVI Julii. Indictione XII. M. D. VIIII.

Inscriptio hæc erat:

Nagnificis & Egregiis Viris Magistro C vium & Consulibus Memmighen, Am cis carissimis.

Nota: Has literas ex autographo, benevole e ta lario Memmingensi publico mecum communica primus vulgo. Scriptæ sunt in membrana: appen fi

sigillum plumbeum, in cujus prima facie conspiciuntur S. Marci & Ducis Lauredani, vexillum manibus tenentium, imagines, his in margine adjectis: S. M. VENET. LEO. LAVRED. DVX. In altera facie hæc leguntur verba: LEONARDVS LAVREDANVS DEI GRA DVX VENETIAR. ETC. Exaratæ vero sunt eo tempore, quo bellum a Maximiliano I. Imper. Julio II. Pont. Max. Ferdinando Catholico & Ludovico XII. Gallorum Rege Reipublicæ Venetæ illatum fuit, de quo Petrus Bembus Historiæ Venetæ Lib. VII. & sqq. ejusque continuator Paulus Paruta, nec non Adamus Reisnerus in Historia rerum a Georgio & Casparo Frousbergiis gestarum, Germanice Francof. 1572. in fol. edita, evolvi possunt. Bellum illud vulgo Cameracense vocari solet a foedere, Cameraci inter dictos Principes contra Venetos inito. Peculiarem quoque de illo commentarium conscripsit Andreas Mocenicus, impressum Venetiis A. 1525. in 8. Memmingæ A. 1508. Ordines Imperii, jubente Maximiliano, convenerunt, ibique præter alia de bello Venetis inferendo consultatum fuit: cujus conventus meminit Joh. Scaliger in Confutatione Fabulæ Burdonianæ p. m. 320. Liceat vero mihi heic in Memmingæ, dulcissimæ meæ patriæ, honorem memorare, eam Gloriosissimo Imperatori Maximiliano fuisse in deliciis: Sæpiuscule enim hic commoratus est, eamque urbem ἐνιαστήριον ac requietorium suum (seine Ruhe-Statt und Ruhe-Kammer) appellare consuevit. vid. Christophori Schoreri Chronicon Memmingense pag. 59. 62. Cæterum Bembus Hist. Venet. Lib. VIII. f. 133. elegantissimæ editionis Aldinæ (& pag. 343. edit. Argentor. A. 1611. in 8.) mentionem facit literarum ad eos, qui creandi Romanorum Imperatorem jus habent, tum ad liberas Germaniæ civitates datarum, quibus literis Senatus Venetus petierit, ne Maximilianum sævire contra Rempublicam, quæ in illum tam liberalis fuisset, ulterius permitterent.

V.

Jo. Christophori Wagenseilii JCti quondam & Philologi Altorfini famigeratissimi Dissertatio hactenus inedita.

de JOANNA PAPISSA.

Fœminas plurium regnorum legibus ab omni retro ætate ob inopiam judicii, ob imbecillitatem & ignaviam sexus non a publicarum modo, sed etiam civili jure a privatarum quarundam rerum administratione exclusas fuisse, neminem facile ignorare arbitror: ut alias leges, quas fundamentales vocant, nunc omittam, extat omni-

(a) De hac sive historia sive fabella multum ab eo tempore, quo divinis auspiciis purior religio, umbris antea mersa, B. Luthero vindice caput iterum efferre cœpit, in utramque partem ab eruditis magna animorum contentione decertatum fuisse, omnes norunt. Novissime de ea, in compendio quidem, sed curate & eleganter eruditi autores der Verzeichnus einiger Rarer Bücher P. III. p. 263. sqq. egerunt occasione Petri Mexiæ Hispani Variarum Lectionum Sylvæ, ab ipsis recensitæ, ex qua is, qui in Gallicum Sermonem transtulit, narrationem de Joanna Papissa maligne expunxit, Semiramidis historia in illius locum substituta. Cuinam sententiæ Wagenseilius, Vir πολυμαθέστατος, album adjecerit calculum, cum aliunde v. g. ex ejus Histor.

omnino Gallorum Salica, vetans Regnum a lancea transire ad colum. Hinc etiam, quod

Histor. Univ. Synopf. P. III. p. 128. sqq. & Differt de Romanis Pontificibus ex Germanorum gente creatis, tum præcipue ex hac disquisitione, quam integram heic inserimus, elucet. Varia quidem, quæ in ea leguntur, jam ll. cc. a Wagenseilio dicta sunt, quædam etiam ipsis aliorum, præsertim Maresii, verbis hic probata: vel eo tamen nomine grata Tibi erit hæc exercitatio, quod præstantissima, quæ pro hujus narrationis veritate a Viris eruditis urgentur, argumenta summatim exhibeat, dubiisque, contra illam motis, jucunda brevitate satisfacere allaboret. Præmittimus vero illi pace tua Desiderii Regii, olim Ord. Minor. Phil. & Theol. Lectoris, posthac vero Augustanam Confessionem amplexi, epigramma haud inficetum, quod in ejus Apocalypsi Nova Babylonis antiquæ, Cassellis A. 1646. in 8. excusa, p. 53. extat:

Papa fuit quædam meretrix, si credere fas est;
Quicquid id est, grande est fama vel ipsa probrum.
Quod peperit, laudanda foret, si nupta fuisset,
Petra foret, saltem hac parte, secuta Petrum.
Fama probrosa nimis, si displicet ista, Quirites,
Dicite, non sedit fœmina, sed cubuit.

A. 1720. Hagæ Comitum, prodiit in 12. Histoire de la Papesse Jeanne fidelement tirée de la dissertation Latine de Mr. Spanheim, laudata in Biblioth. Hist. Phil. Theolog. Bremens. Class. V. p. 1122. ubi etiam, Jll. Virum Pachelbel von Gehag probationem hujus historiæ per versus & nummos moliri, memoratur. Si vero scire aves, quinam præterea ex Protestantibus hujus narrationis veritatem de industria adstruere conati sint, insignem eorum catalogum tibi exhibet consummatissimus Theologus Ern. Salomo Cyprianus in Schediasmate de vitiis Paparum adversus eorundem infallibilitatem p. 51.

quod ex aurea Bulla constat, in nostro Imperio eligendus in Imperatorem mos est, non fœmina, cum genius Principum Germanorum Imperium muliebre ferre haud queat. Nec aliud in conferendis sacris ordinibus observari, Sacri nos docent Canones. Fœminæ enim incapaces sunt sacrorum ordinum, nec Sacerdotes fieri, nec missam dicere, nec Clericos ordinare, multominus D. Petri Sedem occupare possunt. Attamen historiarum monumentis proditum est, Seculo IX. post Christum natum Imperatore Lothario post obitum Leonis IV. Pontificis electam fuisse fœminam quandam in ejus locum, quæ Joannis nomen sibi sumsit, atque clavum tenuit per annos duos, menses quinque, dies quatuor, quæque ab amasio corrupta & vitiata, publice deinde peperit, & partus doloribus extincta fuit. Atque rem omnino ita evenisse ab omni illo ævo, quo hæc res contigit, ad præsens usque momentum credidere viri cordati, sapientes & ad miraculum docti, credimus & nos indubie, & citra trepidationem defendere sustinemus. Nimirum autores sequimur viros graves & inprimis magni nominis & Theologos & Philologos. Inter Philologos quidem sufficit laudare Ch. Ad. Rupertum, quondam

dam Academiæ nostræ decus magnum; cui subjungimus nunquam satis laudandum J. H. Boeclerum, itemque Claudium Salmasium, stupendæ eruditionis virum. Jam non allegabimus alios. Sed ex Theologis inprimis provocamus ad Megalandrum nostrum Lutherum, venerandum D. Gerhardum atque Georg. Calixtum, virum in historia ecclesiastica maxime sedulum atque diligentem. Cæterum non inprimis pugnamus autoritatibus, quamvis summorum virorum autoritates neutiquam sint contemnendæ, præsertim cum suppetant alia insuper argumenta. Non enim verosimile est, illum verum non esse, quod tot viri cordati & eruditi pro vero agnoverunt. Enimvero accedit quoque ratio, quæ nos compellit, ut soliciti simus de veritate seu falsitate hujus historiæ: neque enim res parva est, utrum Joannes Papa fœmina fuerit, an minus; quamvis multi sibi persuadeant, hoc unice ad historiam pertinere: multa enim hic latent, de quibus forte alii nec semel cogitarunt. Voluit nimirum Deus in hac viva imagine pro sua providentia mysticam illam mulierem ostendere, de qua tam multa nobis refert Joannes, quorum veritatem indies magis magisque experimur.

Jam porro si hoc evicerimus contra Pontificios, perit omne illorum argumentum de successione, quam jactant, continua Pontificum ad hæc usque tempora. Nimirum ajunt, vel solo hoc argumento posse nos agnoscere veritatem suæ doctrinæ, quod Sedem Ecclesiæ Romanæ Petrus Romæ fundarit, inque ea serie nunquam turbata consederint Pontifices: at vero hac ratione omnino hiulca evadit Pontificum Successio. Accedit, quod non sine magna veritatis specie nobis objiciunt Pontificii atque urgent, ostendendum esse nobis, veros atque genuinos reperiri inter nos Sacerdotes. Nam, addunt, requiri, ut, qui veri Sacerdotes audiri velint, sint ordinati a veris quoque Sacerdotibus, veris scilicet Apostolorum successoribus: tales autem nostros non esse, non ordinatos quippe ab iis, qui ordinandi facultatem accepere ab Apostolis. Itaque non habere nos veros Sacerdotes, & per consequens nec verum Eucharistiæ Sacramentum: atque hinc rident vulgo Eucharistiæ Sacramentum, quod in nostris Ecclesiis obtinet. Est omnino hoc palmarium argumentum; atque testati sunt viri insignes, hoc quidem argumento sese in summum discrimen fuisse adductos, neque habuisse,

quod

quod responderent. At vero si possimus ostendere, sedisse foeminam Papam, hoc quoque perit argumentum. Certum enim nobis est, papatu hujus meretriculæ successionem papalem non solum esse interruptam, sed etiam turpiter deformatam, quia, ut Antoninus loquitur Tit. 16. Part. II. C. I. illa utpote foemina non fuit susceptibilis characteris alicujus ordinis, nec perficere Eucharistiam aut ordinare potuit, nec absolvere a peccatis; unde ordinati ab ea iterum fuerunt ordinandi, quia nihil ab ea receperant. Hierarchia enim apud Pontificios requirit, ut Sacerdos ordinatus sit ab Episcopo, hic ab Archiepiscopo, qui & ipse a Romano Pontifice est confirmandus: itaque cum Romanus Pontifex caput sit Ecclesiæ, ab eo dependet salus omnium, quæ in Ecclesia Romana peraguntur: atque nisi legitimus sit Pontifex, non legitimi possunt esse Episcopi, itaque nec ipsi habebunt Sacramenta vera ac genuina. Si vero unquam Romæ sedit foemina, non potuit esse Pontifex legitimus, non potuit confirmare Archiepiscopos &c. Si hoc non potuit, nec Archiepiscopi potuerunt ordinare Episcopos, nec Episcopi Sacerdotes alios, nec potuerunt Sacerdotes isti Eucharistiæ Sacramentum admini-

ministrare &c. atque ita turbatur ordo ille hierarchiæ, quem tantopere crepant. Pulcherrima denique est observatio Georg. Nigrini L. V. Inquisit C. VIII. quod ab A.D. 855. quo meretrix illa Anglica in sedem Pontificum est evecta, ad annum 1521. quo Lutherus Wormatiæ in comitiis inter Ordines Imperii Romani coram Cæsare Papæ contradixit, numerentur anni 666: qui fuit character bestiæ illius Apocalypticæ. Res igitur magna, nec patimur alia ratione, nisi vi veritatis, nobis telum hoc eripi: mirumque adeo non est, apud nos magno consensu viros doctissimos hanc sententiam strenue defendisse. Neque temere istis credendum est, qui contrarium nobis persuadere conantur. Nemo sane unquam magni nominis aut claræ eruditionis inter nos ausus fuit, hanc historiam in dubium vocare. Jam vero videndum nobis est de ipsis argumentis: ubi quidem principio illud definiendum est, quid ergo pertineat ad fidem historicam? a qua diversum aliqui faciunt fidem papisticam, inaudita prorsus distinctione. Nos ergo dicimus, ut inter mortales fides historica possit progenerari, atque homo cordatus assensum suum intrepide præbere queat, hæc requiri. I. ut historia sit consignata a scripto-

scriptoribus gravibus, qui rei ipsi vel interfuerunt, aut ab aliis fide dignis hæc talia audiverunt. Neque enim profecto semper historici rebus gestis ipsi intersunt. Jam II. requiritur, ut historia sit prodita ab iis, de quibus nulla est suspicio, eos tale quid fingere voluisse: id quod cumprimis urget Grotius in Tr. de veritate Relig. Christ. adversus gentiles, si velint inficiari ea, quæ in V. T. de Moyse, in N. de Christo prodita sunt: causam enim dicere debent, quare hæc credant conficta? Apostoli sane nullam habuere causam ea fingendi, quæ scripsere de Christo: non honorem, ab isto enim erant alienissimi: nec famam, fuere enim intenti in finem mundi: jam nec stulti erant; sequitur ergo vera esse, quæ nobis scripta reliquerunt. Itaque si constat, scriptorem aliquem nullam habuisse mentiendi causam, illius sane narratio pro vera erit habenda. III. Requiritur, ut confirmata fuerit historia aliqua consensu quorundam virorum eruditorum & gravium, imo a nemine uno vocata in dubium, atque posteriores prioribus assensum præbuerint. IV. Denique est hoc omnino urgens argumentum, si eandem rem diversæ nationes retulerint in literas. His argumentis (neque enim aliam rationem

habemus) fides hiſtorica ſtabilitur inter homines, atque quod dicit Gerhardus, magnæ audaciæ & impudentiæ eſt, ſi quis velit rem, quæ talibus firmatur argumentis, in dubium vocare. Hæc vero omnia quadrant in noſtram hiſtoriam. Unde ſequens fere nobis enaſcitur argumentum:

Quæcunque hiſtoria nititur I. authoritate 70. amplius Scriptorum, & inter hos ab omni fraudis ſuſpicione immunium, quique vel ipſi rei interfuerunt, vel a fide dignis rem, prout geſta eſt, acceperunt; graviſſimorum virorum: quæ II. per 600. annos, quibus perpetuo narrabatur, a nemine vocata eſt in dubium: quam III. diverſiſſimarum gentium hiſtorici in literas retulerunt: quam IV. integrum Conſtantienſe Concilium & ipſimet Romani Pontifices confirmant: quam V. S. P. Q. R. uno ore pro vera habet: & cujus VI. lapidea & alia monumenta memoriam ſervant: quam denique VII. magno conſenſu viri doctiſſimi & veritatis ſtudioſiſſimi nunquam non pro vera agnoverunt, illa meretur fidem hiſtoricam. Atqui &c. Ergo &c.

Nec aliam fidem, quocunque demum nomine vocatur, ſequimur. Atque ut hinc potiſſimum exordiamur, habemus omnino

LXX.

LXX. amplius Scriptores, qui rem ita evenisse asserunt, omnes Ecclesiæ Romanæ addictissimos, interque hos Archiepiscopos, Episcopos, Cardinales Pœnitentiarios Pontificum, & ab omni suspicione immunes, quibus, ut hæc talia confingerent, neque amor, neque odium, neque invidia, neque spes alicujus præmii, quibus ad falsa comminiscenda homines impelli solent, causæ esse potuerunt: potius multum intererat, ne vera hæc essent: factumque hoc fassi, propriam turpitudinem allegarunt, quod quam invite fecerint, nemo non facile agnoscit. Agmen nobis Scriptorum ducat Martinus Polonus, Monachus Cistertiensis, Pœnitentiarius Innocentii IV. Pont. postea Archiepiscopus Consentinus, alias Guesnensis, idque haud quidem ob eam causam, quasi ab Onuphrio Panv. & Bellarmino vere proditum sit, primum Martinum rem hanc in literas retulisse: aliud enim ex infra dicendis constabit; sed quia cæteris Scriptoribus melius ac prolixius narrationem instituit *(b)*.

(b) En Martini verba: Johannes Anglicus, natione *Moguntinus*, sedit annos II. menses V. & dies IV. & cessavit Episcopatus mensem unum. Hic, ut asseritur, *fœmina* fuit, & *in* puellari ætate a quodam suo amasio *in habitu* virili Athenas deducta, sic in diversis scientiis

Sed vero ex historicis Martino, cujus vita in Seculum XIII. incidit, antiquiores laudantur, Ranulphus Flaviacensis, Marianus Scotus, Sigbertus Gemblacensis, & Gothofredus Viterbiensis. Enimvero cum horum primus Seculo X. Marianus XI. ceteri XII. vixisse deprehendantur, non juniores modo, sed nec istos quoque idoneos esse ostendunt Pontificii, qui in hac causa testimonium dicant: atque hoc ariete totam sese historiam suspectam reddere arbitrantur, quod nullus autor rei gestæ συγχρονος, qualis Anastasius Bibliothecarius fuit, ejus mentionem faciat, nec

tiis profecit, ut nullus sibi par inveniretur, adeo ut postquam Romæ fuit, magnos magistros discipulos & auditores haberet, & quam in urbe vita & scientia magnæ opinionis esset, in Papam concorditer eligitur. Sed in papatu per suum familiarem imprægnatur. Verum tempus partus ignorans, quum de S. Petro in Lateranum tenderet, angustiata inter Colosseum & ecclesiam S. Clementis peperit, & mortua, ibidem, ut dicitur, sepulta est. Et quia dominus Papa eandem viam semper obliquat, creditur a pluribus, quod ob detestationem facti hoc faciat. Nec ponitur in Catalogo Summorum Pontificum propter mulieris sexum. In his Wagenseilius quædam emendat in Hist. Univ. Syn. P. III. p. 130. ex Codice MSto veteri proboque Gymnasii Heilsbronnensis. Scilicet post, *& dies IV.* omnino ex MSto inserendum esse existimat, *& mortuus est Romæ.* Sic iterum post, *Romæ fuit*, addendum, *legens*: Denique verba postrema ita rectius in MSto concipi: *Nec ponitur in Catalogo Sanctorum Pontificum propter mulieris sexus deformitatem.*

nec Ado Viennensis, nec Rhegino Prumiensis, quorum tamen ætas proxima. Ast si nullus autor nisi αὐτόπτης vel rei gestæ συγχρόνος fidem meretur, ut quicquid ad nostram notitiam nonnisi indicio Scriptorum centum vel ducentis annis recentiorum pervenit, incertum sit: incerta erit potior pars universæ historiæ cum Ecclesiasticæ, tum civilis. Neque vero sequitur, quamquam Ranulpho Flaviacensi vel Mariano antiquior nemo, qui rem literis consignarit, innotuerit, ideo neminem fuisse. Unde enim obsecro Ranulphus Flav. qui tanquam vetustissimus muliebris Pontificatus Scriptor allegatur in Centuriis Ecclesiasticæ Historiæ, quem & Trithemius Chronicum breve, quod illi Poly-Chronicon vocant, scripsisse ait, hæc nisi ab antiquioribus nosse potuit? Unde vero Marianum, qui ex Scotia in Germaniam profectus, in tribus Benedictinorum contuberniis vixit, Coloniensi, Fuldensi & Moguntino, unde, inquam, vel ipsum nomen Joannæ, vel annos, menses & dies Pontificatus ejus ita exacte annotatos, nisi ex libris, qui in monasterio cum primis Fuldensi, ob Bibliothecam semper celebris, deesse non potuerunt, hausisse eum existimabimus? Et videlicet in promptu fuerunt autores, quibus

nos hodie caremus. Nam ut hæc confingeret, nihil utique causæ habuisse videtur: nam profecto nihil gratiæ exinde sperare ei licuit, quin potius summum odium, juxta illud: Obsequium amicos, veritas odium parit. Quanquam non valde necessitate adstringimur, ut huic responsioni vehementer inhæreamus, & magis pronum est dicere, fuisse omnino Joannam Anastasio συγχρόνῳ memoratam, verum verba, quibus id executus erat, malas & Pontificum gratiam captantis manus, ex aliquibus Codicibus erasisse: & notum est, quum Pontificiis sit familiare, quælibet in rem suam vel fingere, vel interpolare, vel supponere, id quod luculenter docuit vir in omni scibili versatissimus Gabriel Naudæus in iis, quæ emisit publice contra Monachos Benedictinos circa libros de imitatione Christi. A nobis vero prorsus abest hoc crimen, neque enim causæ nostræ diffidimus, sed semper edimus autores, quales sunt. Extabant sane quondam in Heidelbergensi Bibliotheca Anastasii Codices MSS. duo, in quibus historia de Joanna Papissa legebatur, quos viderunt Cl. Salmasius & Marquardus Freherus, viri cordatissimi. Quamvis enim in vulgari editione desint verba Anastasii, major

tamen

tamen nobis esse debet tantorum virorum autoritas, quam nescio cujus Leonis Allatii, hominis Græci & imposturarum palam convicti. Illud equidem, uti dictum, certum est, quod in Anastasii historia, a Moguntinis edita, nec vola nec vestigium de Joanna reperiatur, quoniam ea temporis computatio observanda est, ut inter Leonem & Benedictum Joannæ nullus locus relinquatur, quod præcipue urget Onuphrius Panvinius ad Platinam, & post illum Blondellus aliique. Verum existimant viri doctissimi, Anastasium ab editoribus Moguntinis corruptum & depravatum esse; quæ conjectura his præcipue nititur argumentis: quia 1. in quibusdam MSS. exemplaribus Anastasii historia de Joanna Papissa reperitur. 2. Quia reliqui codices MSS. mutili sunt, & in elogium Leonis IV. desinunt. 3. Quia corruptionis alia manifesta prostant indicia. Publice sane de ea re questus est Freherus, & iniquitatis ac malæ fidei publice accusavit Jesuitas, qui mussare maluerunt, quam se defendere, unde oportet eos sibi conscios fuisse suæ fraudis, & quod non deessent Frehero testimonia irrefragabilia, quibus accusationem suam suffulciret. Atque eam epistolam in aliquot Bibliothecis reperiri,

riri, Boeclero in Suecia degenti asseveravit illustris Salmasius, cujus verba, prout a laudato Boeclero in commentarium de rebus Seculi post Christum natum IX. & X. relata fuerunt, vide in dissertatione mea de Romanis Pontificibus ex Germanorum gente creatis p. 9. 10. (c). Itaque cum provocarint ad eos codices MSS. Heidelb. Salmasius & Freherus, nec tantum ad hos sed & ad ipsam editionem Anastasii, quæ excusa Moguntiæ atque omnium manibus quondam terebatur, nihil profecto nos causæ habemus, cur Pontificiis magis credamus quam illis,

(c) Verba Boecleri hæc sunt: Ajebat Salmasius, se Heidelbergæ agente, & incomparabili isti Bibliothecæ operam dante, factum esse, ut Moguntini, Anastasium Bibliothecarium edituri, duos Codices MSS. a Serenissimo Electore peterent acciperentque. Quibus remissis, adjuncta fuisse aliquot exempla novæ editionis, in quibus historia Johannis fœminæ ex MSS, bona fide expressa erat. Id cum aliqui mirarentur, apud cæteros ortam suspicionem dedisse occasionem, ut in cætera exempla per officinas Bibliopolarum inquireretur, tum fraudem manifestam fuisse, dum omissa deprehendebantur in omnibus, quæ paucis inserta diximus. Ea de re clarissimæ memoriæ virum, Marquardum Freherum, epistolam ad amicum exarasse, quam in aliquot Bibliothecis reperiri dicebat Salmasius. Addebat: verba Mariani Scoti (nam is nunc post deperditam aut vitiatam illam Anastasii scripturam antiquissimus rei autor) religiose ex Anastasio descripta, id est, ipsissima Anastasii verba fuisse.

illis, præprimis cum confessio accedat insignis Galli Jo. Launoji, qui etsi Tom. IV. epistolarum, epistola ultima historiam de Joanna Papissa inficietur, tamen non dissimulavit, reperiri nonnullos Anastasii Codices MSS. qui eam contineant. Sufficiat ergo Anastasius, qui vixit illo ipso tempore, cujus testimonium quod deficit in vulgaribus editionibus, id procul dubio omne a Pontificiis est: credimus enim id Marq. Frehero, de quo Lipsius judicium tulit, vix ullum Seculum daturum talem virum.

Jam secundo accedit, per integros 600. annos usque ad Reformationis tempora, quæ ab initio præcedentis Seculi decurrere cœperunt, neminem unum repertum fuisse, qui negaret vel in dubium vocaret, circa medium Seculi IX. mulierem virum menditam assumto Joannis nomine ad papatum evectam fuisse, & ne quid Romæ deesset ad magnæ meretricis elogium, ex scortatione imprægnatam, atque paritudinis doloribus derepente oppressam in solenni Pompa, publice puerperam obiisse. Novum plane hoc est, & post tempora Reformationis demum exortum, quod fides sollicitatur hujus historiæ. Nimirum cum viderent Pontificii, rem non esse de nihilo, atque perire hac

ratione

ratione successionem suorum Pontificum, cœperunt denique rem omnem negare. Quare autem nemo inter antiquiores tam sapiens erat, & nasum Rhinocerotis habebat, ut falsitatem hujus historiæ olfaceret. Scilicet antiquiores constituti erant extra telorum jactum, ideoquæ puræ veritati litabant. Enimvero si hæc tantopere falsa sunt, etsi tam levi negotio ostendi potest, conficta hæc esse omnia, quare per 6. & amplius Secula nemo repertus fuit, qui fidem hujus historiæ elevaret? Non defuere sane singulis seculis viri eruditi atque cordati, quibus haud ita facile imponi potuit, qui uti alias narrationes falsas aut suspectas rejicere, idem quoque hic facere potuissent, nisi constitisset de historiæ hujus veritate. Citetur Franciscus Petrarcha testis, vir omnibus modis summus, qui in Chronico Italice scripto & Florentiæ A. 1478. excuso, hanc rem quoque literis prodidit. Jo. quoque Boccatius, Petrarchæ ob ingenii, studiorum & morum similitudinem intimus, recenset ac describit hanc Joannam, prius Gilbertam, ut ipse ait, appellatam, in libro de claris mulieribus C. 99. Primus igitur, quod sciam, Aventinus συγχρονος Lutheri nostri eo delatus, ut falsitatis accusare palam hanc

hanc historiam, & fabellam appellare auderet. Verba sunt 4. to. Annalium Bojorum: Adelbertus, locupletissimus Hetruriæ Princeps, Ravennam, Bononiam, Romam in potestate habuit. Ejus Socrus Theodora Scortum nobile atque imperiosum Romæ dominabatur: Johannem IX. amatorem suum Bononiensibus primo, dein Ravennatibus, postremo Romanis imposuit, primariumque sacerdotem creavit: inde fabellam ortam crediderim, quæ temere vulgavit, hisce temporibus fuisse Sacerdotem maximam, quæ appellata sit Johannes. Secundus ab Aventino est Onuphrius, & primus, qui patrum memoria justo conatu historiam convellere aggressus sit. Quos secuti deinceps alii, quorum ratiunculas & conjecturas laudat Baronius Annal. X. (A. 853.) & additis de suo nonnullis contra Papissam satis prolixe proclamat. Sed vero in omni historia utique magis antiquioribus quam recentioribus credimus. Sane nulla res adeo est certa, quæ non possit vocari in dubium, si quis id velit agere: at non sufficit, an res aliquibus rationibus suspecta reddi possit, sed opus est, illud cumprimis accurate consideretur, quibus argumentis narratio aliqua impugnetur. Prope est, ut

pigeat,

pigeat, in hac parte tam diu immoratum esse. Dicendum igitur nunc aliquid de unanimi diversarum Nationum consensu (quod erat tertium argumentationis nostræ membrum). Scilicet si unus atque alter duntaxat hoc scripsisset, posset forte adhuc negari. Enimvero hoc scripserunt non tantum Romani, Galli, Hispani, sed etiam Germani: itaque toto orbe divulgata erat hæc historia. Non certe ita conspirare hi poterant, nisi constitisset de rei veritate. Tempus me deficiet, si omnes, de quibus hactenus constat, Joannæ Pontificatus assertores enumerare instituam. Recensent illos per ordinem seculorum Calixtus in Tract. de Conjugio Clericorum, Gerhardus Loc. de Ecclesia, David Blondellus, vir inter Reformatos plane eximius, qui ipse tamen peculiari libello totam de Joanne VIII. narrationem suspectam reddere conatus est; Wolfius in Lect. Memorab. Egbertus quoque Grimmius, S. Theol. Licent. natione Anglus, in Vesaliensi schola aliquamdiu Prof. doctissimus, sed præmatura morte ætatis suæ 28. ereptus, anno 1636. edidit paulo ante obitum lingua Belgica Comment. locupletissimum de Joanna Papissa, in cujus parte prima CXXXV. testimonia produxit pro hac veri-

veritate scriptorum variarum gentium, quorum nemo Protestantium castra secutus est. Nec est verosimile, tot viros eruditos per tot secula plus quam muliebri credulitate admissuros fuisse hunc papatum muliebrem absque accurata, quantum potuit institui in re tanti momenti, perquisitione veritatis. Illud solum subjungere liceat, Ulricum Huttenum edi curavisse A. 1520. epistolam veterem Academiarum Parisiensis, Oxoniensis & Pragensis, in qua hæc leguntur: Johannes Successor Leonis IV. cœpit circa A. D. 854. & sedit annos 2. & menses 5. Fœmina fuit, & in papatu imprægnata. Testatur id ipsum Chronicon quoddam Helvetico idiomate conscriptum Constantiæ, pertingens ad annum 1450. his verbis sat quidem lepidis: Ein Weib, hieß Johannes von Maintz, was Pabst, und starb an einem Kind, hat sie mit einem Cardinal gemachet, A. 855. In alio majusculis characteribus Ulmæ impresso A. 1456. legitur: Der Kaiser Arnolphus (Lotharius legendum videtur) was unter dem Pabst, der eine Frau was, und an offener Straß zu Rom da zersprang sie an einem Kind. Dieselbe Straß meiden noch alle Päbst, daß sie nicht daran kommen

men

inen von der Schand wegen. Imo non satis est, eandem rem consignasse Italos, Hispanos, Gallos, Germanos, sed idem factum est a Græcis quoque, vel iis, qui regiones incolebant, alio sole calentes. Ita enim Laonicus Chalcocondylas in historia electionem Pontificis, uti suo tempore celebrabatur describens; Ubi suffragia, inquit, collegerunt, & Pontifex fuerit declaratus, domi eum continent, explorantes, num & reliquis placeret electio. Pontificem pronunciatum insidere jubent sedili foramen habenti, ut testes ex eo propendentes aliquis, cui hoc muneris injunctum est, tangat, unde appareat, Pontificem virum esse: nam constat, mulierem quondam in Pontificatum esse subvectam, quia sexus ignorabatur. Nam Itali Occidentales pene omnes barbas radunt. Cum autem illa mulier gravida esset facta, & ad festum seu sacrificium prodiisset, peperit infantem inter Sacrificium in conspectu universi populi: qua propter ne decipiantur iterum, sed rem cognoscant neque ambigant, Pontificis creati, virilia tangunt, & is, qui tangit, acclamat: *Mas nobis est Dominus.* Nomina autem post electionem illico immutant, quasi jam divinioris quam antea, sint naturæ, & planissime

nissime mutati. Pontificii dicunt, ab interprete inserta hæc esse; cæterum id quidem dictu facile, probatu difficile, longeque facilius & probabilius negatur, quam asseritur. Credibilius etiam ab ipsorum interpretibus, si quos habent, omitti, quam a nostris addi. Gemina certe his sunt, quæ Jo. Pierius Valerianus in sua declamatione ad Cardinalem Hippolytum Medicen pro Sacerdotum barbis, quæ primum Romæ cum Clementis VII. P. M. privilegio emissa fuit, habet: Quid aliarum gentium damna culpasve commemoremus, cum domi opprobria conspiciantur, quæ de barbarum odio perpetuam supremo Sacerdotum ordini ignominiam pepererunt? Eo enim aliquando nostrorum deliciæ processerunt, ut hujus rasitationis ergo confusa quodammodo specie difficulter vir a fœmina internosceretur; hinc accidit, ut mulier (si vera est, quæ per omnium ora fabula circumfertur) in sempiternum SS. ordinis opprobrium ad solii Pontificii majestatem eveheretur; in cujus facti memoriam Romani adhuc intento digito indicant, ubi summa illa sacerdos, pontificialem induta trabeam, enixa peperit: quod ne rursus accidere possit, inde institutum plerique omnes credunt, in novi

Pontificis ingressu eam majorum nostrorum imprudentiam publicare. In totius enim populi conspectu pro D. Johannis suggestu, qui latissimam & eo solenni sacro omnium nationum gentibus confertissimam aream despectat, cogitur novus Pontifex virilitatem locupletissimis testibus approbare, resque ipsa sacri præconis voce palam promulgata in acta mox refertur, legitimumque tunc demum Pontificem habere nos arbitramur, cum habere illum, quod habere decet, oculata fide fuerit attestatum. Hæc ille. En quam amice cum Græco conspiret Latinus Scriptor vel e media Italia, & quod magis est, circa tempora Lutheri. Nec te offenderit vox fabulæ, quæ in textu conspicitur: fabulam enim dixit a fando sensu laxiori pro narratione publica, quæ in omnium ore versatur: imitatus Senecam Ep. 71. in fabellam excessi, non ingratam tibi: at historiam ante recensuerat: itemque S. Hieronymum, cujus in epistola ad Castratium ista sunt: Et ne veteres replicando historias longum faciam, excedam mensuram epistolæ, brevem tibi fabulam referam, quæ infantiæ meæ temporibus accidit. Quam vero de tota hac narratione non dubitaverit Pierius, tota sermonis series luculenter osten-

ostendit: nisi etiam forte (quod non immerito suspicamur) hæc parenthesis in editionibus posterioribus addita sit. Sed ut, unde digressus sum, redeam, atque id, quod institui, absolvam, est & alius Græcus, Laonico, ni fallor, antiquior, Barlaam videlicet Monachus, qui in Dialogo de principatu Papæ τῆς ἀκολάςου ἐκείνου γυναικὸς τῆς γενομένης Πάπα, impudicæ illius mulierculæ, quæ Papa fuit, meminit. Autoribus denique, qui Joannæ Pontificatum asserunt, duo Judæi possunt addi, nempe R. Abraham Zacuth in Juchasin, & R. David Gans in Themach-David, quorum testimonia refert Grimmius de Papissa P. I. C. 31. quæ ex illo repeti possunt. Quin (ut ad quartum argumentationis nostræ membrum tandem accedamus) ne Patres quidem Concilii Constantiensis (quibus Jo. Hussi libri ad examinandum & excerpendum ex illis errores commissi erant, quique maxima minima, quæ Hussum in odium perducere poterant, sæpe etiam verba detorquendo & pervertendo, sedulo corraserunt, neutiquam tamen dicam illi impegerunt, quod in libro de Ecclesia, quo nullus alius rigidiori censuræ fuit subjectus, C. 7. & 13. Joannam Papam perstrinxisset: persuasi ergo fuerint necesse

est Patres de veritate hujus historiæ: si enim fictam eam credidissent, pœnas certe hoc cumprimis nomine dedisset Hussus. Vid. Dissertat. meam cit. p. 10. 11. Jam accedit ulterius ipsorum & Pontificum autoritas. Miratur enim ipse Bellarminus Chronologiæ suæ parte altera, agens de Joanne XXI. cur iste Joannes Papa dici voluerit XXI. cum nullus præcesserit XX. Non poterat hic Pontifex, viro illo doctissimo judice, Joannem XXI. nuncupare, quin suo loco & ordine Pseudo-Joannem Anglicum i. e. Joannam Papissam restitueret. Hoc ipsum etiam aperte confitetur Ciacionius de vitis Pontificum, ab his, qui fabulosam & commentitiam Joannam fœminam numero Pontificum interserunt, vicesimum primum dictum fuisse. Extat ejusdem 13. Cal. Jun. defuncti in Ecclesia S. Laurentii tale epitaphium: Johanni Lusitano XXI. Pontificatus sui maximi M. VIII. moritur MCCLXXVII. Eadem Joannis XXII. & XXIII. omniumque, qui Joannes tres & viginti agnoverunt, mens fuisse videtur: ut & Æneæ *Sylvii*, qui Pontifex factus assumsit nomen Pii II. ut de eo dici posset illud Virgilii: VIR PIUS ÆNEAS. Is nimirum (Epistola 130. A. D. 1451. d. 20. Aug. data circa medium) sentiens sibi

obji-

objici hanc mulierem Papissam sub Agnetis nomine contra illam sedis Romanæ infallibilitatem, quam bonis Taboritis ceu caput aliquod Medusæ objiciebat, eo quidem recurrit, ut dicat, historiam non esse certam, sed tam timide, ut satis appareat, eum non loqui ex animi sententia: ut si quid hic putaret incerti, magis forte ad circumstantias & nomen proprium hujus mulieris spectet, quam ad rei ipsius substantiam. Unde doctissimus Blondellus Pium II. accenset iis Pontificibus, qui Joannæ Pontificatum videntur agnovisse, eo quod Joannæ nomen cæteris Pontificum nominibus permixtum in Dominico Senensi, scriptæ ad Jo. Carvajal Epistolæ immemor, vel pœnitens perstare passus est. Quin & ipse tandem Pontifex factus hanc historiam exscripsit in sexta mundi ætate p. 170. operis historici, impressi Noribergæ A. 1493. per Kobergerum *(d)*, teste Gerhardo Loco de Ecclesia.

Accedit quinto Confessio omnium, qui Romæ habitant: omnes enim uno ore id

(*d*) Digitum intendit Wagenseilius in Hartmanni Schedelii Chronicon, quod adjectum habet Æneæ Sylvii librum de rebus sub Friderico III. Imp. per Europam gestis. Locus vero ille cit. Sylvium non agnoscit autorem, sed vel Schedelium, vel alium.

profitentur, exceptis iis, qui Romano Pontifici supparasitantur. Profecto necesse est, quod non sine ulla causa emanaverit tam vetus, tam constans fama. Unde etiam Hasenm. in Triumph. Papist. 419. Romæ etiam pueris notam esse historiam memorat. Quin sexto fidem adstruant varii generis monumenta, sepulturæ, statuæ, in ipsis Italiæ templis celeberrimis, in Senensi illo, ut inter Pontificum reliquorum istius quoque prostibuli imago suo loco & ordine collocata cernebatur adscriptis his verbis: *Fœmina Angla.* Quam demum Clemens VIII. curavit removeri. Statuam quoque scorto illi cum sua prole publice erectam Romæ in perpetuam facti detestationem illa ipsa in platea, in qua peperit, Archiepiscopus Antoninus abunde facit fidem. Diu visam Romæ eam statuam in confesso est, quamvis Jesuitæ, ut aliis ingeniosiores videantur, non mulieris sed sacerdotis eam statuam esse comminiscuntur, quem Clericus rem sacram facturum sequatur. Nec eam tandem Roma suppressisset & abolevisset, uti factum est serius, nisi sibi conscia fuisset, monumentum illud indubitatum esse sui probrum. Vide omnino Mortoni Apolog. Cathol. C. 19. Ipsi denique interpretes, ceu vocantur.

Ro-

Romanarum Antiquitatum, qui peregrinis accepto pretio res in urbe notabiles commonſtrant & verbis declarant, eos in Lateranenſis Baſilicæ porticum deducentes ibi ſellam perforatam oſtendunt, in qua ſeſſitaſſe quondam quemvis recens electum Pontificem affirmant, ut quidam Diaconorum ſexum illius exploraret, quo faciunt teſtimonia Brewini & Chalcocondylæ. In Capella Servatoris (inquit Guil. Brewinus) ſunt duæ vel plures cathedræ de lapide marmoreo & cupro cum foraminibus in iis ſculptis, ſuper quas Cathedras (ut audivi ibidem) eſt probatio Papæ. Nec aliter e media Græcia Chalcocondylas, qui id ipſum, quod Romæ a Romanis Brewinus didicerat, aliunde hauſerat. Nec ſi dexteritate quadam Italica iſtæ nunc ſedes alii uſui adhibentur (ut ſcil. Papa electus moneatur ſuæ mortalitatis & infirmitatis, & quo illi dicatur, ut ex ceremoniali Romano refert Bellarm. L. III. de P. R. C. 24. illud Annæ; ſuſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem, ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat) inde ſequitur, non prius adhibitas illi ſexus tentamini, quod nunc ceſſat, quoniam ut ait ille:

Ante probat ſeſe quilibet eſſe marem.

Vel potius citra jocum, quia valde nunc barbatus sit oportet, qui Petri cathedram conscendere velit, ut adeo non amplius opus sit hac sexus exploratione, quæ olim obtinuit, cum Papæ fiebant, qui vix excessesant ex ephebis. Nec vero me nimis movet autoritas Martini Schookii, qui in Fab. Hamel. præf. ad Lectorem eam sellam balnearem fuisse evincere satagit, remque ab imperito vulgo fictam cum nonnullis aliis asserere non erubescit. At enim vero in porticu Lateranensis Patriarchii, qua ad Sancta Sanctorum itur, non Patrum nostrorum memoria visam negare ausint? ubi conclave habebatur, quo tempore Pontifices Laterani sedebant. Quis vero ejus usus, &, si quam comminiscuntur, cur perforata? Et cur non potius tot autoribus fides? & ante controversiam natam Joannis Pannonii versus quis nescit?

Non poterat quisquam reserantes æthera claves
Non exploratis sumere testiculis.

Sed quicquid demum sit, ista sive ita se habeant, sive secus, ad caput negotii nihil facere cum B. Calixto intrepide asserere ausim, tantum abest, ut, quod Schookius aliis objicit, sedem stercorariam pro symbolis aut

aut classico teste hujusce historiæ agnoscere velim. Substantia potius facti est, quod inter Leonis IV. & Benedicti III. papatum media intercesserit fœmina, supremo Pontificatu potita: quæ per sex fere secula a quamplurimis, monachis plerisque & Italis, Papatus alioquin studiosissimis, adserta, a paucis dissimulata, a nemine denique negata fuit :Si quid igitur in circumstantia una vel altera varietur, imo etiam falsi nonnihil deprehendatur, propterea veritatem ipsius facti statim collati dicendum non erit, nisi pari de causa magnam partem universæ historiæ præsertimque Pontificiæ, qua (uti ex infra dicendis apparebit) nulla alia sub sole incertior, eversum eamus. Poterunt itaque, ut cuique videbitur, salva rei summa vel affirmari vel negari. Temere tamen negare fama aliquot seculorum memoriam pervagata prohibet. Itaque his potissimum argumentis defendere semper viri summi hanc historiam. Contrarium equidem evincere conatus est David Blondellus, sed eidem Samuel Maresius peculiari dissertatione, quam *Papissa restituta* vocavit, abunde satisfecit, quod non diffitetur Autor animadversionum Chronologicarum in Ejusd. Joannam Papissam contra Anacrisin D. Blondelli restitutam,

incer-

incertus ille quidem, qui de Maresio ita judicat: Sam. Maresius Theol. & Hist. Eccles. Prof. Gröning. celebris ex officii ratione maleferiatam Blondelli diligentiam castigandam sibi præsumsit, idque si historica respicias, satis plausibiliter præstitit: in chronologicis vero se huic oneri omnino imparem esse ubique ostendit: adeo ut hec præcipuum Blondelli argumentum intellexisse videatur, quod est ex indubia & infallibilibus characterismis temporis demonstrata Imperatorum & Pontificum successione continua & concatenata evincere, nullum dari Papissæ locum. Enimvero quantum huic argumento a Chronologia desumto tribuendum sit, paulo post videbimus. Interim docuerunt idem, quod hic asserimus, in hac nostra Academia, Christianus Matthias, Georg. Kœnig, C. A. Rupertus, qui viri? Idem docent venerabiles Theologi nostri, qui supersunt, omnes, quibus (ut omnes alios taceam) jungendus Clarissimus Salmasius, qualem seculum nostrum non tulit magis eruditum. Cæterum (ut vel unicum hoc argumentum adhuc addam) posset fortassis dubitatio oriri de Joanne VIII. si ea ætate vixisse diceretur, qua probi, pii & Ecclesiæ curam gerentes præerant Pontifices: Sed

Sed vero ea ætate, qua vixit Joannes noster, summa erat confusio aulæ Romanæ, fatentibus id ipsismet istius aulæ propugnatoribus: ita enim Gilbertus Genebrardus, quo iniquiorem & maledicentiorem hostem Protestantes vix unquam sunt experti, quarto Libro suæ Chronographiæ, sub initium seculi X. Per annos fere CL. (quanquam revera plures sunt) Pontifices circiter quinquaginta a Joanne scil. VIII. qui Nicolao I. & Hadriano II. sanctis Pontificibus successit, ad Leonem IX. usque a virtute majorum prorsus defecerunt, apotactici potius apostaticive, quam apostolici. Platina, cum de Formosi successoribus, qui adversus se invicem exacerbati alter alterius acta hactenus infregerat, egisset, queritur, in Benedicto IV. peperisse licentiam peccandi, nullo Principe flagitia hominum coërcente, tanta portenta, a quibus ambitione & largitione sanctissima Petri sedes occupata fuerit potius quam possessa. Ipse Baronius Cardinalis,* strenuus alias Romani Pontificis atque sedis apostolicæ defensor, ubi horum temporum historiam exponit, intrusi, inquit, in cathedram Petri & solium Christi sunt homines monstrosi, vita turpissimi, moribus perditissimi, usque quaque foedissimi. Exorsus ab

* *A. 897. n. 4.*

ab anno nongentesimo *seculum decimum, quod, ait, sui deformitate ac boni sterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum, atque inopia scriptorum appellari consuevit obscurum; id, inquam, exorsus sub initium monet, ne quid scandali pusillus animo patiatur, si quando videre contigerit abominationem desolationis in templo, i. e. flagitiosum Pontificem in sede pontificia. Habet alia multa ejus generis, quæ vide penes Calixtum de Conjugio Clericorum. Nec alia mens Bellarmini, cujus hæc sunt verba in Chronologia, annexa Catalogo scriptorum Eccles. Hist. e regione anni 970. Vide seculum infelix, in quo nulli scriptores illustres, nulla Concilia, Pontifices parum soliciti de Ecclesia. Si ergo hoc verum, sedisse tum temporis monstra hominum horrenda & tantum non dæmones, quorumve nomina nihil aliud efficiunt, quam ut continuent catalogum Pontificum; quid mirum inter illa portenta in eandem sedem Angelis (si Diis placet) reverendam irrepsisse quoque fœminam sexum mentitam? Ex hoc sane argumento nascitur sententiæ nostræ nova quoque probabilitas, qua uti in plerisque ita hic quoque nos contentos esse fas est, cum historica ita sint

*A. 900. n. 1.

com-

comparata, ut non nitantur omnia certitudine penitus infallibili, & quæ ad evidentiam accedat. Credenda igitur omnino hæc historia fide historica, aut nulla superest fides historica in orbe universo. Vix enim ulla historia tot tantisque nititur argumentis, atque hæc ipsa. Enimvero ajunt, fide papistica credendam esse hanc historiam, quæ est nova prorsus, & aliis præter Schookium & paucos ejus asseclas inaudita distinctio. Ignorabat scil. Gerhardus, quid sit historica fides, cujus ea de re verba sunt hæc in Loco de Ecclesia: Si illis fidem historicam denegant, quibus tandem eam adhibebunt? Idem sine dubio noverat B. Calixtus, cujus in Tr. de Conjugio Clericorum hæc sunt verba: Dico itaque tandem, quali fide & probabilitate plerique rerum, quæ inter homines gestæ sunt, narrationibus credimus, talem huic quoque de Papissa historiæ tribui oportet: & quibusdam interpositis: historio itaque Joannæ Papissæ in possessione merito manet, ea fide & assensus certitudine, qua cæteras plerasque res ante aliquot secula ab hominibus & inter homines gestas admittimus, credi digna. Fide igitur historica hæc historia omnino credenda, nisi hoc frontem perfricando tueri velimus, Gerhardum atque Ca-

Calixtum nescivisse, quid sit fides historica? Atque notanda sunt insuper verba Gerhardi nostri, quæ sibi dicta putent, qui hæc impugnant. Ita autem ille? Summæ igitur impudentiæ & audaciæ fuerit, tam multos & graves Scriptores, quorum consentientium monumentis expressa liquet veritas, mendacii cujusdam arguere! Ajunt tamen, fide papistica hoc credendum esse; quod etsi novum sit commentum, scio tamen, quid sibi velit. Nimirum Pontificios, cum omnia alias deferre consueverint suis historicis, qui hoc de Papissa retulerunt, aut per omnia elevare debere eorum maxime circa miracula aliasque de sanctis narrationes minus verisimiles, aut simul credere, in cathedra Petri sedisse aliquam meretricem. Verbo: papisticos scriptores retulisse hoc in historiam, ergo papistis, non etiam orthodoxis, credendam esse fide papistica. Enimvero miseret me miseræ hujus explicationis. Neque enim provocavimus solum ad papisticos scriptores, sed etiam ad Græcos & Judæos. Num vero ea, quæ apud Græcos & Judæos literis prodita, fide papistica constant? Itaque hoc quidem argumento nihil hactenus decedit nostræ sententiæ. Sed jam longior, quam par erat, fui. At enim quia

recen-

recentiores nonnulli scriptores ratiunculis quibusdam undique corrasis hanc historiam conati sunt reddere suspectam, de illis quoque, quantum quidem temporis ratio patietur, videbimus. Principio illud quidem urgent, non extare scriptorem συγχρονον: idcirco falsum esse, quod hic asserimus. Dicunt, Anastasium, qui hac ætate vixit, nil tale habere, non Rhegionem, non plures alios. Enimvero licet vel uno verbo respondere, ab autoritate negative argumentationem non valere. Si enim hoc argumentum consistet, periere nobis omnes omnino historiæ Unde ne in sacris quidem negative concludi potest. Matthæus, Marcus, & Lucas Christi cum Samaritana colloquium ac Lazari resuscitationem non describunt: Ergo propterea tota illa res repudianda erit? misera consequentia. Quare autem illi nullam Papissæ facere mentionem voluerint, causam nobis aperiat Ranulphus in Polychronio L. 5. c. 32. dedita scilicet opera ab illis fuisse præteritam, ne qua ignominiæ labe sedes inde aspergeretur. Nec abludit Martinus Polonus, qui, non poni eam in Catalogo Pontificum, ait, tam propter muliebrem sexum, quam propter deformitatem facti. Non-

M nulli

nulli (scribit Trithemius) fœminam illam inter Pontifices ponère noluerunt, quasi indignum facinus abhorrentes. Nullus igitur illorum Autorum negat, Joannam extitisse in rerum natura, sed tantum omnes eam omittunt in recensendis Pontificibus, quod non ὄντως sed δοκαστικῶς tantum Pontifex fuerit. Quare inquit, Sigebertus ipse eam inter Pontifices non numerat. Nonne ipsemet Baronius ad A. 794. n. 1. fatetur, Bonifacium VI. a quibusdam veteribus non numerari inter Pontifices, quamvis sedem tenuerit strangulato Benedicto VI. per menses 3. Rhegino vero Prumiensis & Lambertus Schnaffnaburgensis Pontifices seriatim non recensent, nec Joannam modo sed alios quoque bene multos silentio prætereunt.

Sed vero necesse non est, ut huc deveniamus: habemus enim omnino, ceu pluribus supra probatum dedimus, scriptorem coævum, Anastasium, qui Romæ spectavit rem suis oculis: nisi quis malit fidem derogare viris summis, Salmasio, Frehero, Bœclero & aliis, quos mendacii arguere nemo sine ingenti audacia potest. Ubi non possum, quin de codicibus Anastasii illud adhuc adjiciam, ipso fatente Blondello p. 45. Manuscriptos codices Anastasii vetustiores

stiores passim in Gallia, Germania, Anglia, Italia, Hispania, Belgio mutilos esse, & circa finem Leonis IV. laceros: cujusmodi etiam Lutetiæ in Regia Bibliotheca unum & alterum se vidisse asserit Maresius. Quæ sane mutilatio non potest contigisse aliam ob causam, quam ad supprimendam Joannæ historiam, quæ Leonis vitam immediate consequebatur. Hinc igitur alterutrum sequatur necesse est, aut ultra Leonis vitam Anastasium non processisse, adeoque nullum ex ipso peti posse testimonium contra papatum Joannæ: aut id vulneris ubique accepisse studio hostium veritatis, quorum intererat rei tam obscœna memoriam interire. Cui argumento atque observationi quantum insit ponderis, nemo non videt, qui oculos habet. Ajunt, annos, qui Joannæ tribuuntur, non convenire cum temporum ratione. Sed vero hoc argumentum nullius est ponderis. Quid enim incertius est Chronologia Pontificum hujus præsertim & subsecuti seculi. Onuphrius ipse ad Platinam (in vita Nicolai I.): Quum sequentes Pontifices a Nicolao I. usque ad Clementem II. annorum videlicet propemodum CXXC. neque perpetuum quendam habeant scriptorem, & majorem suorum actorum partem amiserint,

tempora adeo incerta & obscura habent, ut neque quo loco neque quo ordine aliquot Romanorum Pontificum nomina reponerentur, satis liqueat. Discrepantiam igitur Chronologorum hac quidem in parte satis agnoscimus, & quod facilius queat convenire inter magnæ alicujus urbis horologia, quam inter illos: inde tamen non statim sequitur, eos historicos falsa nobis venditare, quorum Chronologiam vel cum ipsismet vel cum aliis nequimus conciliare. Si quem enim ea juvabit imitari, id ex isto sumendo autore, istud ex alio, nulla erit tam historia apud veteres, quæ non posset in dubium vocari, imo plane everti. Debebit sane etiam apud nos nutare fides historiæ ipsius Sacræ Scripturæ V. & N. T. in cujus chronologia quædam nobis esse ἄπορα omnes fere fatentur. Quid? quod Onuphrius in suo Pontificum Chronico, Platinæ subjuncto, addit nonnullis Joannam partim præcedentibus partim sequentibus Pontificibus menses immo annos, apud Marianum non repertos, e quibus biennium Joannæ facile conficiatur. Non igitur ita faciles simus ob frigidas aliquas chronologicas conjecturas & vitiligationes, in ea historia rejicienda, quæ tot seculorum consensu & historicorum alio-

aliorumque scriptorum omnis ordinis præsertim e sinu ipsius Ecclesiæ Romanæ testantium autoritate & fide comprobatur. Quod tertio objiciunt, quoad circumstantias admodum variatum esse a scriptoribus hujus historiæ: misera rursus est consequentia. Si enim propter aliquam in circumstantiis discrepantiam inter scriptores ejusdem historiæ, aut quorumlibet eorum aliquot parachronismos, fides pereat rerum, in quibus narrandis quoad substantiam cæteroquin conveniunt, nihil erit tam constans in historia tum Ecclesiastica tum Civili, quod hac arte eludi & rejici non possit. Nullum enim mihi dederis veterem historicum, qui nec secum nec cum aliis ullo modo committi queat. Cujus equidem rei exempla aliquot luculentissima suppedidat D. Wagnerus Institut. Histor. L. I. C. XIV. p. m. 120. ubi etiam NB. causidicis hanc instantiam suadet esse relinquendam, quippe qui ex minima circumstantiola omnimodam variationem, sæpe inficiationem facti extorquere conantur. Neque desunt huic rei exempla e Sacris depromta literis. Videat enim quis Genealogiam Servatoris nostri Christi apud Lucam & Matthæum Evangelistas, & deprehendet, pleraque nomina a se discrepare, atque ita

confusam eam esse, ut hæreat fere omnibus eruditis aqua, nec tamen inde falsam eam esse sequatur. Si enim de summa re constat, non debemus adeo rigidi esse in minoribus. Sic notamus exemplum, quod esse potest instar omnium. 1. Reg. IV. 26. legimus in Bibliis nostris Germanicis: **Und Salomo hatte 40000. Wagen-Pferde, und 12000. Reisige.** In loco autem parallelo 2. Chron. IX. 25. habemus: **Und Salomo hatte 4000. Wagen-Pferde &c.** Eadem res narratur duobus locis, modo tamen plane diverso. Si simile quid reperirent in hac historia, quantopere triumpharent? Sed vero hic universum discrimen est quinque annorum. Habemus aliud exemplum in historia Resurrectionis dominicæ, in qua cardo salutis nostræ vertitur; neque enim videntur nulla ratione in eadem discrepare Evangelistæ, quis tamen dixerit, eam historiam non esse veram? Absit. Omnia siquidem salvari possunt, atque diversa tantum scripserunt Evangelistæ, non contraria, teste Augustino Episcopo Sanctissimo, qui inde quoque ducit argumentum pro veritate N. T. Ait enim, inde patere, non conspirasse inter se Evangelistas quoad circumstantias, cum in cæteris mire conveniant.

veniant. Et vero cur hoc obtingere non possit etiam in Scriptoribus συγχρονοις? Citetur testis Gustaphus Adolphus Rex Sueciæ, gloriosissimæ memoriæ: de cujus morte vix duo Scriptores inter se conveniunt, sed tot ferme sunt discrepantes sententiæ, quot scriptorum capita: quis tamen inde negaverit, eum nunquam extitisse? Et hæc locum habent etiam in aliis: deprehendemus enim in reliqua historia universa de bello Germaniæ (ubi tamen plerique Scriptores συγχρονοι) tantum discrimen, quantum potest esse maximum. Neque etiam semper vera sunt, quæ a Scriptoribus coævis scribuntur. Jam ulterius instant, aliquos Scriptores Leoni IV. statim subjungere Benedictum III. excluso Joanne VIII. itaque verisimile esse, Joannem non fuisse in rerum natura. Sed nos potius dicimus, adesse Anastasium. Atque hæc Herculis clava, quam nobis eripiet nemo. Nec valet hæc argumentatio: Quidam Scriptores negligunt Joannem VIII. Ergo nullus fuit in rerum natura. Omiserunt enim plerique ob deformitatem facti, veriti scil. supercilium Pontificis, uti in antecedentibus pluribus fuit demonstratum; qua ipsa ratione etiam adductus Platina (quippe memor carceris, e quo haud ita pridem sub

Paulo II. evaserat) non sine trepidatione & deprecatione. Hæc, inquit, quæ dixi, vulgo feruntur, incertis tamen & obscuris autoribus, quæ ideo ponere breviter & nude instituí, ne obstinate nimium & pertinaciter omisisse videar, quod fere omnes affirmant. Erremus etiam nos hac in re cum vulgo. Quanquam apparet, ea, quæ dixi, ex his esse, quæ fieri posse creduntur. Sed vero (ut ex diverticulo hoc in viam redeam) constat, Luitprandum, Scriptorem antiqnum, Joannem duodecimum statim subjungere Joanni Ravennatensi, omissis Leone VI. ac Stephano VIII. nec tamen quispiam dixerit, eos non fuisse in rerum natura. Insurgunt tamen amplius atque causantur, Scriptores de hac historia dubitanter admodum loqui, adhibitis formulis dubitativis, Fertur, ajunt &c. Sed rursum nihil in recessu habet hoc argumentum. Primo enim dicimus, falsum esse, quod omnes ejusmodi formulis utantur. Anastasius certe, qui primus hanc historiam consignavit, non utitur tali aliqua particula, sed citra dubitationem ac trepidationem asserit, sedisse hanc fœminam annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor. Platina quoque (cujus verba paulo ante recitavimus) fatetur omnes fere hoc affirmare.

Deinde

Deinde vero agnoscimus, equidem, Scriptores aliquos adhibuisse tales particulas; sed vero respondemus primo, cum certum sit, multos reverentia aulæ Romanæ permotos plane omisisse hanc historiam, verosimile omnino evadere, alios maluisse emollire nonnihil hanc narrationem, ne graviter nimis incurrerent odium aulæ Romanæ. Amplius, quis ignorat, frequenter, Ajunt, Dicunt, Ferunt, dicere Scriptores etiam in re, de qua minime ambigebant, eamque loquendi formulam sæpe præmodestia, alias ad invidiam declinandam: nonnunquam solius elegantiæ ac transitionis causa, in re verissima & manifestissima ab iisdem adhiberi, ceu curate demonstravi in Diss. de Imperatoribus Francicis. Magnum vero sibi commentus videtur Baronius, dum urget & vehementer quidem, quomodo id exprobrare præteriissent Romanæ hostes Ecclesiæ? Nihil enim tale dicere Michaelem, qui tum temporis Orientale moderabatur Imperium, atque nonnullorum stimulis in eandem Romanam Ecclesiam concitatus omne genus convitiorum in eam contumeliosius valde conjiciebat: non Photium etiam Constantinopolitanum Patriarcham, sedis Romanæ infensissimum hostem, qui cum sede cen-

ſeretur indignus, quod eſſet Eunuchus, optimo utique jure potuiſſet imo debuiſſet regerere, quod etiam fœmina thronum Romanæ Eccleſiæ conſcendiſſet. At enim vero ut certi eſſe poſſemus, id probrum ab Imperatore Græcorum Michaele & Patriarcha Photio vel aliis Romanorum Pontificum adverſariis objectum nunquam fuiſſe, neceſſe foret, extare omnia omnium ſcripta. Baronium igitur ea protuliſſe oportuerat, ſi argumenta nonnullarum virium eſſe debebant. Et ſane extat quidem hodie epiſtola Nicolai I. Pontificis, qua Imperatori Michaeli reſpondet: Michaelis autem Epiſtola non extat. Ex pluribus tamen Nicolai ipſius reſponſionis locis ſatis apparet, Michaelem multa objeciſſe, quibus reſpondere Nicolaus ſubterfugerit: quandoquidem expoſtulat, quod ab injuriis ſcribens inchoaverit contra primam & magiſtram omnium Eccleſiarum, & cauſas reddens, quare omnibus non reſponderit, primam facit ſuam ipſius ægritudinem, alteram legati Conſtantinopolitani feſtinationem, tertio inquit, quia cum eadem, quæ ſuperfuerunt in ipſa Epiſtola, ad quæ nihil reſpondimus, ſed potius philoſophando contemſimus, plena eſſent omni pravitate & blasphemia, non veſtra eſſe verba, quæ

tam

tam perperam ſonabant, credidimus. Epiſtola licet hæc in juſtum volumen excreverit, unde meretricem illam ei objectam non immerito quis ſuſpicetur, quam porro Nicolaus, ejus memoriam ſibi extinguendam ratus, ut ex faſtis eraſit, ita & in hac ſua reſponſione ſilentio præterire maluit. De Photii vero contra Romanos Scriptis docet nos ipſe Baronius A. 868. n. 39. Adrianum II. A. 866. quod Nicolaus I. prædeceſſor conſequi non potuerat, ab Imperatore Baſilio Michaelis Succeſſore obtinuiſſe, ut liber Photii, in quo Michaelis Epiſtola continebatur, Romam mitteretur, qui ſynodali judicio combuſtus, magna, inquit, ſua gloria, ſedisque Apoſtolicæ honore: hoccine Nicolaum & Adrianum tam enixe ſategiſſe fruſtra exiſtimes? Quid cauſæ fuiſſe arbitrabimur, quare in Epiſtolam Michaelis & ſcripta Photii tantopere iſti ſævierint, & omni ope atque conſilio, ut e rerum natura ſublata poſteritatis memoriæ ſubducerentur, enixi ſunt? Quare non credamus, & alia multa, & fœminam Romano throno inſidentem haud ita pridem, aculeatis verbis objectam fuiſſe? Quemadmodum poſtea ſane a Barlaamo Græco Monacho factum eſſe ſupra audivimus. Sicuti autem ob calcatum a Tul-

a Tullio paternum cadaver, ſceleratum dici vicum, Romæ veteris exegit dolor, ita nemini ſane mirum videatur, ſi ob violatam per inauditum antea ſcelus ab impuriſſimo proſtibulo ſedem pontificiam tanta Clerus urbanus indignatione exarſiſſe dicatur, ut execrandum poſteris imo nec viſu dignum tanti piaculi locum duceret! Audiamus in hanc rem verba Boccatii, qui Lib. de Claris Mulieribus C. 99. hunc in modum ſcribit: Ad cujus deteſtandam ſpurcitiem & non continuandam memoriam in hodiernum uſque ſummi Pontifices Rogationum cum Clero & populo ſacrum agentes, eum locum partus medio ejus itinere poſitum abominantur, eo omiſſo declinant per diverticula vicosque, & ſic loco deteſtabili poſtergato reintrantes iter perficiunt, quod cœpere. Declinatæ hujus viæ Martinus quoque Polonus meminit. Is enim, quippe Papæ Pœnitentiarius, cum diu Romæ egerit, mirum non eſt, ſi ex ſibi viſis & obſervatis in urbe comprobaverit, quod tot alii ante ſe de Joanna narraverant. Hinc eſt, quod Antoninus, Archiepiſcopus Florentinus, in Catalogum Sanctorum ab Adriano VI. relatus, & declinatæ viæ cum Martino, & ſtatuæ cum Theodorico meminerit. Quia igitur

viam

viam etiamnum obliquare Pontifices negare non ſuſtinent, cauſam aliam comminiſcuntur, quod recta via tantæ turbæ excipiendæ anguſtior ſit. Attamen qui ex peregrinis & indigenis Romanis conſiderabunt pompam papalem ſive proceſſionem etiamnum hodie perſeverare in tranſeundo per aliam plateam, quæ nec latior eſt, & iter proceſſionis prolixius facit, non poterunt ſibi imaginari, quod per hosce anfractus procedant alia de cauſa, quam in memoriam, adde deteſtationem in famis accidentis ſuæ Joannæ. Rei ſane veritatem agnoſcit Boccatius, ipſeque adeo Platina, de primo, inquit, non abnuerim.

Inſtant vero conſtare ex Onuphrio, Pontifices non habitaſſe in Vaticano, ſed in Lateranenſi palatio uſque ad tempora Bonifacii IX. qua igitur ratione dici poſſit, Joannam peperiſſe in itinere, cum ex Vaticano inviſere vellet Eccleſiam Lateranenſem? Enimvero Martinus Polonus, qui hanc loci circumſtantiam annotavit, non dicit e palatio Vaticano in Lateranum iviſſe, ſed cum de S. Petro e templo ſcilicet, ubi ſtatio fuerat & ſacra celebrata erant, in Lateranum tenderet. Num ergo negare poterunt, & tunc & multo ante, templum D. Petri extitiſſe,

tisse, a quo in Lateranum processionaliter; uti loquuntur, itarent? Incredibile tamen illis videtur, quod novem mensium spatio nemo ex tot familiaribus nemo ex tot aulicis, qui Romanum Pontificem comitari semper solent, rem tam claram animadverterit. Imo quid frequentius? quasi non quotidie usuveniat, ut mulierculæ arte & vafritie Joanna longe inferiores, ad ipsum usque partus momentum uterum celent. Quin apparet ex obitu puerperæ, fœtum tempore parum congruo & justo maturius editum esse, ut casum consilio prævertere fœmina alioquin vaferrima nequiverit. Breviter nihil profuit versutæ sua versutia, quia justo Dei judicio venerat summa dies & ineluctabile tempus. Huc tamen evadunt; ut dicat dictant fœminam aliquam Moguntiæ claruisse, atque id sibi sumsisse, ut in rebus Ecclesiæ aliqua pro arbitrio disponeret, atque ab hac ortam fabulam. Sed Deum immortalem! Quis sanæ mentis hoc diceret? Sed hoc est miserum effugium Leonis Allatii, hominis inepti, & qui, dum hæc scriberet, senio tantum non delirabat. Quæ enim consequentia; Moguntiæ fœmina quædam magni nominis fuit, Ergo illam Romani, Græci, Germani & Judæi unanimiter

pro

pro Pontifice venditarunt. Senſum communem in his deſidero. Sed ſi hanc quis nolit admittere, quippe vix nomine cognitam, ſubſtituunt Theodoram, ſcortum impudens, quæ, quod dictu etiam fœdiſſimum eſt, Romanæ civitatis non inviriliter, ut ait ille, monarchiam obtinuit, atque ex ea exſculpunt, ſi Diis placet, Joannam Papam fœminam. Enimvero qui hæc fingunt, quare non alia quoque nobis ſupponunt? Omnes norunt, quam poteſtatem exercuerit Romæ Olympia tempore Innocentii X. Quare igitur ex ea Papam non fecerunt? vel ex Mathilde, quæ vixit Gregorii VII. temporibus, cujusve eximia in civitate Romana erat poteſtas? Imo ſi ex Theodora Pontifex prodiit, quare non item ex ejus filia Marozia? cujus major omnino erat, quam matris ipſius autoritas: Pontificem enim Joannem X. a matre Theodora olim evectum ipſa dejecit atque e medio ſuſtulit, ſubſtituto in ejus locum filio Joanne, quem ex Sergio Papa meretrix ipſa genuerat. Vid. omnino Baronius A. 928. n. 2. A. 931. n. 1. A. 933. n. 5. ſunt equidem plures hujus generis conjecturæ miſeræ ſatis, imo ridiculæ (*e*) quas ſciens

(*e*) Qualis eſt Stephani Forcatuli, cujus Lib. VII. de Gallorum Imperio & Philoſophia p. 477. (edit. Pariſ.

sciens lubensque prætereo, cum istas vel recitasse sit confutasse. Neque enim tam obtusa gerimus pectora, ut hisce fidem habeamus. Denique non movet nos autoritas Leonis Allatii, hominis fidei plane suspectæ: provocavit iste quidem ad Archiva Pontificis: sed vero cur non concedunt potestatem ea inspi-

---

paris. 579.) hæc sunt verba: Quid si Joanni forte accidit, ut sexum mutaverit? Sicuti e diverso T. Livius asserit, eo tempore, quo T. Gracchus Proconsul apud Beneventum contra Hannonem Pœnum pugnavit, proposita servis libertate, qui caput hostis retulissent, ex muliere virum factum Spoleti —— Sed ii non credent hoc evenisse, qui non recordantur, uxorem Loth in Salem versam, & Deum mira facere oblitum suspicantur &c. Idem Pontificis recens electi sexum explorari ad hoc suspicatur, ut se hominem Sacer Pontifex meminerit pro castimonia adversus naturæ stimulos luctaturum.

Sed vel hoc solo commento se dignum reddidit elogio Forcatulus, quo illum non ita pridem prosecutus est Vir Celeb. Henricus Brencmannus, eum hominem ampullosum ac nugivendum nominans in Historia Pandectarum Florentin. Lib. I. C. X p. 63. Quædam hujus farinæ exceptiones, sellam præcipue stercorariam, quam alii testiculatricem vocare malunt, spectantes, salse & lepide perstringuntur a personato Hieremia Pelegrino, Seraphici ordinis Professore, in Decisionibus Gratiani redivivi de Pontificali catholomania & inverso morum & sacrorum Romanorum ordine, obscurorum virorum stilo scriptis, & A. 1607. in 8. impressis, p. 9. sq. Verbis ejus ipsis recitandis supersedeo, cum nonnulla ab obscœnitate prope absint.

inspiciendi? Scilicet norunt omnes viri docti, quantopere scriptores bonos corrumpant Pontificii, atque supprimant. Plura igitur in hanc rem proferre non attinet. Atque hæc quidem sufficiant hac vice de historia Joannis VIII. Papæ fœminæ, cujus veritatem indubiis, ceu speramus argumentis evicimus. Credamus igitur hanc historiam fide historica, quia majores nostri (*f*) crediderunt, credent quoque filii, credentque nepotes!

N VI.

(*f*) Antiquis autoribus, qui Joannæ Papatum asseruerunt, accensendus quoque est Anonymus scriptor Historiæ Romanæ ab U. C. usque ad tempus Constantini M. cui templorum LXXXVI. Romæ existentium descriptio annexa est. Eum Romæ A. 1499. olim editum luci publicæ restituit Arnstadiæ A. 1722. Gotfrid. Tenzelius. Verba ejus de nostra Joanna hæc sunt p. 77. Item habetur in serie Pontificum Romanorum, quod Joannes Anglicus post Leonem sedit annis II. mensibus V. diebus IV. vacavit sedes mense uno. Ut asseritur, Fœmina fuit, & juvenili habitu ab amasio suo Athenis ducta in diversis scientiis tantum profecit, ut Romæ tandem legeret triennium, & magnos magistros discipulos haberet: nec aliquis sibi par ibidem inveniretur. Magnæ itaque scientiæ & opinionis existens in papam concorditer eligitur. Sed in papatu per familiarem imprægnatur. Verum tempus partus ignorans, de S. Petro in Lateranum tendens, angustata peperit inter Colisæum & S. Clementem, & ibi-

ibidem, ut dicitur, mortua fuit. Hanc viam quando Papa obliquet, dicitur a plerisque, quod propter detestationem facti hoc fiat. Nec ponitur in Catalogo Pontificum, propter mulierum sexum, quantum ad hanc difformitatem. Huic opusculo eruditam præfationem de Joanna præmisit Vener. Jo. Christ. Olearius. Legi quoque merentur, quæ occasione hujus loci in Biblioth. Bremens. Class. VII. p. 934. sqq. observavit vir eximius, qui sub Irenæi Bibliophili nomine hactenus latere voluit, & Celeb. D. Th. Hasæus. Variorum etiam, qui hanc pontificalis puerperii historiam commemorarunt, testimonia, per Eliam Ehingerum congesta, non ita pridem commentationi eleganti de ejus vita & scriptis subjecit p. 163. sqq. Vir Clar. Jac. Bruckerus.

VI.

Argumenta potiora, quæ a Viris eruditis contra historiam de Joanna Papissa afferri solent. (a)

A Sexcentis, & quod excurrit, annis de Joanna Anglica, Moguntiæ oriunda sermo percrebuit, quod sexum mentita virilem eo successu Romanis imposuisse feratur, ut communibus post Leonis IV. obitum votis ad pontificiale solium evecta fuerit. Hæc narratio per tot secula communi omnium consensu pro vera habita, nostro demum & superiori seculo in dubium vocari cœpit, nonnullisque elegantiori doctrina præstantibus viris ansam dedit, accuratius in veritatem hujus historiæ inquirendi, eo successu; ut quidam ex iis quoque, qui ab Ecclesia Ro-

(a) Quis ea consignaverit, ego juxta cum ignarissimis scio: hoc tamen novi, seculo superiori in Academia Altorfina conscripta esse. Haud vero ingratum fore Lectori, mihi persuadeo, heic in epitomen redacta conspicere fortiora argumenta, quibus Joannæ papatus destrui alias solet. Per me quivis suo utatur judicio. Plures, a Romanæ Ecclesiæ communione alienos, qui hanc narrationem fabellarum in censum retulerunt, enarrat Jo. Christianus, L. Baro de Boineburg, in Epistolis ad Jo. Conr. Dietericum p. 65. sq. & 234.

Romana divortium fecerunt, quicquid de Joanna narrarunt hiſtorici veteres, pro commento & fabula publice habuerint. Horum itaque argumenta, cum non plane nullius ponderis eſſe mihi videantur, in compendium referre, atque in medium producere adverſus ſententiam communem placet. Primo igitur ita argumentor: Quæcunque narratio a Scriptoribus coætaneis plane omiſſa, ex locis ſolummodo quibusdam recentiorum probatur, nec ſatis cum Chronologia convenit: illa pro vera non eſt habenda. Atqui hæc de Joanna Papiſſa talis eſt. Ergo.

Minor tribus abſolvitur membris 1. hanc narrationem a ſcriptoribus coætanenis plane omiſſam fuiſſe. 2. eam ex locis quibusdam ſuppoſititiis nonnullorum recentioris ævi ſcriptorum probari. Et denique 3. cum Chronologia male convenire. Quæ omnia nunc ordine erunt probanda. Sed prius quidem membrum quod attinet, hanc hiſtoriam a nemine coætaneorum commemorari, de eo nos dubitare non ſinit ſcriptorum, qui tum temporis vel paulo poſt vixerunt, inſpectio. Inter hos merito familiam ducit Anaſtaſius Bibliothecarius, quem ſequuntur Guilielmus Bibliothecarius,

Anna-

Annales Bertiniani, Ado Viennenſis, Rhegino, Luitprandus, Lambertus Schaffnaburg. Flodoardus, Hermannus, Conradus, qui omnes memorabilis hujus hiſtoriæ, quam procul dubio non omiſiſſent, nullam plane mentionem faciunt, ſed omnes miro conſenſu Leonem IV. A. 854. denatum, & Benedictum III. A. 855. eidem ſuffectum ſcribunt.

Objiciunt I. non ſtatim ab omiſſione Scriptorum coætaneorum ad falſitatem hiſtoriæ alicujus concludi poſſe, cum de multis rebus coætanei deficiant, quæ tamen nihilominus pro veris habeantur ab omnibus. E. g. de ortu & excidio Romæ nullus extat ſcriptor coævus, nec tamen ſequitur: Ergo quæ de eo ſcribuntur, vera non ſunt. Sed reſpondeo: verum id quidem eſſe, & non ſemper tale valere argumentum, ſed id tum demum obtinet, quum nulli amplius coætanei ſcriptores ſuperſunt: tunc enim, dummodo narratio abſurda non ſit, credendum eſt, ſcriptores recentiores rem ab antiquioribus fide dignis, quorum monumenta amplius non extant, accepiſſe. Aſt ubi de tempore hiſtoriæ alicujus, quæ recentioribus commemoratur, antiqui ſcriptores coævi extant, iique omnes ſilent, illiusque demum

mentio apud recentiores occurrit, merito fides illorum in dubium vocatur, maxime cum præſumendum non ſit, ſcriptores συγχρόνους, qui alias bona fide omnia narrant, rem inprimis memorabilem omiſſuros fuiſſe.

Objiciunt 2. in gratiam aulæ Romanæ illos hanc hiſtoriam omiſiſſe. Reſpondeo α. Hæc conjectura eſt, adeoque nil firmiter probat; neque enim facile credendum eſt, ſcriptores hoſce rem tam memorabilem, & quæ in memoria ac ore omnium fuit, omiſſuros fuiſſe, qui alias ſatis libere de vitis Pontificum ſcripſere. β. Non ſolum ſcriptores hoſce nullam plane hujus hiſtoriæ mentionem facere, ſed contrarium non obſcure innuere. Dum enim omnes Leoni IV. immediate Benedictum ſucceſſiſſe ſcribunt, Joannam plane excludunt. γ. Utut de Latinis hiſtoricis hoc dicemus, quis quæſo Latino clero inſenſiſſimis ultionisque avidiſſimis Græcis, Photio & Nicephoro in mentem venire potuiſſe putet, ut indicto ſibimet ſponte ſilentio Romanorum Pontificum, quos undecunque quæſitis criminationibus odioſiſſime exagitabant, famæ parcerent, vel Anaſtaſium, Hincmarum, Adonem Viennenſem, Luitprandum id ſeſe conſecutu-

cuturos ſperaſſe fingat, ut illatum dedecus tacendo diſſimularent? quod tamen famoſa ſtatuarum palam erectio, ſcrupuloſa in proceſſionum ſolennibus ſceleris conſciæ viæ declinatio, ſtercorariæ ſedis ad explorandum Paparum ſexum inpoſterum inſeſſio, orbi indeſinenter abuccinabant. Quomodo itaque Scriptorum in gratiam Romanæ ſedis ſtudioſum ſilentium cum hiſce factis, quæ magis, quam omnia ſcripta, quotidie cuivis facti turpitudinem in memoriam revocabant, ſtare poſſit, non video.

Provocant 3. ad teſtimonium Anaſtaſii Bibliothecarii, & licet quidem extra omnis dubitationis aleam poſitum ſit, in omnibus Codicibus impreſſis, quibus hodie utimur, tum quoque pleriſque MSStis de memorabili hac hiſtoria ne γρῦ quidem extare; dubium tamen de ingenuitate modernorum exemplarium jam olim movit æternæ memoriæ Vir Cl. Salmaſius, qui extitiſſe quondam in celebri Heidelbergenſi Bibliotheca MSStos Codices duos, in quibus hiſtoria de Joanna noſtra legebatur, frequenter amicis ſuis narrare ſolebat; unde ea conjectura, non omiſiſſe Anaſtaſium celebrem hanc hiſtoriam, eam tamen, cum parum ad Romæ ſedis dignitatem facere videbatur, ab

iis, quibus summorum Pontificum autoritas curæ cordique fuit, mala fide fuisse expunctam. Ita si res se haberet, jam de veritate hujus historiæ nullum amplius superesset dubium: at vero cum locum hunc, qui quibusdam Anastasii codicibus insertus cernitur, suppositum, & recentioris cujusdam manu contra veterum exemplarium fidem interpolatum esse, non levis sit suspicio, operæ pretium erit, accuratius paululum in locum hunc, a quo vis omnis hujus argumenti dependet, inquirere, & quantum ipsi tribuendum sit, dispicere. Ante omnia autem afferenda erunt ipsa Anastasii verba, quibus hanc rem in nonnullis exemplaribus narrat: & licet quidem præter supra memoratos duos Codices Palatinos nullus fere alius hactenus cognitus fuerit, qui detestandæ hujus historiæ mentionem faceret, repertus tamen est codex MStus Bibliothecæ Regiæ , in quo locus ille interpolatus habetur. Verba ipsa ope Puteanorum fratrum exhibet vir summus David Blondellus. Sunt autem hæc: Post hunc Leonem Joannes Anglicus, natione Moguntinus, sedit annis duobus, mense uno, diebus quatuor, & mortuus est Romæ, & cessavit episcopatus mense uno. Hic (ut asseritur)

ritur) fœmina fuit, & in puellarietate e quodam suo amasio in habitu virili Athenis ducta sic in diversis scientiis profecit, ut nullus sibi par inveniretur, adeo ut post Romæ . . . . . , legens, magnos magistros discipulos & auditores haberet; & cum in urbe vita & scientia magnæ opinionis esset, in Papam concorditer eligitur: sed in papatu per suum familiarem idem impraegnatur. Verum tempus partus ignorans, cum de S. Petro in Lateranum tenderet; angustiata inter Coliseum & S. Clementis Ecclesiam peperit, & post mortua, ibidem (ut dicitur) sepulta fuit. Et quia Dominus Papa cum vadit ad Lateranum, eandem viam semper obliquat, creditur a pluribus, quod ob detestationem facti hoc faciat; nec ponitur in Catalogo Pontificum, propter muliebris sexus deformitatem quantum ad hoc. Hic locus ille celebris Anastasii, qui in quibusdam exemplaribus manu exaratis, a recentioribus imposturam passis, habetur, qui si curiosius paululum conferatur cum verbis, quibus rem narrat Martinus Polonus, ad oculum apparebit, illum per omnia fere cum verbis Poloni convenire, manifesto argumento, locum hunc a Scriptore quodam imperito Codici Anastasio contra reliquorum

antiquorum Codicum fidem insertum, & cum, quisquis fuerit interpolator ille, nihil de celebri hac historia in Anastasio reperiret, ex nimio fortassis & inepto curiositatis studio ex Martino Polono esse exscriptum, adeo, ut injurii videantur in manes Anastasii, qui illum inter Papissæ præcones familiam duxisse volunt, de qua ille procul dubio ne per somnium quidem cogitavit.

Putant equidem nonnulli 4. verba, quæ habentur in Martino Polono, esse ipsa Anastasii, adeoque Martinum Polonum historiam hanc ipsis Anastasii verbis in genuinis & hunc temporis adhuc incorruptis Codicibus repertis narrare. Verum enim vero huic opinioni primo repugnat omnium vetustissimorum exemplarium consensus, in quibus de Joanna Papissa nec vola nec vestigium extat, paucos vero illos Codices, in quibus mentio rei habetur, recentiores esse, nec ipsi quidem dissentientes negare audent. Adsunt præterea, quod ad conficiendam rem præcipuum est, manifesta quædam argumenta, quæ firmiter evincunt, locum hunc non Anastasii, sed vel illius Martini Poloni, vel alius alicujus interpolatoris esse. Perlegenti locum occurrunt primo hæc verba:

Hic

Hic uti asseritur. Hæc verba apertæ falsitatis hunc locum convincunt: nam si revera hæc contigit historia, quomodo Anastasius, qui tum temporis Romæ vixit, adeoque testis oculatus esse potuit, factum ignorare quivit, & ex incertis aliorum rumusculis (quod per verbum *asseritur* innuitur) rem enarrare? Certe verbis hisce, *creditur*, *asseritur*, *dicitur*, & similibus tum demum utimur, cum rem, de qua certo non constat, enarrandam suscipimus: quæ autem vel ipsi vidimus, vel alias indubitata fide nituntur, alio dicendi genere proferre solemus, adeo, ut verba hæc Anastasio αὐτόπτῃ minime conveniant. Hoc primum est. Pergit interpolator: *Athenas deducta.* Constat autem eo tempore neque Athenis, neque usquam in Græcia fuisse ulla Gymnasia literaria. Scribit enim Synasius in Epist. ultima ad fratrem suum, suo tempore Athenis non fuisse nisi nomen Academiæ. Fuit autem Synesius paulo post tempora Basilii & Nazianzeni. Scribunt etiam Cedrenus & Zonaras in vita Michaelis & Theodoræ Imperat. circa finem imperii Michaëlis, cum nimirum solus regnaret matre Theodora amota, bonarum literarum & philosophiæ scholas fuisse restitutas a Barda Cæsare, cum

usque

usque ad illud tempus per annos plurimos ita fuissent extincta omnia studia sapientiæ in Græcia, ut ne vestigium quidem ullum extaret. Constat autem imperium Michaelis solius, Theodora amota, incidisse in tempora Nicolai I. qui successit Benedicto III. Ex quo sequitur, post mortem Joannis istius cœpisse in Græcia reviviscere studia sapientiæ: ante hæc vero tempora penitus fuisse quasi sepulta, adeoque & hæc verba locum hunc maxime reddunt suspectum. Pergit interpolator: *Cum de* S. *Petro in Lateranum tenderet*: quæ iterum tempori quo Joannam sedisse volunt, male conveniunt. Certissimum enim est & eleganter demonstratum ab Onuphrio Panvinio Lib. de VII. Ecclesiis, Romanos Pontifices non habitasse in Vaticano usque ad tempora Bonifacii X. quomodo ergo, si in Laterano habitabat, voluit ex Vaticano invisere Lateranum? Cum itaque extra Lateranum degentes Pontifices non viderit Anastasius, novum argumentum est, locum hunc esse supposititium. *Tenderet*: credibile non est, quod mulier uterum gerens jam tot menses, tunc maxime voluerit procedere, quando maximum periculum erat, ne detegeretur. Sed pergamus ad reliqua: *Angustiata inter Colisæum*

ſæum —— mortua ibidem, ut dicitur, ſepulta eſt. Hic rurſus habetur certa: *ut dicitur*; dubiæ narrationis nota. Quodſi enim in via peperit & periit & ſepulta eſt, quomodo Anaſtaſius ſcriptor σύγχρονος, teſtisque oculatus & Romæ præſens de hoc dubitanter ſcribere, & rem tanquam minus compertam inque incerto ſitam ex fluctuantibus aliorum rumuſculis tradere potuit? Pergit: *Quia Dominus Papa, cum vadit ad Lateranum, eandem viam ſemper obliquat.* Cum jam dictum fuerit, iis temporibus Pontifices in Laterano nondum habitaſſe, neceſſe eſt, hæc verba non Anaſtaſii eſſe, ſed recentioris cujusdam, qui poſt conſtitutum in Vaticano Pontificum ordinarium domicilium vixit. Porro: *creditur a plerisque.* Hæc rurſus recentiorem manum teſtantur. Anaſtaſius certe rem, cui præſens aderat, ex aliorum narratiunculis diſcere neceſſe non habuit.

Ulterius: *Nec ponitur in Catalogo Pontificum.* En novum impoſturæ & interpolationis documentum! A recentiore enim manu hæc profecta eſſe, facile perſpiciet is, qui ſecum reputabit, nonniſi ab eo hæc ſcribi potuiſſe, qui poſt auctum plurium capitum acceſſione Paparum catalogum vixit. Ex

iis

iis omnibus ſatis, opinor, manifeſtum erit, exemplaria illa MSSta Anaſtaſii, in quibus Joannæ mentio habetur, ſincera & incorrupta non eſſe, ſed a recentiori quodam interpolata. At non ipſe ſolum locus arguit, falſum illum & ſuppoſititium eſſe, ſed & reliqua, quæ in eodem codice ſequuntur, peſſime inter ſe cohærent, & magis adhuc imposturam probant. Scilicet imprudens ille, quisquis fuerit, interpolator, poſtquam Martini verba contra Anaſtaſii mentem codici huic inſeruiſſet, ſequentia genuina verba, quæ omnem narrationis de Joanna Papiſſa fidem evertunt, ſtolide retinet; ita enim pergit: Leo quidem hac luce ſubtractus Præſul occubuit, mox omnis clerus iſtius a Deo protectæ Romanæ ſedis &c. quæ verba totam hanc fabellam penitus convellunt. Si enim, quod Anaſtaſius ſcribit, nec interpolator correxit, mox poſt ſubtractum hac luce Leonem Benedictus electus eſt, quomodo Joanna media inter Leonem & Benedictum eſſe potuit? Sed nec quæ ſequuntur, melius cohærent: Hæc & ſimilia dicens, & ipſi Imperiales ibidem convenerunt legati &c. (*b*). Quæ verba iterum ſunt inter-

(*b*) Integra hæc verba, ut & priora legi poſſunt in Blondelli, quem potiſſimum ſequitur noſter Anonymus,

interpolatoris, non Anastasii, in cujus qui
pe codicibus genuinis non habentur. E
presse hic dicitur, Imperatores Ludovicu
& Lotharium post factam Benedicti electi
nem legatos Romam misisse. Jam ve
consentiunt in eo chronologi omnes, L
tharium Imper. die 74. post Leonis dorm
tionem diem supremum obiisse. Si itaq
inter Leonem & Benedictum media per l
ennium & quod excurrit sedit Joanna, qu
modo Lotharius potuisset mittere legatos
Benedictum, qui secundum illam comp
tationem post annum demum mensesq
novem ab obitu Lotharii fuisset electu
Unde ita argumentor: Si Imperator Loth
rius legatos misit ad Benedictum Pontificer
non potuit Joanna media sedere inter Le
nem & Benedictum. Atqui verum est pri
Ergo & posterius. Prius ipse interpolat
scribit: Ratio connexionis ex chronolog
& ratione computandi patet. Nam conse
tiunt in eo chronologi & historici omne
Leonem obiisse A. 855. d. 17. Julii. Ide
testatur Martyrologium Romanum, Anast
sii

---

mus, Ἀναιρέσει famosæ quæstionis, An fœmina ulla
ter Leonem IV. & Benedictum III. media federit,
181. editionis a Samuele Maresio Groningæ 1658. (
ratæ, qui eam suæ Joannæ Papissæ Restitutæ inser

ſius, Marianus, Annales Bertiniani, Sigbertus, Honorius Auguſtodunenſis, Luitprandus, Albertus Stadenſis, Gothofridus, aliique. Lotharium vero die 29. Sept. ejusdem anni, adeoque d. 74. poſt Leonis mortem defunctum eſſe, iterum teſtatur epitaphium a Rabano ſcriptum, Ado, Annales Bertin. Metenſes, Hildesheimenſes, Fuldenſes, Rhegino, Hermannus, Lambertus, Marianus, Sigbertus, & univerſa hiſtoricorum turba. Joannam autem biennium ſediſſe volunt illius patroni, quæ nullo modo ſimul ſtare poſſunt. Ex his iterum apparet imperitia & fraus impoſtoris. Nam nec illud verum eſt, quod Lotharius Imp. ad Benedictum legatos miſerit, quod itidem ex chronologia patet ad oculum. Benedictus enim ſecundo aut tertio demum die poſt Lotharium inthronizatus eſt. Poſt Leonem enim vacavit ſedes dies 77. Lotharius vero obiit die 74. poſt Leonis dormitionem, adeoque tribus diebus ante Benedicti electionem: legatos igitur ad Benedictum mittere non potuit Hoc ideo retuli, ut appareat imperitia & fraus, & impoſtura interpolatoris, qui codicem tot mendaciis, fraudibus, & commentis corrupit, ut nulla ipſi probandi vis attribui, aut quicquam firmi argumenti in eo poni poſſit.

MA-

MARIANUS SCOTUS.

Mariani Scoti teſtimonium, cum is per duo integra poſt ea tempora, quibus Joannam ſediſſe volunt iſtius patroni, ſecula vixerit (obiit enim A. 1086. 230. a Leonis obitu annis) non adeo magni faciendum eſſe putamus, maxime cum ſatis hactenus fuerit probatum, nullum ſcriptorem coævum, vel qui proxime poſt illa tempora vixerit, memorabilis hujus hiſtoriæ vel verbo mentionem feciſſe. Examinabimus tamen locum Mariani, & quam bene cum chronologia conveniat, diſpiciemus. Et quidem primo licet negari non poſſit, in hodierni Mariani exemplaribus fere omnibus Joannam reperiri, teſtatur tamen editor Metropolis Alberti Cranzii, quæ Coloniæ A. 1574. prodiit, in antiquiſſimis Mariani exemplaribus MSStis mentionem nullam de Joanna haberi: idem quoque Bellarminus Cardinalis aſſerit: ſed hæc obiter. Jam ad locum illum Mariani, quem antequam examinemus, illud adhuc dicendum occurrit, non ſatis ſcilicet ſibi ſemper conſtare Marianum, virum alias ſua laude dignum, multosque paſſim, præprimis in temporum computatione, commiſiſſe errores,

qualis etiam in tempore, quo Joannam ſediſſe putat, deprehenditur. Scribit nimirum ad annum 847. Marianus: Sergius Papa obiit, huic ſucceſſit Leo annis 8. Poſtea vero ad A. 853. ſic pergit: Leo Papa obiit Calendis Auguſti. Jam quomodo annos octo ſediſſe dici poteſt Leo, qui tamen juxta mentem Mariani A. 47. electus eſt, & agere inter homines deſiit A. 853. adeoque ſexto Pontificatus anno? unde jam in chronologia ſibi ipſi contrarius eſt Marianus. Deinde contra mentem omnium hiſtoricorum & Chronologorum συγχρόνων Leonem obiiſſe memorat A. 853. quem demum A. 855. d. 17. Jul. abiiſſe ad plures, certum eſt. Nunc ad Joannam. Ait Marianus: Leo Papa obiit Kalendis Aug. huic ſucceſſit Joanna mulier annis duobus, menſibus 5. diebus 4. Jam vero A. demum 857. Benedictum Joannæ ſucceſſiſſe ſcribit, adeoque Joannæ pontificatus non biennium, ſed quadriennium duraſſe neceſſe eſt, quod nec Marianus, nec quisquam e ſequacibus ejus hactenus ſomniavit. Ex his ſatis ſuperque conſtare puto; aut fœde corruptos & interpolatos eſſe Codices Mariani, aut ipſum Marianum temere omnia turbaſſe, ut nulla ipſi, quantum quidem ad hanc hiſtoriam, fides haberi poſſit.

SIG-

SIGBERTUS GEMBLACENSIS, obiit A. 1118.

Sequitur inter aſſertores Joannæ Papiſſæ Sigbertus Gemblac. ſcriptor circa A. C. 1100. adeoque tertio fere poſt Leonem ſeculo florens. Quantum vero ipſius teſtimonio tribuendum ſit, videbimus. Ac primo quidem illud monendum erit, codices impreſſos, quibus hodie utimur, dubiæ admodum fidei eſſe, multaque in iis reperiri, quæ fidei MSStorum exemplarium repugnant: & de ſcriptore hoc in genere teſtatur immortalis memoriæ vir Gerh. Jo. Voſſius in aureo & nunquam ſatis laudando opere de Hiſtoricis Græcis & Latinis p. 395. reperiri in Bibliotheca Gemblacenſi vetuſtum, & ſi non autographum, ſaltim ex eo exſcriptum codicem, in quo deſiderantur aliqua, quæ legas in pleriſque etiam MSStis. MSS. Codices aliqua etiam recentiori manu adjecta habent ad oram: ut autor eſt, qui eum cum aliis codicibus contulit, Aubertus Miræus Diſquiſitione de Virginibus Colonienſibus. Sed ſpeciatim de loco, qui Joannæ mentionem facit, teſtatur Jo. Molanus & Bellarminus, qui ipſum codicem manibus tractarunt, de hac hiſtoria nec volam nec

O 2 veſti-

veſtigium in eo extare. Idem de Codicibus in Bibliotheca Vaticana perhibet Leo Allatius. At nec levis ſuſpicio interpolati & ſuppoſititii hujus loci exinde quoque oritur, quod in Vincentio Bellovacenſi & Guilielmo Nangiaco, quorum uterque tamen Gemblacenſem tantum non ad verbum exſcripſit, nulla Joannæ mentio habetur. Præterea conſentiunt in eo ſeculi noſtri Critici aliique eruditi ad unum omnes, nullum fere rerum Germanicarum Scriptorem adeo corruptum & varie interpolatum eſſe, quam Sigbertum, & in multis ineditis exemplaribus alia manu, alio atramento ad marginem, quæcunque in editis falſi arguuntur, verba appoſita deprehendi: Unde ab initio ſtatim non adeo firmum argumentum in hujus teſtimonio poni videri poſſit. Tentabimus tamen, annon fortaſſis ex ipſius Sigberti verbis falſitas hujus hiſtoriæ demonſtrari queat. Ita autem Sigbertus, ſeu ejus interpolator ad annum 854. Fama eſt, hunc Joannem fœminam fuiſſe, & uni ſoli familiari tantum cognitam, qui eam complexus eſt, & gravida facta peperit Papa exiſtens. Quare eam inter Pontifices non numerant quidam, ideo nomine numerum

non

non facit. &c. (*c*). Vix quicquam hic sani, ita omnia confusa sunt & depravata. Nam primo non convenit Sigberto, Benedictum A. 854. electum fuisse scribenti, cum Mariano eundem A. 857. inthronizatum fuisse memorante, utroque vero in Chronologia turpiter errante. Deinde scribit, electo in Pontificem Benedicto Anastasium præsulatum invasisse: illo vero a legatis Imperatoris Lotharii dejecto, & in carcerem tracto, Benedictum honorifice esse revocatum. Hæc verba impacto quasi ariete concutiunt sedem Joannæ. Dabimus enim id Gemblacensi, sedisse Joannam post dormitionemLeonis,qui obiit 855. & partum edidisse post exactum biennium, quod volunt contrariæ sententiæ propugnatores, A. scilicet 857. & Benedictum postea fuisse electum; quomodo, quæso, Lotharius Imperator ad Benedictum legatos mittere potuit, qui omnium historicorum & chronologorum calculo jam ante biennium A. scilicet 855. diem obierat supremum: nullum itaque temporis superest spatium, quo sedere potuisset Joanna. Egregius quoque & memorabilis est locus apud Hincma-

(*c*) Haud opus esse duximus, integrum Sigberti textum hic repetere, cum Autor noster ejus sensum exacte tradiderit.

rum Remensem Episcopum, qui totam hanc narrationem non procul a fabula abesse manifeste evincit. Is in Epist. II. ad Nicolaum Papam A.D. 866. d. 25. Aug. data hæc habet omni exceptione majora: Cum ista epistola, inquit, & cum legatione Lotharii Imperatoris per præfatum venerabilem Episcopum, Petrum Aretinum, missos meos cum literis, quarum exemplum habeo, de petitione Episcoporum & de aliis meis petitionibus Romam direxi, quibus in via nuncius venit de obitu Papæ Leonis, pervenientes autem Romam cum præfatis literis & intervenientibus prædictis Episcopis Dominus nomine & gratia Benedictus privilegium inde direxit. Quodsi itaque Hincmari legatis in via de morte Leonis nuncius venit, illique Benedicto jam electo Romam pervenere, quomodo media per biennium & quod excurrit sedere potuerit Joanna, non video, cum a sana ratione remotum videatur, legatos in tam brevi itinere biennium & ultra consumsisse.

MARTINUS POLONUS.

De Martini Poloni narratione licet minor hactenus apud eruditos fuerit dubitatio, non levis tamen quoad hanc historiam quoque

est

est suspicio, verba illa, quibus enarratur Joannæ papissæ historia, supposititia, & a recentiori quodam contra veterum exemplarium fidem codicibus quibusdam inserta erroris causam dedisse. Sane in editione Martini Poloni, quæ a Joanne Fabricio Cæsare, Canonico Gladbachensi, ex vetustissimo quodam & ipsi autori fere coætaneo codice MSto A. 1616. Coloniæ Agrippinæ typis Gerhardi Grevenbach in fol. publicata est, omnino deest, quicquid in reliquis Codicibus & speciatim in Basileensi & Antwerpiensi de Joanna Papissa legitur. Et ne quis arbitretur, fortassis omissa ea esse in hac editione studio illorum, qui aulæ Romanæ favebant, non absque ratione forsan provoco ad Codices MSStos vetustissimos, qui ad unum omnes prorsus carent Joannæ papissæ indicio atque vestigio, & ut de codice, ad cujus exemplar editio Coloniensis prodiit, nunc nihil dicam, refert Cl. vir Leo Allatius, in Bibliotheca Vaticana adservari Codicem MStum, reliquis omnibus, qui ibidem habentur, vetustiorem, in quo post vitam Leonis nulla fit Joannis Papæ mentio, sed Leonem immediate Benedictus sequitur. Et ut eo minus de veritate relationis doctissimi viri dubitetur, non abs re erit, quæ de

Codicibus quibusdam MSStis Martini Poloni refert Illuſtris Vir P. Lambecius Tom. II. Commentar. Bibl. Vindobon. (neque enim eſt leve, quod ad Auguſtiſſimam Bibliothecam provocat Lambecius, ac tot judicibus obnoxium ſe facit, quot Italis, Gallis, Germanis, Belgis aliisque ex toto terrarum orbe confluentibus ad hunc uſque diem inſignis illa Bibliotheca patuit) p. 863. adſervari ſcilicet in Auguſtiſſima Viennenſi Bibliotheca Chronici Martini Poloni antiquos Codd. MSStos quatuor optimæ notæ ac fidei, qui æque ac Vaticanus ille omni prorſus carent Joannæ Papiſſæ indicio & veſtigio. Fretus itaque ac munitus fide ac autoritate jam memoratorum Codicum MSStorum quatuor incorruptorum Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ, & congruentia illorum cum codice Vaticano & Fabriciano, non immerito affirmarem, Martinum Polonum quoque pro approbatore hiſtoriæ de Joanna papiſſa falſo haberi, & chronicon ejus hac labe ab initio carens nonniſi aliquanto poſt ejus mortem commento hoc contaminatum eſſe. Codicem Heilsbronnenſem quod attinet, nolo equidem in dubium vocare judicium Excellentiſſimi D. Wagenſeilii, non leve tamen nulliusve ponderis eſſe exiſtimo, quod tum men-

mentem meam ſubibat, cum inſpiciendi ejus copiam mihi faceret ſingularis illius in me benevolentia. Scilicet memoriæ adhuc hærebat, quod olim de hoc ſcriptore notatum inveneram a viris doctiſſimis & præſtantiſſimis: non vetuſta eſſe illa Martini MSSta exemplaria, in quibus procemium de IV. Monarchiis, de Romanæ urbis exordio, incremento, ædificiis, palatiis & regimine uſque ad Auguſtum Imper. ſatis prolixum habetur. Cum enim ipſe Polonus in initio operis dicat, ſe omiſſa præcedentium temporum hiſtoria ſtatim ab Auguſto initium facere velle, facile apparet, ea, quæ ibi procemii loco habentur, ſuppoſititia eſſe, & a recentiori quodam contra aliorum Codicum fidem addita, codicesque illos multo recentiores eſſe iis, qui hiſce prolegomenis carent. Unde factum quoque eſt, quod nec Codex Vaticanus, nec Viennenſes illi, neque Colonienſis quicquam de hiſce prolegomenis habeant. Inſuper teſtatur Clariſſ. Lambecius Tom. I. Comment. Bibl. Vindob. p. 48. & ſq. extare in eadem Bibliotheca Vienn. exemplar Chronici Martiniani Antwerpienſe, collatum cum antiquo Codice MSto Monaſterii Carthuſiani Gamingenſis ab Illuſtriſſimo Viro Richardo Streinio,

Barone Auſtriaco, in quo is propria manu in margine teſtatur, prolegomena illa de IV. majoribus regnis & urbe Roma ibidem defuiſſe. Hoc autem procemium cum in Codice quoque Heilsbronnenſi habeatur, & præterea Codex ille pertingat uſque ad Hadrianum III. Pontificem, qui demum poſt Martini Poloni obitum ad pontificatum pervenit, non adeo tetuſtus, ſed corruptus eſſe videtur Codex ille, interque recentiores fortaſſe numerandus.

Sed abeamus ad alia, quæ ſuperius jam a nobis dicenda fuiſſent. Nimirum putavit Clariſſimus vir Salmaſius, verba Mariani Scoti eſſe ipſa verba Anaſtaſii: ſed quod pace tanti herois dixerim, ſi verba, quæ Mariano attribuuntur, cum locis quibusdam Anaſtaſii conferantur, falſitas hujus aſſerti liquido apparebit. Scribit ſcil. Marianus ad A. 853. Leo Papa obiit; huic ſucceſſit Johanna Anglica mulier. Anaſtaſius vero ad A. 853. quo ſediſſe Joannam dicit Marianus, meminit, Leonem IV. A. 53. Synodum congregaſſe. Et ſecundum computationem ipſius Anaſtaſii Leo demum A. 855. adeoque biennio poſt tempora illa, quibus ſediſſe Joannam voluit Marianus, diem obiit ſuum. Porro Anaſtaſius ſcribit, Clerum

Ro-

Romanum decretum electionis destinasse Lothario Imperatori, qui eodem A. 855. obiit. Itaque si inter Benedictum & Leonem per biennium media fuisset Joanna, adeoque ad A. 857. vixisset, quomodo Romani decretum electionis destinare potuere Lothario, qui A. 855. decessit?

Denique 5. objicitur omnium historicorum consensus. Sed respondeo, jam supra monstratum, nullum autorem coætaneum historiæ hujus mentionem facere, eorum vero, qui demum diu post illa tempora illius meminerunt, loca dubiæ esse fidei, & si non supposititia, tamen cum Chronologia & temporum computatione mire pugnantia: quos deinde cœco impetu secuti sunt magno numero recentiores Scriptores, quod in illis temporibus, ubi omnis elegantior doctrina sepulta jacebat, mirandum vix est. Præterea non testimoniorum multitudo in historiis primario spectanda, sed quomodo testimonia inter se cohæreant, & cum chronologia conveniant, inprimis attendendum est, & plus utique roboris ponitur in uno scriptore coætaneo, fide digno, quam in centum, qui diu post illa tempora vixere. Et, quod coronidis loco addo, tot ad minimum scriptores, qui nullam papissæ mentionem

tionem faciunt, ſed Leoni immediate Benedictum ſubjungendo aperte contrarium innuunt, præſto nobis eſſe. Rhegino Prumienſis, etſi Pontifices ſeriatim non recenſeat, non omiſſurus tamen procul dubio fuiſſet memorabilem hanc hiſtoriam, ſi illa revera contigiſſet: quod de aliis quoque notandum venit.

Varias vero illas circumſtantias, e quibus Joannæ papatus probari quoque ſolet, quod attinet, non male etiam huc quadrare videtur illud JCtorum: non omnium, quæ a majoribus dicta ſunt, ratio reddi poteſt. Teſtantur hoc tot fabuloſæ narrationes, quæ paſſim in hiſtoria ſunt obviæ. Scilicet oritur primum fabula ab imperito ſcriptore literis conſignata, ſequuntur hunc alii, ut demum fabula pro hiſtoria venditetur: & locum habet hic elegans effatum Q. Curtii, ſcriptoris, communi omnium eruditorum ſuffragio, & rerum pondere & dictionis majeſtate omne ſeculum provocantis, qui L. IX. Hiſtor. C. I. Equidem plura, inquit, tranſcribo, quam credo. Nam nec affirmare ſuſtineo, de quibus dubito, nec ſubducere, quod accepi. Idem in hac hiſtoria contigiſſe, quis non videt? In rumore vulgi parum momenti ſitum eſſe, quilibet novit:

nam

nam & aliarum fabularum hinc inde monſtrantur veſtigia, quas tamen nunquam contigiſſe, apud omnes in confeſſo eſt. Nonne paſſim ſtatuæ Rolandinæ, illius gladius, caſſis, & reliqua arma peregrinantibus oſtenduntur, quem tamen nunquam extitiſſe; jamdudum demonſtrarunt Conringius & Gryphiander peculiari tractatu. Monſtrantur Norimbergæ arma & alia veſtigia famoſi illius Apellii a Gaillingen, ſed quis ideo affirmabit, ea, quæ de ipſo narrantur, vera eſſe, ac iſtum unquam extitiſſe? His ita diſputatis, jure eruditiſſimi Blondelli (*d*) verbis finem facere poſſe mihi videor: Patet, fieri nullatenus poſſe, ut Joanna ulla, ullo inter Leonem Benedictumque tempore ſediſſe dicatur, adeoque impoſturam vel feciſſe, vel paſſos, quicunque tandem illi ſint, decantatæ per ſecula propemodum ſex fabulæ ſive parentes ſive amatores. Eat igitur tandem aliquando, quo digna eſt, ἐς κόρακας.

VII.

(*d*) l. c. pag. m. 135.

VII.

De secunda Editione Novi Testamenti per Erasmum Roterod. curata.

„NOvum testamentum omne, multo quam
„antehac diligentius ab Erasmo Rotero-
„damo recognitum, emendatum ac trans-
„latum, non solum ad Græcam veritatem,
„verum etiam ad multorum utriusque lin-
„guæ codicum, eorumque veterum simul &
„emendatorum fidem, postremo ad probatis-
„simorum autorum citationem, emendatio-
„nem & interpretationem, præcipue Origenis,
„Athanasii, Nanzianzeni, Chrysostomi, Cyrilli,
„Theophylacti, Hieronymi, Cypriani, Ambro-
„sii, Hilarii, Augustini, una cum annotationi-
„bus recognitis ac magna accessione locuple-
„tatis, quæ lectorem doceant, quid qua ratione
„mutatum sit. Quisquis igitur amas veram
„theologiam, lege, cognosce, ac deinde
„judica. Neque statim offendere, si quid
„mutatum offenderis, sed expende, num
„in melius mutatum sit. Nam morbus est,
„non judicium, damnare, quod non inspe-
„xeris. Salvo ubique & illabefacto Ecclesiæ
„judicio. Addita sunt in singulas Apostolo-
„rum epistolas argumenta per Erasmum Ro-
„terodamum. Hæc

Hæc tituli & prologi galeati loco præfixit Erasmus secundæ suæ Novi Testam. editioni, quæ ex officina Frobeniana A. 1519. mense Martio prodiit. Quinque magnus ille scientiarum atque literaturæ politioris vindex & instaurator (*a*), dum viveret, emisit N. T. editiones A. 1516. 1519. 1522. 1527. & 1535. in singulis nova diligentia usus. Omnium vero rarissimæ sunt prima & secunda. In laudanda ex merito prima multus est Vir celeberrimus & de Erasmi manibus optime meritus Hermannus **von der Hardt** (*b*), quam præter alia hoc præconio ornat: „Primi illius vere augusti codicis, „ operis memorabilis omnium optimi, ma-„ ximi exempla supersunt rarissima, quodli-„ bet centenis vel millenis imperialibus pre-„ tiosius, pretio cum seculis majore futuro.„ Est profecto in foro literario codex hic„ Erasmi antiquus ducentorum jam anno-„ rum, verus thesaurus, novem vetustis„ MSStis, unde haustus, æquiparandus. A„ primo typographiæ exordio, quinquaginta„ „illis

(*a*) Quo elogio ipsum merito mactat S. P. Q. Roterodamensis in statua ei in sinu quasi & meditullio urbis patriæ posita, vid. M. T. Inscriptionum Monumenta publica, Gedani 1696. edita, p. 25.

(*b*) In Historia literaria Reformationis P. I. passim, præcipue p. 33. sqq.

occurrebant, pauca. IV. Ad placandos eos, qui putant in SS. literis nihil neque superesse, neque deesse, quædam excerpta, quæ manifestius depravata sunt in hoc genere, quam ut negari possit. V. Quæ sint addita in nostris exemplaribus. VI. Quæ per interpretem commissa. VII. Ubi interpres ausus sit aliquid immutare de verbis Apostolorum aut Evangelistarum. (*d*). Post illa conspicitur figura, ligno incisa, tres divinæ essentiæ personas, angelorum choro stipatas (*e*), rudi tamen delineatione adumbrans, cui decem piæ antiquitatis aphorismi Græci de SS. Triade subjiciuntur, addito etiam eadem lingua Symbolo Nycæno (*f*). Hisce Arianismi suspicione levare se voluisse Erasmum credo. Porro sequuntur Eusebii Epistola ad Carpianum & Canones harmoniæ Evangelistarum, quos excipiunt ordo seu numerus librorum N. T. vitæ Evangelistarum ex Hieronymo, & Capita Evangeliorum

(*d*) Sed hoc ipso, quam parum ipsi perspecta fuerit translationis vulgatæ natura atque indoles, ostendisse Erasmum monet Millius in Prolegomenis Novi Test. num. 1125. p. 113. atque multa, in hisce septem classibus observata, censoria virgula notat.

(*e*) Seorsim quoque adjecta est imaguncula viri, per nubes ambulantis.

(*f*) Hæ figuræ in tertia jam editione omissæ sunt.

tum juxta antiquam divisionem. Singulis Evangeliis præmittuntur Græco idiomate cum Scriptorum vitæ ex Sophronio, tum argumenta ex Theophylacto: Actis vero Apostolorum Paulini itineris & martyrii descriptio: Epistolis denique, exceptis secunda & tertia Joannis, argumenta veteris cujusdam Scriptoris Græci & Erasmi. Ad latus textus originalis semper posita est Erasmi versio Latina: margini Evangeliorum adscriptæ divisiones Ammoniacæ, cum tabulis Canonis Eusebiani collatæ: superiorem vero foliorum oram ornant majora κεφαλαια, in quæ olim divisa erant Evangelia. In Epistolis ad Romanos & Corinthios ad marginem interiorem notatæ sunt, negligenter admodum judice Millio, literis numeralibus κεφαλαια sive sectiones, in quas divisas voluit quispiam (fortasse Theophylactus, ut idem suspicatur Millius) has epistolas. Textus integer continuo filo nexus sine capitum spatiis aut intervallis conspicitur, numero capitum ad marginem duntaxat Latinæ versionis adpicto: quod institutum summopere probatur Hermanno von der Hardt (*g*). Hæc editio, censente Millio (*h*), priore

P 2 longe

(*g*) l. c. p. 36. (*h*) l. c. num. 1124. p. 112.

longe emaculatior & castigatior, veram & genuinam lectionem in priori depravatam locis amplius CCXXX. restituit, sed & ab ea recedit locis circiter LXX. in lectiones interpolatas & minime probandas.

Notum est, in ea non comparere locum 1. Jo. V. 7. quem in Græcis codicibus haud invenisse se monuit in Annot. Erasmus. De instituti sui ratione in priori Apologia p. 64. hæc memorat: „Restituimus, quæ „temporum & librariorum vitio fuerant de„pravata, obiter indicatis & his, quæ vel „ambigue vel parum attente reddidit inter„pres (nam non recte mihi religio est di„cere, etiamsi id non veritus est aliquot lo„cis Hieronymus) idque fecimus, neque „levi, quod dici solet, brachio, neque te„mere, sed primum ex Canonum consilio, „ad Græcæ originis fidem examinatis exem„plaribus Latinis, neque tamen fidentes „paucis aut quibuslibet. Laurentius Valla „septem bonæ fidei codices se secutum fuisse „testatur. Nos in prima recognitione qua„tuor Græcis adjuti sumus, in posteriore „quinque. Deinde consultis tum pervetustis „tum emendatis aliquot Latinæ linguæ vo„luminibus; nec hoc contenti, discussis & „exploratis probatissimis autoribus, non

„osci-

oſcitanter obſervavimus, quid citarint, quid „
legerint, quid emendarint, quid interpre- „
tentur. Atque hiſce rebus omnibus, qua „
licuit vigilantia, certe ſumma fide, colla- „
tis ac penſitatis, quod optimum judicavi- „
mus, ſecuti ſumus, & hac lege in medium „
contulimus, ut nihiloſecius ſuo quisque „
judicio frueretur. „ ' Quanti vero hoc in opere Eraſmo fuerint exantlandi labores, quantæ moleſtiæ devorandæ, quot convitia & criminationes, quibus conſilium hoc laude digniſſimum perſtrinxere inſulſi ignorantiæ fratres, tolerandæ, ipſe paſſim, in epiſtolis potiſſimum ſuis, meminit. Operæ pretium erit, ex his nonnulla huc ſpectantia decerpere. Utor autem editione, quæ A. 1521. in fol. cura Jo. Frobenii juri publico conceſſa eſt. Prima N. T. editione in ſe concitaverat bilem rabiemque elegantioris literaturæ & cœleſtis veritatis hoſtium, quorum intererat, ut orbis ſpiſſis illis inſcitiæ tenebris ſeptus quovis modo detineretur. Fuere tamen quoque, qui avidiſſime divina illa munera Eraſmi exceperunt. Horum in gratiam hunc lapidem ulterius movere, & quod ſemel cœperat, opus ſenſim ſenſimque ſumma adhibita induſtria ad maturitatem perducere ſtatuit. Hinc nova erat

paranda editio, foetus lambendus & relambendus, initiisque egregia adjicienda incrementa. Ad os vero Sycophantis obturandum conducibile sibi fore duxit Breve Papæ, quo opus hoc ipsi gratum esse testetur. Literis igitur suis, Basil. 1518. d. 7. Cal. Sept. datis, p. 271. Antonium Puccium, Pontificis maximi apud Helvetios legatum, rogavit, ut hoc sibi a Papa impetraret. Non injucundum tibi, spero, erit, ex ea epistola heic quædam excerpta legere: „Pestilentia „undique gliscens nos hinc abigit, opere non„dum absoluto, cujus studio vitam etiam „hactenus contemsimus, non modo pecu„niam. Adeo mihi studio fuit, ut quod semel „Leoni X. dedicaram, illo dignum redderam. „Nam editio prima mihi non per omnia satis„fecit, licet & illa ab eruditissimis quibusque „doctissimisque probetur. Tantum initio „oblatrabant pauculi sycophantæ, sed indo„cti, deinde qui nunquam opus legerant, „postremo in absentem duntaxat, coram „nemo verbum. Nunc exibit, ni fallor, „sic elaboratum, ut sperem futurum, ut „nec Leone, nec posteritate videatur in„dignum. Frustra narrem, quando nemo „crediturus est, quantis mihi constiterit su„doribus, utinam parem adferat utilitatem

„Reip.

Reip. Christianæ! nihil enim aliud specta- „
vimus ——. Collatis multis Græcorum „
exemplaribus, quod sincerissimum videba- „
tur, secuti, vertimus Latine, nostramque „
traductionem Græcis adjunximus, quo le- „
ctori promtum sit conferre: & ita verti- „
mus, ut primum studuerimus, quoad li- „
cuit, integritati sermonis Romani, sed in- „
columi tamen Apostolici sermonis simpli- „
citate: deinde dedimus operam, ut quæ „
prius lectorem torquebant vel amphibolo- „
gia, vel obscuritate sermonis, vel oratio- „
nis vitiis aut incommodis, jam explanata „
sint ac dilucida: parcissime interim rece- „
dentes a verbis, a sensu nusquam, quem ta- „
men non ex nobis ipsis somniavimus, sed „
ex Origene, Basilio, Chrysostomo &c. peti- „
mus ——. Si optandum est, ut divinos li- „
bros habeamus quam emendatissimos, hic „
meus labor non solum amolitur mendas „
SS. voluminum, verum etiam obstat, ne „
posthac queant depravari. Si optandum, „
ut recte intelligantur, plusquam sexcentos „
locos aperuimus, antehac nec a magnis in- „
tellectos theologis. Fatentur ipsi, negare „
non possunt. Si optandum, ut huic dispu- „
tatrici theologiæ, quæ pene plus satis pol- „
let in scholis accedat fontium cognitio, huc „

 „pecu-

„peculiariter hoc opus conducit &c. Voti vero sui hac in re compotem factum esse Erasmum, Breve Leonis nostræ editioni & sequentibus præfixum comprobat. Nondum tamen irarum rabidi ita requievere fluctus. Satis enim causæ fuit & posthac Desiderio nostro, de obtrectatorum invidia acriter conquerendi, plumbeosque & infrunitos adversarios, prout digni erant, salse exagitandi. Nostrum est, quædam ejus rei specimina ex epistolis huc transferre, sed pauca e plurimis, ne prolixi simus. Cum hanc editionem adhuc parturiret, erant, qui ipsi vitio verterunt, quod, prima vix in lucem egressa, novum statim moliretur opus, atque ita primum laborem sibimetipsi displicere testatum faceret. Hinc in literis ad Marcum Laurinum Lovan. 1518. his præter alia utitur verbis p. 155. „Quod cavillan-
„tur, ob id me parare novam editionem,
„quod prior mihi non satisfaciat, fingamus
„ita esse, quid est, quod reprehendant? Si
„studeam me ipso melior esse, & id facere,
„quod ab Origene, quod ab Hieronymo
„factum est & ab Augustino, præsertim cum
„id ingenue testatus sim in prima editione,
„me facturum, si foret usus? Nunc non hoc
„ego, verum idem molior, quod jam tertio
„factum

factum est in edendis proverbiis. Ad hæc „ in translatione priore parcius mutaveram, „ ne nimis offenderem istorum animos ni- „ mium morosos. Nunc adhortantibus eru- „ ditis plusculum hac in parte sum ausus. „ Deinde locos immutatos crebriore autorum „ nomenclatura communio, ne quid habe- „ ant, quod tergiversentur οἱ δυσπειθεῖς. Po- „ stremo loca tum festinanti præterita adjicio. „ Quodsi quid interim inciderit, quod eru- „ ditos ac pios offendat, non dubito mutare. „ Neque me diffitebor hominem esse „ &c. Nunc producemus querelas Erasmi de calumniis, quibus ipse, postquam editio prodiisset in publicum, oneratus fuit. Ad Hermannum Buschium A. 1520. pridie Calend. Aug. Lovanio hæc inter cætera perscribit (*i*): „Standicius concionabatur in „ cœmeterio divi Pauli Londini. Cumque „ sermonem exorsus esset a charitate, subito „ pudoris omnis simul & charitatis oblitus, „ cœpit debachari in nomen & famam me- „ am, testatus imminere Christianæ religio- „ nis πανολέθριον, nisi novæ translationes „ omnes subito de medio tollerentur. Ne- „ gavit rem diutius ferri posse, posteaquam „

P 5 „Erasmus

(*i*) Epistol. p. 483. sqq.

„Erasmus ausus esset corrumpere Evange-
„lium divi Joannis, qui, cum ecclesia tot
„annis legisset, in principio erat verbum,
„nunc novam lectionem induceret, in prin-
„cipio erat sermo. Hic existimabat sibi da-
„tum esse telum, quod nullo pacto mihi
„liceret effugere. Addebat Augustinum
„alicubi magis probare vocem verbi, quam
„rationis, & rationes adducere, cur ita sen-
„tiat. Verum eas, inquit, Græculus iste
„non intelligit. In hanc sententiam cum
„multa stolida & ἀπροσδιονυσα deblaterasset:
„cœpit homo facundus movere affectus,
„deplorare sortem suam, secum esset tot
„annorum doctor, & hactenus semper legis-
„set in principio erat verbum, nunc huc re-
„digi, ut cogatur legere, in principio erat
„sermo, suspicans fore, ut hac tam flebili
„querimonia lacrymas excuteret populo.
„Mox magnis obtestationibus obsecravit ur-
„bis præfectum (nam is ex more aderat,)
„magistratus omneis, & universam civium
„multitudinem, adessent in tanto discrimine
„religioni Christianæ. Credebat se divini-
„tus dicere, & tamen nulli placuit. Quot-
„quot aderant vel mediocriter eruditi, de-
„mirabantur hominis stultitiam &c.„ In-
tegra

tegra fere hæc epiſtola exſcribenda foret, ſi
omnes ſtolidorum hominum ineptias, huc
pertinentes, oculis tuis ſiſtere animus eſſet.
A. 1521. 5. Cal. Febr. Lovan. ſic ſcribit ad
Anonymum, quem virum præpotentem vo-
cat p. 542. „Conjurati quidam fœdere icto„
inter pocula ſemper illius (Lutheri) no-„
men cum meo conjungunt in concionibus„
publicis, quo videlicet me degravant invi-„
dia communi, quem ob id hoſtem judi-„
cant, quod alicubi ſcripſerim, eos non re-„
cte facere, qui ſic argutiis Scoticis incum-„
bunt, ut non attingant fontes divinæ ſapi-„
entiæ, quod aliquoties a Thoma diſſen-„
tiam in annotationibus meis, quod admo-„
nuerim non eſſe pelliciendos ad vincula„
vitæ monachalis, priusquam & ſibi noti„
ſint, & intelligant, quid ſit religio, quod„
admonuerim, veram pietatem non eſſe„
ſitam in ceremoniis, ſed in affectibus ani-„
mi, quod defendam bonas literas, quibus„
illi jam olim indixere bellum (*k*). Cum„
rogantur a concione, quid offenderint in„
libris meis hæreticum, reſpondent ſe non„
legiſſe, ſed tamen periculum eſſe propter„
obſcuram Latinitatem. Hæc reſpondent„
„iidem

(*k*) Hæc omnia Eraſmus in annotat. ſuis in N. T. da-
ta occaſione egregie & graviter præſtitit.

„iidem & theologi & monachi & scurræ, „& nonnunquam Episcopi. Per hujusmodi „rabulas defenditur majestas pontificia, fulcitur ecclesia.„ Præcipue insulsus homo, Nicolaus Egmondanus, juratus Erasmi hostis, qui primam jam editionem convitiis proscindere laboraverat, in eum fingere opprobria, rabidoque ore famam ejus vulnerare nunquam destitit. De illo in literis ad Gotschalcum Rosemundanum (*l*) hæc memorat noster: „In hos inquit (Nic. Eg-„mondanus) prodigiosos errores incidit Lu-„therus ob studium rerum novarum. Et „cum ante usque ad vomitum blaterasset „de novis ac veteribus: Hærete, inquit, „veteribus, fugite nova, adhærete veteri „Evangelio, satis aperte denotans Novum Te-„stamentum, quasi vero ego dederim novum „Evangelium, ac non potius vetus & instaura-„rim & illustrarim.„ Satis prolixæ de Egmondano ad Thomam Morum extant Erasmi literæ in ejus epistolarum corpore, quas legisse te haud pœnitebit (*m*), sicut & alias ad

(*l*) Literis Lovan. A. 1520. d. 15. Cal. Nov. exaratis. p. 586.

(*m*) p. 589. His in literis Erasmus facete & jucunde describit concertationem, quæ ipsi cum Egmondano coram Academiæ Lovaniensis Rectore fuit, lege, & ridebis.

ad quendam, quem in titulo obtrectatorem suum pertinacissimum vocat, in quibus calumnias haud paucas magna animi virtute excipit, atque pro more suo egregie ac solide diluit (*n*). Non autem in pulpitis solum sacris & familiaribus congressibus lectionibusque academicis traductus fuit Erasmus, verum etiam publicis scriptis. Nactus enim est adversarios, qui libris eum impetiere, Jac. Lop. Stunicam, Eduardum Leum, Sutorem, Natalem Bedam, alios, non omnes prorsus illiteratos. Cumprimis in Stunica insignis linguarum orientalium peritia laudatur, qui ad opus biblicum Complutense inter cæteros a Cardin. Ximenio adhiberi meruit. Hujus annotationes contra Erasmum Tom. VII. Criticorum SS. p. 1229. sqq. cum nostri Apologia (*o*) insertæ sunt. Ipsum vero Leonem X. Pont. Max. ejus vehementia & mordaci stilo offensum fuisse ex eo elucet, quod Paulus Bombasius A. 1521. d. 18. Jun. nostrum certiorem fecerit, illum Stunicam, in scripta ejus procaciter invectum, graviter monuisse, ne quid in posterum edere velit, quod nomen Erasmi proscin-

(*n*) p. 601.

(*o*) Erasmi contra reliquos Apologiæ habentur in operibus ejus junctim editis.

scindat (p). De cæteris nihil addo, nisi hoc unum, Eduardi Lei librum, adversus Erasmum scriptum, a Germano quodam in Bibliotheca Minoritarum Lovaniensium in autoris contumeliam stercore fuisse oblitum, de quo lepido facinore extant Conradi Goclenii epigrammata (q). Sicuti vero Erasmus multorum odiis atque cavillis fuerat expositus; ita quoque haud pauci veræ eruditionis amantes sacras ejus lucubrationes, prouti merebantur, miro amore exosculati, magnis ipsum laudibus certatim cumularunt. Duos saltim exempli causa producemus, qui, cum editio hæc secunda preli jam moderet carceres, eam manibus volvere summo desiderio cupierunt. Jo. Faber, Episcopi Constantiensis vicarius A. 1519. 6. Cal. Maji ita ad nostrum (r): „Novum testamentum denuo a Te magnifice, quod nihil dubito, „locupletatum cupidius sane expecto, quam „ulla mater filium charissimum peregre redeun-

(p) Vid. Erasm. Epist. p. 646. De Stunica etiam conferenda est Erasmi ad Petrum Barbirium epistola f. 594.

(q) Refert hæc Lomejerus de Biblioth. p. 136. collect. Smid. Ad Leum vero hunc extat Erasmi Epistola, 1519. id. Jul. data Lovanii p. 622. de eodem etiam verbose in literis ad Thomam Lupsetum agit p. 623.

(r) p. 308.

redeuntem: nam quicquid uſquam tempo-„ rum ſupereſt ab officii mei occupatiſſimi„ moleſtiis, id omne tuis libris decies per-„ legendis impendo. Sic Guil. Latimerus„ A. 1518. 3. Cal. Febr. (*s*): ut varias hu-„ jus N. T. antiquorum editiones omittam, „ quarum aliqua adhuc veſtigia apud Scripto-„ res extant —— quis quæſo majorem ex-„ optet diligentiam, quam te in iſta recogni-„ tione N. T. adhibuiſſe oſtendis? ante omnia„ ad probatiſſimorum autorum citationem, „ emendationem, enarrationem: in his„ paucis verbis quantus labor, quanta cura, „ quanta demum ſolicitudo? tranſeo tot„ præclara nomina Origenis, Chryſoſtomi &c.„ quos pauci theologorum noſtra ætate le-„ gunt, nemo intelligit: deinde ad Græcam„ veritatem: h. e. omiſſis rivulis ad fontem„ recurrere ——. Nec his contentus addis„ vetuſtiſſimorum codicum ſinceram & in-„ corruptam fidem, ſine qua fruſtra fortaſſis„ in aliis ſudaveris. Qua tamen in re neſcio„ certe quid magis admirer, diligentiam, ne„ in inquirendo tuam, an in inveniendo felici-„ tatem? —— Quamobrem poſt iſtam tuam„ tam raram & exquiſitam diligentiam, qua-„ „ lem

(*s*) p. 424.

„lem nemo, credo, alius tali operi adhibuis-„set, non est profecto, quod debeas a me „quicquam exspectare &c. Obsecraverat enim Latimerum Erasmus, ut nonnulla, quæ ipsi desideranda, corrigenda, & addenda viderentur, in secundæ, quam tum parabat, editionis ornamentum, libere moneret, sibique suppetias ferret. Liceat vero hic etiam adscribere Thomæ Mori Epigramma (†), quo primam jam editionem ornaverat:

Sanctum opus, & docti labor immortalis Erasmi
Prodit, & o populis commoda quanta vehit?
Lex nova nam veteri primum est interprete læsa
Scribendum varia post vitiata manu.
Sustulerat forsan mendas Hieronymus olim,
Sed periere pigro tam bona scripta situ.
Tota igitur demtis versa est jam denuo mendis,
Atque nova Christi lex nova luce nitet.

Nec

(†) Extat hoc inter Epigrammata Mori, cum ejus Utopia & Erasmi epigrammatibus per Jo. Frobenium Basileæ A. 1518. in 4. edita, pag. 268.

Nec tamen ambitiose singula verba notavit,
Sanctum habuit, quicquid vel mediocre fuit.
Quo fit, ut hæc celeri si quis prætervolet ala,
Huic nihil hic magni forte putetur agi:
Idem si presso relegat vestigia gressu,
Censebit majus commodiusve nihil.

Nobis eo charior debet esse hæc editio, quod ipsa cum prima (quanquam hæc secunda potissimum, utpote emaculatiori) & Aldina in concinnanda N. T. versione Germanica Megalander noster Lutherus usus fuisse videtur: quod haud ita pridem luculenter evicisse arbitror Virum, elegantissimæ doctrinæ laude florentissimum, P. A. Boysenium in Diss. Critico-Theol. de Codice Græco N. T. & consilio, quo usus est B. Lutherus in conficienda interpretatione Germanica. Huic scripto occasionem præbuerunt Viri Clar. Tobiæ Eckardi conjecturæ de codice Græco N. T. quo usus est Lutherus in conficienda Germanica interpretatione, qui Nicolai Gerbelii Hagenoensem A. 1521. editionem B. virum secutum fuisse suspicatus erat. Idem deinde Boysenio Epistolam opposuit, qua suas conjecturas erudite, &

Q quod

quod majorem laudem meretur, modeste illustrare annisus est.

Cæterum Erasmi annotationes in hac secunda editione auctæ insigniter & locupletatæ sunt. Quam vero eruditæ elegantesque eæ sint, quantaque utilissimarum rerum copia refertæ, neminem paulo humaniorem latere potest. Hinc Jos. Scaliger, iniquus alias multorum censor, eas optimis nostri operibus accenset, multaque doctissima habere judicat (*t*). Erasmus certe hic ubique est vere ἐρασμιος; licet enim haud raro excursus instituat prolixiores, qui ab annotationibus exegeticis alieni videri possunt, ii tamen semper sunt eruditi, ac dulcedine mira, animum jucunde adficiente, repleti. Sive monita inspergat, sive errores castiget, sive temporum calamitatem deploret, sive arrogantis inscitiæ dominatum evertere conetur, sive adversarios refellat, sive disputationes immisceat; ubique & simul delectat & prodest. Acerbe, fateor, interdum invehitur in eorum scripta, quos monachorum greges tum oraculorum instar venerabantur. Scilicet ægre tulit vir laudatissimus

(*t*) In Scaligeranis p. 102.

tissimus & bono publico natus, methodicam illam, aridam, mortuam, ligneam, stramineam, artificiosam & φιλοσοφοτεχνο-διαλεκτικοθεολογικὴν theologiam (*u*) hactenus unice tyrannidem & dominatum exercuisse, posthabitis ac rejectis veris divinæ sapientiæ fontibus. Quid igitur mirum, quod libertate sua atque candore irritaverit crabrones? Nec inficias eundum est, quosdam etiam viros, alias cordatos & sinceros, nugarumque, quæ nimium diu jam regnaverant, pertæsos, sed præjudiciis antiquitatis & autoritatis nondum prorsus liberatos, dentatis Erasmi invectivis fuisse offensos; qualis fuit Paulus Langius, Ordinis Benedictini monachus, vir certe egregius, & veritatis testibus alias jure suo accensendus, cujus de Desiderii nostri annotationibus judicium ex Chronico Citizensi (*x*) libentius nunc recito, quod non facile inibi illud quæsiveris. Male nimirum habuit eum, quod Hugonis Cardinalis errores nugasque subinde aculeato confutaverit stilo. En ejus verba:

Q 2 „Hu-

(*u*) Quo elogio ipsam afficit Michael Neander in dedicatione Theologiæ Megalandri Lutheri.

(*x*) p. 804. Scriptorum aliquot Rerum Germanicarum, quos Joannes Pistorius Francofurti 1583. in fol. edidit.

Hugo primus postillator extitit totius Bibliæ, adeo pure & fideliter textum quadruplici sensu exponendo, ut eatenus vix habuerit secundum; licet Erasmus novus scripturarum interpres eum ob Atticæ linguæ inscitiam, & exin ob dissonam ineptamque quorundam e Græca Græcanicarum dictionum expositionem plerumque reprehendat irrideatque, cum sapientius tanto viro condoluisset, quam exprobrando taxerat, quem in ea tempora incidisse noverat, quæ politiores literas, præcipue Græcas, totam & per Galliam & per Germaniam prorsus incompertas & inauditas habuerant. Veruntamen plurimum laudandus est iste venerabilis Hugo, quoniam non per philosophorum & poëtarum dicta, non per Aristotelis, non per Averrois sophismata divinam probat, ne dicam contaminat, scripturam, sed verba legis per legem explanat, juxta quod dicitur Levitici XIX. Agrum tuum non seres diverso semine, id est, dictis philosophorum & poëtarum agrum dominicum non conspergas, quia hoc est nil aliud quam zizania & lolium seminare inter triticum &c.„ Idem tamen Langius deinde (y) Erasmum divinarum

(y) l. c. p. 805.

rum literarum summum & consummatum interpretem nominat. Forte æquis rerum æstimatoribus dandum hic aliquid esse magni nostri Desiderii ingenio, ad jocos & irrisiones aliquantum procliviori, videbitur, si consideraverint, quam inique, quam atrociter ipse vicissim exceptus fuerit ab inimicis, qui omnem suam sapientiam ex istiusmodi libris hauserant, summoque nisu literis paulatim resurgentibus adversabantur. Præterea adeo frigidæ, ineptæ atque insulsæ sæpius erant istæ, quas refellit, exegeses, ut vel Heraclito risum extorquere, vel Democrito etiam renitenti lacrymas, indignationis testes, elicere potuisse credendum sit. Ut ex solo Hugone capiamus exempla quædam, inspice sodes Erasmi annotationes in Matth. V. 16. XIX. 2. Joann. V. 2. Actor. XXVII. 12. 2. Tim. III. 2. Tit. I. 7. 1. Pet. II. 24. &c. ac judica, num Cardinalem istum his in locis injuria castigaverit noster. Præterea Hieronymi verbis ex Apolog. L. I. sese tueri poterat Erasmus: Hoc obsecro, ut si mordacius quippiam scripsero, non tam meæ putetis austeritatis esse, quam morbi: putridæ carnes ferro curantur & cauterio, venena serpentina pelluntur antidoto. Sed quo dilabor? Jam finem his imponam eleganti

ganti epigrammate, quo Julius Cæsar Scaliger, Erasmi alioquin æmulus & adversarius, at quantus vir! ei mortuo parentavit:

Tunc etiam moreris! ah, quid me linquis Erasme,
Ante meus quam sit conciliatus amor?
Tunc etiam? cui tam parvus fuit orbis, ut altæ
Expleres mentis fulmina torva tuæ.
Ergo sidereis postquam est subvecta quadrigis
Atque Dei læto lingua recepta sinu;
Ille ego, qui insanæ ridebam vulnera mortis
Conditaque Ætnea tela trisulca manu,
Ad quodvis stupeo momentum, ac territus adsto:
Maxima cum videam numina posse mori.

Cum vero superius inter Erasmi hostes mentio etiam facta sit Nicolai Egmondani, bona forsan cum gratia lectoris, epistolam A. 1520. in 4. vulgatam, integram, cum rarissime obvia sit, jam adjicere lubet, quæ ejus impudentiam & furorem acri sale perfricat. Lutheri etiam nostri heic partes aguntur, aculeato quidem dicendi genere: sed

ſed in memoriam tibi revocato, quæſo, iſtius ætatis conditionem & mores; ac mecum, ſcio, confiteberis, difficile tum fuiſſe, ſatyram non ſcribere. Adjuncta illi epiſtolæ eſt, quam nos hic non exhibemus,

Vita S. Nicolai (Egmondani ſcilicet) ſive ſtultitiæ exemplar.

VIII.

Epistola de Magistris nostris L[...] ensibus, quot, & quales sint, q[...] debemus magistralem illam dam[...] tionem Lutherianam.

G. N. N. D. VDALRICHO ZUIN[...] Helvetio, apud Tigurinos Conci[...] tori eruditissimo. S. D.

PUdor obstat optime mi Zinli, [...] nus tibi perscribam, quæ non p[...] designare quosdam Theologos, abs[...] sona, tam stulta, ut nullus histrio [...] tumvis impudens, ausit similia facer[...] natus. Hujus fabulæ præcipuas ag[...] tes Joan. Briardus Atensis, homo vix bipedalis, sed idem fucatissimus simul & virulentissimus, denique Galliculus; est enim ex illa hominum colluvie, ex Germanis simul & Gallis conflata, & ob hoc infensior est nostræ Germaniæ, quæ nunc præter cæteras nationes feliciter amplectitur non modo bonas litteras, verum etiam pristinam scribendi libertatem sibi usurpat.

Hic cum sit seniculus, & semper abundet pessimis humoribus, quæ nunc pedes, nunc latera, aliquando etiam caput obsident: tamen

dissimus est ac maxime perfrictæ frontis Nicalaus Edmundanus dignus, qui ob insignem stoliditatem camelita vocetur. Hunc ipsa natura plane genuerat ad monachatum sive fratralitatem. Nihil enim habet frontis, minus mentis, linguæ & loquentiæ plurimum, eloquentiæ nihil omnino, & cum omnia stultissime & dicat & faciat vix tamen dici possit, quam sibi in omnibus placeat, ut mirum sit non verti in rosam, quicquid calcaverit ille. In dialectica parum feliciter versatus est ob plumbeum ingenium, sed tamen per gradus illos solennes hæc belua pervenit ad magistrum nostratum. Atque ut interim tegeret stoliditatem asininæ mentis, voluit videri textualis cum illi non sit opus acumine ingenii. Ergo factus M. N. tanquam regnum assecutus, cœpit de splendore vitæ cogitare. Nec erat misero, unde vel famem sedaret. Nam ante hac utcunque ex conviviis solennibus, ex pecuniola, quæ a miseris scholasticis sordide abraditur, sustentarat ventrem. Vidit autem apud nullos stoliditatem & impudentiam esse feliciorem quam apud monachos mendicantes titulo, re Satrapas ac tyrannos: Inter quos Prædicatores cumprimis placebant, quorum ordo semper habuit egregie seditiosos,

tiosos, & ad omne facinus imperterritos. Quam quidem laudem adhuc cæteris invident, dum nobis suos Aluaros, Thomas, suos Sylvestres, suos denique Hochstratos, quasi formidabiles obtrudunt. Sed ex Scotista Thomistam fieri erat difficile. In Minoritis displicebat nuditas & vita non admodum delicata, in Augustinensibus paupertas absque hypocrisi. Videbat Carmelitas in his regionibus ἀβελτέροις pulcre regnare, maxime favore mulierum. Ergo Camelus camelita factus est Mechliniæ, quæ civitas, quia forma gignit insignes, Veneri sacra est. Nec ob aliud mulieres hic favent adeo his nebulonibus, quam quod vocentur FRATRES DOMINÆ. O felicem sacram virginem, quæ tales tauros complectitur sub pallio suo. Hinc tamen colliges licebit, hanc beluam non religionis gratia factum Carmelitam, cum eodem anno, quo profectus est carmeliticam vitam, factus sit Terminarius, ut vocant, Lovaniensis, ut pariter & ibi caseos & ova colligeret, & a solennibus illis prandiis & honoribus, quibus assueverat, non abesset. Nusquam enim lautioribus conviviis mulctantur, accepturi gradum, neque alibi magistri nostri potant liberius, quam Lovanii. Deinde regnum

isti

isti videbatur, invitari per Bidellos, quos vocant, salutari Magister noster, sedere sublimis in schola, ut crepitus & pedor pedum perveniat ad capita Baccalaureorum, ac magistrorum non nostrorum. Hæc homo mundo mortuus scilicet contemnere non potuit. Et vide hominis impudentiam, qui ipse fugit domum & religionem suam, reformet alia monasteria? alios includet? quum ipse non potest ferre claustrum domus suæ. Sed tamen interea prospectum erat edaci ventri, & bibaci gulæ, atque etiam salaci πέει. Nam nunc jucunde deliciatur, vel cum sacris virginibus, si desunt matronæ. Et vide quam homo strenuus non defuit professioni suæ. Mox magna pecunia congesta ex interversis testamentis, ex impudenter prædicatis veniis, ex compositionibus, ex intempestivis adulationibus, quibus inter concionandum mulierum, & maxime vetularum animos sibi devincit. Ex hypocrisi ad quam se totum componit, nidum extruxit Lovanii, futurum monasterium Carmelitarum. Quasi parum sit hujusmodi mendicabulorum ociosorum, quibus mundus gravatur nimium. Nec his contentus cauponem agit, alit domi non paucos, alit pueros, quos doceat nihil scire; siquidem

pro

pro Grammatica prælegit illis Salomonis Proverbia. Et hunc quæstum, qui multos alit Lovanii homo insatiabilis præripit. Enarrat idem domi psalterium, in quo novum præbet artificem. Nam psalmos, nec ab eodem, nec eodem tempore scriptos ita obtortos connectit, veluti linum lino connectens, quasi contextus sit continuus, eas enarrationes condit suo more virulentis obtrectationibus in oratores, in policiem dictionis, in Græcas literas, & literarum studiosos semper aliquid evomens, tali stipite dignum. Quodam die apud Vestales virgines: Quid est (inquit) poëtria? nihil aliud quam sic loqui, ut loquuntur in lupanari. Hoc portentum & oderunt & rident etiam alii Theologi. Sed tamen postquam conspirassent in meliores literas, visum est illis utile, ut ad hanc agendam fabulam, hunc histrionem, aut potius Cyclopen adhiberent, stupidum, impudentem, clamosum, pertinacem, furiosum. Nam animi furorem non solum verbis, sedet ipso vultu, ipsoque incessu declarat: in summa, si cucullæ adderentur auriculæ cum tintinabilis nihil in eo desiderares. Hoc igitur Morione sunt abusi in his partibus fabulæ, quas putabant sibi indecoras fore. Tam stolide frequenter

hic

clamavit apud populum in linguas, in
riam, ſic enim ille vocat poëticam, ex
ıoliconte opinor, in novum teſtamen-
Eraſmi, quod interim confitetur, ſe
ıuam vidiſſe neque velle videre. Omnes
conciones, quas, ut in loco ſacro, ſa-
eſſe decet, infecit & conſpurcavit hujus-
li ſycophantiis, oblique perſtringens
n viros eximios, & de bonis literis bene
itos. Et cum hujusmodi factis homo
videtur ſani capitis, nec medicum adhi-
nec poſcit Elleborum. Cum Lutherii
:a prodirent, miſere metuebat ſuo quæ-
memor quantam vim pecuniæ colle-
:t, & veniis Apoſtolicis. Nondum le-
ıt ullam pagellam, & ob ingenii ſtupo-
fruſtra erat etiam lecturus, ſed audierat
r pocula a conbibonibus Theologis, in-
quæ obſiſterent illi quæſtui. Ilico pro-
ad populum, & inſanis clamoribus
nia commiſcuit, nihil habens in ore niſi
ıctores, hæreſes & Antichriſtos, clama-
periturum mundum, niſi ipſius humeris
iretur. Non ſumis mi Zinli, qui Lu-
:ii libros intelligam ob quæſtiones ali-
ıt remotiores, nec me cauſæ illius miſceo,
n ipſe non egeat talibus patronis. Ta-
n adeo hebes non ſum, quin hujus ſtu-
porem

porum admirer. Ex hoc uno cætera conjicito, quam hic asinus intelligat Lutherii dogmata, plus centies clamavit apud populum, Lutherium docere, non esse necesse confiteri peccata mortalia, nisi manifesta. Lutherus sensit manifesta nobis, id est quæ judicaremus esse mortalia, quod certe (ut ego puto) non est cujusvis; ista bellua putat non esse manifesta, nisi quæ designantur in foro. Quid facias quæso, hujusmodi bardis fratribus? Constanter etiam nunc vociferatur in Lutherium, & tantum profecit, ut passim emant libros Lutherii, sibi persuadentes esse aliquid boni, quod huic Casceario tantopere displiceat. Et postea queruntur, esse, qui emant Lutherii libros, cum ipsi non solum irritent emendi appetentiam suis adeo ineptis vociferationibus, verum etiam ecclesiæ tranquillitatem in periculosum vocent dissidium. Putat hic monachus se valde sanctum, si die Mercurii non vescetur carnibus, sed ovis & piscibus sese expleat ad vomitum usque, & tam manifestis mendaciis, tam sceleratis calumniis famam boni viri proscindere, talibus Sycophantiis inficere animos & aures auditorum non putat esse peccatum. Clamat Latomus, clamat Edmundanus, balbutit Ruardus

in Lutherium hæreticum, in indoctum, in ineptum & tamen nemo illum commonet, nemo docet, nemo redarguit, cum ille doceri postulet, cum audiri cupiat & audire. Qualis sit Lutherius nescio, nisi quod libri, quos hactenus edidit, testantur eum esse in literis theologicis, non tam veteribus quam recentioribus exercitatissimum, præterea ingenium arguunt sanum, & pectus multis, variisque dotibus vere Christianis instructum. Hos vero novitales, ut si non essent alii Christiani, cum his, ita me Deus amet, Christianus esse nollem. Siquidem avaritiæ addicti sunt & ambitioni. Nulli prosunt, nulli benevolunt, nisi sibi ipsis, nocent plurimis & timeri volunt sub religionis prætextu. Neque enim hoc offendit eos in Lutherio, quod non satis molliter tractat pontificiam majestatem, de qua & ipsi non admodum magnifice sentiunt. Quod vellicat venias, quas nec ipsi probant, cum inter sese veris agunt. Sed ideo his est hæreticus Lutherius, quod Thomam despicit, quem prædicatores quintum Evangelistam videri volunt, quod incessit Magistros Nostros, quorum autoritatem sacrosanctam haberi postulant, quod scholastica dogmata non habet præ oculis, quibus, ut nihil aliud

dicam,

dicam, debet mundus tot monachorum discrimina, tantum ceremoniarum, & Christianam religionem, si non extinctam, certe misere afflictam, infectamque, tot indoctos theologos, & bonorum autorum neglectum, de quibus dogmatibus M. N. Latomus promisit tertium librum, sed ubi videt, primos duos tanto risu doctorum omnium exceptos, consultius putat esse premere, quam tanto scholasticorum doctorum dedecore iterum prodire in proscœnium. Hinc est, quod clamitant, hoc ulcus illis dolet, hinc illi tumultus insani. Malunt (opinor) obrui doctrinam Christi, quam aliquid decedere de majestate duorum aut trium Magistrorum nostrorum. Certe Carmelitis & prædicatoribus, quos tantum inversio vestium sejungit minus indignor, ventri serviunt, & ventris negotium agitur. Demiror magis cur his belluis alii subserviant. Edmundensis putat timeri stultissimam illam linguam suam (nam hoc subinde jactat e suggestu, quod Huttenus noster arcem impudentiæ vocare solet) propterea quod boni nolunt adversus rabientem rabire. Nunc audi quæso horum dementiam, audi, exspectant ut Lutherius capiatur. Quid hoc aliud est,

 quam

quam sitire humanum sanguinem. Quandoquidem docere non possunt, & tamen perdere volunt. Utrum hoc est carnifices agere an Theologos? Quanta indignatio posteritatis, si legerint Lutherium virum fuisse bonum, & vitæ admiraculum usque inculpatæ, acutum, eruditum, ingeniosum, bene Christianum, præterea Germanum. Et tamen quod primus in tanta Theologorum perversitate, in tam detestabili monachorum tyrannide, ausus fuerit, libere monere, & Christum jam olim constitutiunculis humanis indigne fœdatum, imo conculcatum, vindicare, oppressum, non argumentis neque Scripturæ sacræ testimoniis, quibus innocentiam suam usque tuebatur invictus, sed arte & conspiratione nebulonum plane tyrannica. Quodsi quidam haberent tantum insaniæ, quantum isti, brevi mundus totus sciret, quæ probra, quæ dedecora, quæ flagitia, quæ facinora lateant sub illis albis & nigris palliis, qui faverent religioni, citius alerent Ursos aut Simias aut etiam Viperas, quam multos istorum generum, nolo enim gravare omnes, quos tamen opinor esse perpaucos. Unde nobis hæc prophana religio, unde hæc impia pietas, unde indocta doctrina, unde spurcissimus iste

coeli-

cœlibatus? Indigne fero, hanc urbem elegantem, hanc Academiam cumprimis celebrem, & egregiis ingeniis abundantem, sic infici per hos paucos nebulones, virulentos & indoctos. In cæteris litteris non est omnino indoctus Atensis, sed ira huic prorsus dominatur. Quid autem judicet iratus? quid dijudicet inimicus? Edmundanus plane stolidior est, quam ut vel de re culinaria ferat judicium, quod tamen affectat & quidem sedulo, & ob hoc Frater olla a quibusdam vocatur, quod plus palato quam ingenio valeat. Et nunc ea damnat, quæ nec legit nec intelligit. Si sapiunt bonarum literarum cultores, in hos omnes acuent suos calamos, indigni sunt, quibus parcatur, feræ sunt non homines, proferantur horum mysteria, quandoquidem ipsi finem insaniendi nullum faciunt. Et audio esse in manibus quorundam volumen quoddam, cui titulus sit de memorabilibus Prædicatorum & Carmelitarum, cujus gustum nobis præbuit Nicolaus Quadus in epistola quadam sua longe elegantissima. Et Dii faxint ut ne torqueat nos expectatione longa. Si moveret eos negotium fidei, ut simulant, inquirerent in libros Aluari, in libros Sylvestri, in libros Thomæ de Vyo,

ſed de prædicatorum erratis nullum verbum. Quantum equidem conjicio non tendunt in Lutherium, qui ſatis tutus erit contra horum tyrannidem, ſed in omnes bonas literas, quas ipſi non didicerunt & piget diſcere, ſed prætexunt ſplendidum titulum homines ad hypocriſim nati educatique. Quod ſi conatus eorum ſucceſſerit, id quod ſuperi prohibeant, videbis, quo ſit evaſura rabies ſceleratorum. In hanc rem ſcio conjuraſſe quosdam, omnes inſignite ſceleratos, quorum nomina brevi ut arbitror cognoſcet & deteſtabitur mundus. Hos tyrannos retundere magis puto eſſe ere Chriſtianæ religionis, quam profligere Turcas turciſſimos, aut his etiam ſceleratiores Judæos. Demiror lenitatem Eraſmi, quod ſuo ſtilo feliciſſimo non ſæviat in iſtos, ſed ille, ut eſt pure Chriſtianus, abhorret ab omni diſſidio, & interim ſtudiis vere ſacris ſeſe conſolatur, reverſus ad Paraphraſes in Paulum, quas hac hyeme perficiet. Et ut ille in re quidem optima occupatus eſt, ita non convenit alios ſtudiorum cauſam deſerere. De his ſatis hactenus; proximis tuis literis reſpondi ſuperioribus nundinis. Hic quoniam & præter ſpem & certus oblatus eſt nuntius, nolui te neſcire, quid hic ageretur,

retur, & placuit, stomachum meum apud te effundere. Hutteni postrema foetura mire probatur doctis omnibus, utinam ille vivat ultra Nestoris annos: ita semper vincit se ipsum, felix illud & foecundum ingenium. Carinus noster plenis (ut ajunt) velis ad utriusque linguæ fastigium contendit; spes est fore, ut brevi Germaniam nostram, non modo Helvetiam ingenii sui opulentia sit illustraturus. Hic locus & tota fere Brabantia satis tuta est a peste, sed laboramus alia peste nocentiore, quam sit ista vulgaris. Vale optime. Lovanii apud Sycophantas M. N. & Fratres. Tu perge, eruditissime Zingli, purum Christum tuorum populorum animis inserere. Anno M. D. XVIII. Mense Aprili.

IX.

OBSERVATIO
De Epiſtolis Caroli Ludovici Electoris Palatini & Degenfeldiæ Baroniſſæ amatoriis.

SEreniſſimum quondam Electorem Palatinum, Carolum Ludovicum, Principem incomparabilem, in tenerrimis habuiſſe amoribus Louiſam, ex illuſtri Degenfeldiorum Baronum ſtirpe natam, inter omnes conſtat. Eam conjugali forma ſibi deſponſatam in thori ſocietatem accepit, repudiata legitima uxore, Charlotta, ex Sereniſſima Landgraviorum Haſſo-Caſſelanorum gente orta, illamque ad mortem uſque conſtanter & effuſiſſime dilexit. Inter homines ea, agere deſiit A. MDCLXXVII. d. 18. Martii, cum jam ex Electore decimam quartam prolem utero octavum in menſem ferret, quinque filios ac tres filias ſuperſtites relinquens. Ipſe ille literatiſſimus Princeps epitaphio, ſuamet Minerva conſcripto, & ſummum amorem ſpirante, monumentum ejus ſepulchrale decoraſſe perhibetur, quod Germanico & Latino idiomate inſertum eſt Inſcriptionum Monumentis publicis, in itinere

col-

collectis atque editis a M. T. Gedani, 1696. in 8. pag. 16. ſqq. Circumferuntur vero Electoris atque Baroniſſæ epiſtolæ amœbææ, amoris parariæ ac nunciæ, Latina lingua exaratæ, illius tres, hujus una reſponſoria, quas præter alios exhibet Jo. Chriſtianus Lunigius Vir clariſſimus, in Literis Procerum Europæ Part. I. p. 699. ſqq. & Anonymus, qui paucis abhinc annis vernaculo ſermone ejus rei memoriam renovavit (*a*). Suas habent veneres, nec inelegantes ſunt illæ epiſtolæ, aculeum, neſcio quem, in legentium animis relinquentes. Fuerunt tamen, qui earum γνησιότητα in dubium revocavere. Ego quum primum illas in Lunigiana collectione attentis perluſtrarem oculis, in utrisque idem prorſus dicendi genus agnoſcere mihi viſus ſum, hinc omnes ab uno eodemque autore & ſcriptore profectas eſſe hariolatus. Nec mea me fefellit conjectura: poſthac enim deprehendi, non quidem perſonatum Daphnæum Arcuarium, ſive, qui ſub hoc nomine latere voluit, Laurent. Begerum, quæ nonnullorum eſt ſuſpicio (*b*),

 eas

(*a*) Titulus libelli eſt: Die durch Unluſt vergallete Luſt des Ehelichen Lebens ꝛc. von neuem ans Licht geſtellt durch L. V. A. Gieſſen. 1720. in 8.

(*b*) Vide præfationem tractatus Germanici modo citati.

eas composuisse, sed Æneæ Sylvio, vel qui idem est, Pio II. Pontifici maximo acceptas esse ferendas. Absona forte me loqui existimabis, cum is non Carolo Ludovico Palatino & Degenfeldiæ, verum Friderico III. Imperatori olim fuerit a secretis epistolis, atque ducentis propemodum annis ante mortalitatem expleverit, quam istæ literulæ amatoriæ in Palatinatu utrinque missitarentur. Forsan, inquies, ex inferis rediit Æneas, & amoribus illis, a quibus ipse, dum viveret, haud alienus erat, fovendis operam navavit. Non prorsus erras, mi Lector: immo vivit adhuc in scriptis suis & eruditorum memoria Vir Spondani judicio, literis, eloquentia, dexteritate & prudentia nulli secundus. Inter opera ejus extat libellus haud inficetus. De Euryali & Lucretiæ amoribus, qui seorsim etiam aliquot vicibus prodiit. Hunc fabularum Romanensium in censum referrem, nisi cum ipse Sylvius rem vere sic esse suo tempore gestam asseveraret, tum Jacobus Philippus Bergomas eam testimonio suo (*c*) confirmaret. Ad morem tamen fabularum Milesiarum exornatam esse illam, in propatulo

(*c*) In Supplemento Chronic. f. 282.

tulo est. In hoc igitur libello conspiciuntur quædam epistolæ amatoriæ, utrinque missæ, & ab Ænea effictæ. Reperies vero inibi etiam eas, quæ Serenissimo Electori atque Baronissæ vulgo tribuuntur, ita quidem, ut posterioris epistola totidem verbis ex Sylvii libro sit repetita, prioris autem literæ paululum immutatæ legantur, quibusdam ex iis, quas Æneas Euryalo adscribit, resectis, quæ scilicet electoralem dignitatem decere minus videbantur. Speciminis loco integram exhibebo epistolam ex memorato libello, quæ secunda est inter eas, quas Carolo Ludovico adjudicare solent.
Magno mihi gaudio fuit epistola tua, quæ„ finem querelis fecit de lena. Sed angit, „ quod amorem parvi pendas meum. Nam„ etsi plures te amant, nullorum tamen ignis„ comparandus est meo. At tu hoc non„ credis, quia loqui nequeo tecum: id si da-„ retur, non me contemneres. O utinam„ fieri possem hirundo, sed libentius trans-„ formari in pulicem vellem, ne mihi fe-„ nestram clauderes. At ego non quod„ nequeas, sed quod nolis, doleo. Nam quid„ ego nisi animum respicio? Ah, mea lu-„ cretia, quid dixisti te nolle? An si posses„ me nolles, alloqui, qui tuus sum totus, „

R 5 „qui

„qui nihil cupio magis quam tibi gerere „mores, quæ si jubes in ignem ire, citius „obediam, quam præcipias. Mitte obse„cro verbum hoc. Si non datur facultas, „adsit tamen voluntas; ne me verbis one„ra, quæ vitam mihi oculis præbes. Si „non placet, me alloquium petere, quia „non sit impetrandum, obsequar. Sed „muta sententiam, qua meum laborem „vacuum dixisti futurum. Absit hæc cru„delitas: mitior esto amanti tuo. Si pergis „sic loqui, fies homicida, nec dubita, fa„cilius tu me verbis interimeres, quam qui„vis alius gladio. Desino jam plura posce„re, ut redames tantum postulo. Nihil „hic est, quod objicias: nemo potest hoc „te prohibere. Dic te me amare & beatus „sum. Munuscula mea quovis modo apud „te sint, est gratum. Illa te aliquando mei „admonebunt amoris: sed parva illa fue„runt, & minora sunt, quæ nunc mitto: tu „tamen noli spernere, quod amator donat. „Majora, quæ indies ex patria mihi debent „afferri, cum aderunt, ex me recipies. An„nulus tuus nunquam ex digito meo rece„det, & illum vice tua crebris osculis red„dam madidum. Vale delicium meum, & „mihi, quod potes, solatium dato.

Poste-

Posteris itaque ex memorato Sylvii libro petere illas illustris Degenfeldiæ responsorias, quæ desiderantur. Fateor mihi omnes istas, quæ & Serenissimo Electori & Baronissæ adscribuntur, confictas & supposititias videri: nisi hoc unum obstaret, quod a Serenissima Electrice Charlotta in literis supplicibus, ad Imperatorem Leopoldum gloriosissimæ memoriæ A. 1661. d. 26. Julii Heidelbergæ datis, pro genuinis venditatæ sint. Tuum ergo esto hac de re judicium.

Non possum vero non heic paucula ὡς ἐν παρόδῳ adjicere de Æneæ Sylvii, postea Pii II. Pont. max. amoribus, cum in ejus jam mentionem inciderim. Inter ejus epistolas extat una, ad genitorem Sylvium scripta (*d*), qua illum, licet matrimonii exsortem, ex fœmina quadam Angla filium progenuisse edocemur. Satis prolixa ea est, inque defendendo isto facto ita occupata, ut mirandum oppido sit, illam posthac a primis editoribus non fuisse suppressam. Animum quoque ejus, lascivis amoribus deditum, loquuntur verba, quæ in præfatione ad supra dictum opusculum usurpat, sequentia: *Quid est*

(*d*) Quæ decima quinta est in mea editione, omnium, nisi fallor, prima, anni, loci & typographi indicio destituta.

est toto terrarum orbe amore communius, quæ civitas, quod oppidulum, quæ familia vacat exemplis? Quis trigesimum natus annum amoris causa nullum peregit facinus? Ego de me facio conjecturam, quem amor in mille pericula misit. Ago superis gratias, quod structas insidias millies fugi, felicior astro Martis, quem Vulcanus cum Venere jacentem ferreo illaqueavit reticulo, deridendumque Diis ceteris ostentavit. Sed alienos quam meos amores attingam, ne dum vetusti ignis cinerem evolvo, scintillam adhuc viventem reperiam. Hæc Sanctissimus ille Pater, cum adhuc Æneas Sylvius esset. Quodsi talia excidissent aliquando Luthero nostro, quantos quæso, clamores tollerent, quam vociferarentur Ecclesiæ Romanæ promachi?



X. JU-

X.

JULI CÆSARIS SCALIGERI EPISTOLIA DUO (a) LECTU DIGNISSIMA,

Nunc primum edita,

Cura ac Diligentia

JOACHIMI MORSI (b)

Lugduni Batavorum

Excudebat Jacobus Marci. cIɔ Iɔ c XIX.

(*a*) Hæc integra hic recusa Tibi non displicitura esse mihi persuadeo, cum inter epistolas Scaligeri junctim editas Hanoviæ 1612. in 12. (quæ editio est plenior cæteris) non extent.

(*b*) Joachimus Morsius Patricius Hamburgensis, natus est A. 1593. denatus 1639. Brevis ejus vitæ descriptio nuper Hamburgi A. 1723. in 8. Germanico sermone prodiit cum vitis Linderbrogiorum &c. Præter ea, quæ ibi pag. 78. sqq. vulgasse memoratur, possideo Antonii Florebelli Panegyricum, Carolo V. Romanorum Imperatori dictum, eo curante impressum Lugd. Bat. 1619. in 4. Aliquot ibi etiam centurias Epistolarum virorum celebrium se publicaturum esse spondet. Extat quoque una ejus epistola, in collectione Antonii Matthæi, quæ Lugd. Bat. 1695. prodiit. De aliis, quæ luci exposuit publicæ Morsius, vid. Vinc. Placcii Theatrum Anonymorum f. 241. & Pseudonymorum f. 500. conf. quoque Appendicem Epigrammatum Jo. Oweni.

Gratia quam peperit, Charites auxere, Minerva
Abſolvit, MorsI fama perennis erit.

Immortalitati nominis & famæ, Nobilis Patricii, & præclari juvenis-Viri,

DN. IOACHIMI MORSI,

CHRISTIANUS S. LONGOMONTANVS,
Mathematicus Regius ac Profeſſor in Academiâ Hafnienſi, amicitiæ causâ L. M. P.

Amplissimo ac Celeberrimo Viro,

DN. MELCHIORI GOLDASTO,

Philologo, Politico & IC. de Rep. literariâ literatisque summè præ cæteris merito,

Consiliario diversorum Germaniæ Principum dignissimo,

JOACHIMUS MORSIUS S.P.D.

AB utroque SCALIGERO patre & filio, Amplissime ac Celeberrime GOLDASTE, nihil unquam profectum judicare te mecum existimo, quod non dignissimum sit, ut ad omnem posteritatem transmittatur. Quæ certè mihi horum Heroum incomparabilium divina scripta in itineribus meis singulari felicitate obtigerunt, supprimere, publicæque luci invidere, hominis parum relligiosi semper arbitratus sum. Et jam ante quidem posthuma nonnulla opuscula filii vulgare cæpi, cui duo hæc lectissima Epistolia parentis, à Clarissimo Galliarum Regis Cosmographo, PETRO BERTIO, Professore Academiç nostrç nunquam satis laudato, mecum com-

communicata, quin subjugerem, praetermittere non potui. Daturus & reliqua eorum, quae apud me exstant, occasione prima, si labores meos pios in horum coelestium virorum, quorum

— umbris tenuem & sine pulvere terram
Spirantesque crocos, (†) in urnâ perpetuum ver

precamur, meditationibus è tenebris eruendis, tuo, tuorumque similium accuratissimo judicio placituros intellexero. Libenter itaque primitias hasce vide, & me, illustrium tuarum virtutum cultorem ac admiratorem maximum, cum illis, patrocinio tuo dignare. Vale virorum optime, & me, Serio Tuum, ama. Dabam festinanter Lugduni Batavorum, A. C. M D C XIX. XIX. Mart.

EX

JULII CÆSARIS SCALIGERI

XVI. Libro

Exotericarum Exercitationum, qui CARDANUS inſcribitur.

I.

POſteaquam mei fati ſævitia tam miſerè mihi favit, ut cum meâ unius gloriâ publici luctus conjunxerit acerbitatem, atque tam egregios meos ac officioſos conatus tam dira calamitas ſit conſecuta, non putavi committendum mihi, quin quanta eſt ob leniſſimas caſtigationes affectus moleſtia *Hieronymus Cardanus*, tantum me ex ejus interitu cæpiſſe mœroris, teſtatum relinquerem poſteritati. Nam tametſi ejus vita mihi terrori eſſe poſſe videbatur: tanta tamen in omni genere literarum extabant ejus merita, ut ego quoque, qui me unum ex hiſce civibus profiteor, communem omnium utilitatem meis commodis debuerim anteferre. Orbata eſt enim Reſp. literaria viro maximo atque incomparabili; eamque jacturam fecit, quam fortaſſis nullis poſthac ſæculis reparare poſſit: Ego vero privatus

S ſum

ſum & teſte & judice, atque etiam (proh dii immortales) laudatore lucubrationum mearum. Eás enim ita approbavit, ut ſpem omnem defenſionis ſuæ in declinatione ſolâ poſuerit, in deſperatione potentiæ ſuæ, in ſuarum virium ignoratione: quibus ille tam pollebat, ut eum nullus modus, nulla ratio latere potuerit, qua meas quoque caſtigationes poſſet ad celebritatem nominis ſui comparare. Atque ille quidem talis tantusque fuit, ut oſtendere potuerit ſtudioſis ſe eadem ſenſiſſe, quæ ego tanquam contraria ſcripſerim, ſi bona judicaret: ſin aliter ſentiret, eadem animi præſentiâ corroborare aliquando, quæ ſemel ſtatuiſſet, qua ſtatuerat ea, quæ corroborari poſſe judicaſſet. Ego vero qui eo animo ac ſpe ad eum virum ſcripſiſſem, quem equidem omnium mortalium ingenioſiſſimum atque eruditiſſimum vulgo prædicarem, ut me invictum illi fore confiderem: ex ejus vitâ operoſam laudem propter aſſenſiones, non ex interitu ignavam quietem ex hac quaſi cauſæ deſertione mihi exſpectaſſe quis non videt? Profecto viri illuſtriſſimi, & quem ego acerrimum, atque ſuæ fidentem magnitudini cognoviſſem, benignitate atque beneficio frui licuiſſet. Facile enim ut erat omnium humaniſſimus ad ami-

amicitiæ jura communia vel simplicissimis literulis evocabatur, me qui in præliis diu exercitatus ad pericula omnia audaciam meam objecissem: qui in assiduis disputationibus penè attritus, in diuturnis scribendi ærumnis penè consumptus essem, disputare tam supinè de tanto Heroe, in tanto conflictu, tanto pulvere, & somnolentum victoriam concupisse, haud verisimile est. Neque solum abest a ratione rerum, & ab opinione hominum judiciosorum abesse debet, verum etiam ab omni utilitate nominis mei. In eo enim semper adhærescere voluit animus meus, ut putaret omnem hominem (ut sane omnes nihil aliud quam penè nihil sumus) adeo errare posse, ut etiam sibi licere posse contendat. Quod si consummatissimo viro contigit aliquando: quod si sæpè mihi, & nonnunquam aliis usu venit, prolapsiones illas non esse errorum censibus adscribendas, nisi si quis postea porro eas tueri velit: pro constantiâ enim pertinaciam, pro humanitate veritatem profiteri necesse est, neque enim erat is, cui aliquid excidit paulo importunius: sed si quando suam culpam propriam facit ex infami defensione. Igitur illo vivente si ex conscientiâ rerum silentium esset consecutum, quid mihi potuit

honorificentius evenire? nempe tanquam præceptorem aut patrem modestissimis assensionibus excepisset. Quod si ad pertinaciorem disceptationem rem revocasset, quotusquisque nunc jam non intelligit, ex priore mentis agitatione futurum, ut ad insaniam propius accederet? Id quod divinus ille vir cum acutissimè perpendisset, quod non potuit ferre, tulit. Id est animi constantiam ad vivendum afferre non potuit: ad moriendum potuit: & quod potuit ferre, non tulit, hoc est communionem animorum nostrorum atque judiciorum ad publicam studiosorum utilitatem. Quamobrem doleo vicem meam, qui ad prælium hoc luculentissimas susceperim rationes, ad conflictum habuerim explicatissimas, ad victoriam, quam speraram, eas quas neque sperare licuit constanti viro. Quis enim talem eventum rei exspectasset? quem neque concupiscere viri fortis, cujus laus in hostium laude penitus posita est. Doleo vero vicem totius Reip. cujus doloris causas vulgus quidem literatorum pro suo captu capere potest: pro meritis illius divinitatis nullo modo potest. Cúm enim in homine docto tres partes omnino excellere debeant, eruditio varia & multa, ingenium summum cum acerrimo judicio con-

conjunctum: tria hæc ille puncta adeo plenè tulerat, ut ad unum modo totus pro se, solus pro omnibus factus à Naturâ esse videretur. Nemo enim humanior cum minimo quoque, nemo apparatior ad omnia cum maximis quibusque viris inventus est. Lenitas Regia, celsitudo animi popularis non solum omnium horarum, sed etiam omnium locorum, omnium hominum, omnium fortunarum homo. Quod vero attinet ad eruditionem, circumspiciamus quæso totum hunc hujusce felicissimi sæculi consummatissimum orbem literatorum, multos magnos viros efferent merita cujusque sua, cæterum hos unâ tantum aut alterâ in parte philosophiæ occupatos. Ille vero cum profundissimis Naturæ Deique arcanis humaniores literas ita conjunxerat, easque tam eloquenter explicarat, ut nihil aliud toto ætatis tractu professus fuisse videretur. Magnus vir sane, magnus: etiam si hoc hoc solum præstiterit: cæterum si ingenii expromptam celeritatem, igneam ad omnia vim, æqualem ad minima & maxima queque, vel laboriosam diligentiam, vel invictam constantiam, consideremus, propior impudenti fuerit is, qui se illi comparare ausus fuerit. Non igitur vel infensus animus, cujus ego vestigia

ne novi quidem; neque livor, cujus ne umbra quidem attigit unquam umbram meam: ſed tot tantæque illius monumentorum illuſtres notiones ad hoc me impulerunt, ut de illis aliquid ſentirem, & abſolutis de ſubtilitate commentariis exiiſſet priorum appendix quaſi quędam eruditiſſimus liber de varietate rerum. Atque ego illico antequam de ejus morte quicquam allatum eſſet exemplo ſane meo me ipſum imitatus, triduo excurſum in breviſſima capita, congeſſiſſem. Poſteaquam de ejus interitu reſcivi, in unum congeſſi libellum, ut ejus ſane adjuvarem labores. Sed ita quemadmodum adjutum ſe ille voluiſſet, ſi quando mecum aut alio doctiore viro de rebus ſuis conferre debuiſſet.

Exceptum manu
JOSEPHI. II. SCALIGER
Suaviſſimo, doctiſſimo, optimo,
GERVASIO MARSTALLERO,
Medico Brunſuicenſi, Pater
Filio S.

QUantum mœroris capiebamus ex diſceſſu tuo (propterea quod hoc tempore non ſine maximis difficultatibus te incolumem eva-

evasurum barbarorum immanitatem videbamus) tantum attulit voluptatis reditus, quam etiam suavissimis tuis literis cumulasti. Ego præter cæteros vehementer gavisus sum, te restitutum nobis, nostris votis, nostris studiis, à quorum dignitate non parum decedere necesse erat, te amisso. Illud quoque auxit commendationem profectionis tuæ: cum novas herbarum facies, novas piscium te attulisse scribis. De herbis non miror. Est enim πολύχρους natura ut scis. Cujus portiunculam quantillam nobis notam putas? Quæ fuit causa ut post infinitas penè mentis exagitationes provexerim me ipsum ex ejusmodi fato atque jactatione in portum, quem unum prospiciebam. Is fuit: Cum perpaucis medica res agi, peragi, conficique possit, quæ apud nos sint etiam morosissimè exquisita: non esse abducendos animos nostros â melioribus studiis ad ea cognoscenda, quæ iisdem viribus prædita essent, si cognoscantur. Quæ cum sint controversa, in periculis vitæ nostræ pro ignotis relinquenda sunt. Quæ denique iis tantum apparata sunt à natura, qui aliis careant nobis cognitis. Neque existimo easdem vires aliis atque aliis plantis ab opifici summo impartitas, nisi propterea, quod non ubique

omnes, non omnes eodem tempore, esse poterant. Generosi tamen animi est, omnia velle, etiamsi pauca possit. Tam enim Deo simillimi sumus quàm maximè sapimus. Quò tibi multum debeant studiosi, qui tot laboribus, tantis impensis rerum naturam nóstro orbi hactenus incompertam aperuisti, ut hic aditus tuæ laudis cum nostra utilitate conjunctus pateat viris doctis ad seipsos componendos, acuendos, confirmandos in exercitatione ingeniorum judiciorumque suorum. Nam mihi id demum vivere videor, quod datur artium cognitioni, novisque inquisitionibus. Quare jucundum atque etiam gratum adventum fuisse reor non solum juventuti ...... sed etiam optimatibus principibusque Academiæ, cum illis novæ eruditionis copias tecum longinquis allatas commeatibus ostendisti. Quod nisi me ipsum consolarer spe, vel tuarum aliquando migrationum, vel illorum commentariorum, vitam mihi acerbam putarem. Sed neque tu pati poteris labores tuos atque etiam ærumnas, quas in naturæ indagatione exequutus es, cum tuæ vitæ cursu finiri, neque illi tam præclaris institutis tuis etiam adjungere verebuntur, quæ ad summam rei deesse videbuntur. Nihil igitur

aliud,

aliud, quam exspecto. Laudo te de consilio tuo quod cępisse te scribis de dicendi æquabili ratione. Nihil quidem libertate divinius esse puto, quæ versatur in media simplicitate, neque in licentiam effusa, neque oppressa alieni studii superstitione. Numquam mihi probatum est genus illud imitationis, quod tanquam datis vadibus hæreret aliorum judicio, suum amittens: Quâ vęcordiâ inter aucupia verborum res ipsæ intereunt. Legi προπεμπτικόν, quo prosequeris epistolam tuam. Valde sum delectatus facilitate, promptitudine & quasi sinceritate sententiarum, in quibus matronam mihi intueri videbar sine fuco nitidam, sine fastidio comptam. Et illud quo ait & sua venire Claudianus. Sed & ille nativus calor à se ipso incitatus assurgit interdum ad urbanitatem salesque: aliquando induit majestatem; nusquam languet tamen, vegetus, vividus, sibi instans, seipsum parturiens. Neque hoc dico, quod istis candidissimis numeris illustrior factus sim. Antequam ea legerem idem sentiebam, nec me mutavi. Ago igitur tibi gratias immortales: non prius tanti beneficii memoriam depositurus, quam tibi vicissim ostendam reipsa me esse animo & grato & liberali.

Scito me desiderio torqueri Panegyrici. non est ad nos perlatus. Leniit tamen ipsum lectio Elegiæ qua solis defectum luculentissimè simul atque doctissimè canis. Georgius noster agit Villæ novæ non obscuris conditionibus. Cæterum ne absenti quidem officiis desumus, quę ad eum ornandum ab amico & populari proficisci potuerunt. De Orstano miram tibi narrabo fabellam, verissimam tamen: Is ex arce Bassentii, ubi agit cum Episcopo designato, huc venit me salutatum. Nosti hominis os probum & germanum. Cubiculum ingressus, nihil ille, sed è comitibus unus. Hic (inquit) Cæsar, huc venit officii gratiâ. Facie & vultu potius, ac mediocri gestu ostendi id mihi percarum esse. Accedit proin ac loquitur. Ego qui sederem, non potui quin assurrexerim: manu benignè apprehensum rogavi ut frueretur lectuli commoditate. Itaque quod proximum erat, ambo consedimus. Parcè ille & purè, ac non sine moderato pudore, aditum quærere ad prolixiorem orationem. Ego meo more pauciora, ut scis, & animo constantiore. Vbi sermo processit aliquantum (testor tibi Dominum Jesum) quem nunquam vidissem, quem Lutetiæ ut audieram, ita esse existimarem,

marem, nescio quo colore aut martiâ potius inflammatus altiore voce, tu es Orstanus meus inquam. Sic enim eum tunc appellavi. Quod ille miratus annuit. Tunc utrumque stupor invasit: unde id meum in animum sese dedisset. Sæpè hic mecum est, levatque tædia feræ barbariæ, quæ me excruciat. Et cùm primùm videro, tuis verbis salutatum dicam. Tu meis velim gratuleris Fontanovo, cujus progressus in studiis nostris communibus felicissimos Christus oro fortunet. Qui ejus patris nomen, monumenta, sapientiam colui, ei valdè benè volo. Agoque gratias, pro honorificentissimis verbis quibus me appellavit in Epistolâ ad Bergium. Obsecro te saluta omnes istos primarios viros, quos præceptorum loco habeo. Nullum nomino, ne quem cuiquam videar anteponere. Honoratum valdè atque etiam impensè amo. Rondelletium colo ac suspicio. Scerroniam admiror. Te etiam atque etiam, tuasque divinas manus, tam care scribentes exosculor, mi fili. Vale.

IN

IN

CLARISSIMI MORSII

Symbolum Optimum

Deo auspice, Doctrina duce, Virtute comite.

GERHARDUS MEIERUS

P. L. C.

Salve MORSIADUM, *clarissima gloria, stirpis,*
Præsidium Musis dulce, JOCHIME *meis,*
Incomptamque hilari nunc suspice fronte Camœnam,
Hancque patrocinio protege, quæso, tuo,
Quæ gestit laudes inculto carmine vestras
Dicere, si faveat mitis Apollo lyræ,
Flagitat hoc merito in vatem tua prodiga dextra
Postulat hoc pietas, poscit amicitia.
Ast mea humi serpens rudis ac inculta Thaleia,
Cantandis vestris sufficit haud meritis.
Te tantum dicet felicem, teque beatum,
Te fortunato sidere progenitum.
AUSPICE *namque* DEO, COMITE & VIRTUTE *probatâ,*
Et DUCE DOCTRINA, *cuncta,* IOCHIME, *geris.*

IUPI-

IVPITER *auspicium, medium tibi, terminus idem,*
Cunctorum, quæ tu hoc auxiliante facis.
IVPITER *in medio fluctu tibi portus & aura,*
Currentemque tuam dirigit ipse ratem.
Hic quoque quod summo volvis, IOACHIME, *labore,*
IVPITER *optato fine coronat opus.*
VIRTVTEMQVE *simul tu cum* PIETATE *Tonantis*
Iungis, & Heroum facta imitaris avûm.
Ac insistis iter celebris quo gloria ducit,
Fomaque in æternos non peritura dies.
Cumque duplex via sit, quam monstret vivida virtus,
Quarum aliam ostendit Mars, aliam Clarius.
Tu potiùs Clarii sequeris vexilla parentis,
Quo te dia trahunt munera Melpomenes,
Quæ fovit, quæ te primis nutrivit ab annis,
Instillans labris roscida mella tuis.
Et sua dona dedit Patareus *tibi laurea serta,*
Quamvis mortali non redimita manu.

Nam

Nam Vera haud titulos, virtus affectat inaneis,
Nec cupit ut sese sarcina dura premat.
Ergo ventosa non tu suffragia plebis
Venaris, MORSI, *nobilis arte tua.*
Illustris potiùs fama, titulisque decorus,
Gloria virtutis, qua tibi habere dedit.
Ergo tuis donis, sic AVSPICE *macte* IEHOVA,
Et DVCE DOCTRINA & IVSTITIA COMITE.

XI.

Epistolæ quædam hactenus ineditæ.

A.

Eximia eruditione, virtute ac humanitate præstanti Viro, Domino Joanni Mergellio, Medicinarum Doctori & Physico nostrati, Domino ac vicino suo observandissimo S.

EVolvi per hos dies subcesivis horis Jrenici Exegesin de rebus ac situ Germaniæ scriptam (*a*), quam tu mihi, Vir Clarissime, com-

(*a*) Francisci Jrenici Ettelingiacensis Germaniæ Exegesis publicata est primum Hagenoæ typis Thomæ Anselmi & sumtibus Joannis Kobergii Norinbergensis A. 1518. in fol. Recentior quidem etiam extat editio, sed prima illa rarior est & præstantior, cum in secunda quædam sint resecta, tabulæ præsertim Genealogicæ. vide Celeb. J. Fr. Reimanni Historiam Literario-Genealogicam Sect. II. p. 166. sqq. Varia equidem in hoc opere desiderantur & censura perstringuntur ab eruditis & a nostro quoque Bruschio; laudem tamen suam meretur etiam Jrenicus, qui inter primos fuit, qui Germaniæ nostræ descriptionem, antiquitates & historiam in justum redigere systema conati sunt. Hinc non abs re Thomas Fritschius, Bibliopola Lipsiensis, desideratissimo Thesauro Antiquitatum Germanicarum hanc Exegesin inserere statuit. Jrenicum in politicis crebro defe-

communicasti. Inveni ibi quædam, quæ mihi prosunt in labore meo, agnosco igitur me tibi debere multiplices gratias pro talis libri communicatione. Sed quantum errorum sit in hoc ipso autore, nemo novit, nisi qui Germaniam perambulavit. Ego, qui Germaniæ quingentas vidi civitates, & inter peregrinandum plurima annotavi & observavi, multa deprehendi errata, quædam etiam notavi. Video, bonum Jrenicum multa scripsisse,

defecisse, notissimum esse tradidit Frid. Tilemannus in Discursu Philologico de historicorum delectu p. 183. Jacobus autem Schopperus, Theol. olim Professor Heidelbergensis in Chorographia & Historia Germaniæ, A. 1582. Francof. edita, ita de eo judicat.: Franc. Jrenicus hat viele Müh und Arbeit unserm Vatterland Teutscher Nation zu Ehren zugebracht, und ein herrlich Lateinisch Buch von Teutschland geschrieben, welches er aus allen Scribenten zusammen gesammlet hat: bedunckt mich doch, daß er in etlichen Orten geirret habe, welches er ohne Zweiffel würde geändert haben, wann er länger gelebt hätte. In Catalogo Historicorum Fresnojo-Menkeniano p. 122. Jrenicus hoc in opere priscos Germanos cum recentioribus per quam jucunda ratione comparare, multaque memoratu digna de Germanorum Principum familiis annotare dicitur. Cæterum sub Francisci Irenici nomine patrum nostrorum ætate latere voluit Philippus Andreas Oldenburgerus, cum A. 1670. Collegium Juris Publici in Burgholdensis (qui idem Oldenburgerus est) discursus ad Instrumentum Pacis Cæsareo-Suecicum vulgaret. Vid. Vinc. Placii Theatrum Pseudonimorum. fol. 397.

ſcripſiſſe, non ut viderat illa, ſed ut ex aliis refe-rentibus ac mentientibus audiverat. Sicut etiam noſtra ætate vidimus Sebaſtianum Francum ingentia hiſtoriarum volumina ſine & judicio & experientia conſarcinaſſe, de quo ſæpe memini exclamare Philippum Melanthona in publica prælectione Vitebergenſi: Indoctæ Francus conditor hiſtoriæ (*b*). Debemus tamen in Jrenico, homine docto, ea ætate, quæ adhuc rudis & eruditionis expers erat, agnoſcere & venerari bonam voluntatem: in Franco vero reprehendere, quod ille indoctus homo doctiſſimo ſeculo ſuas ineptias obtrudere & aliis anteferre non dubitarit. Sed quid ego ita diſputo? Tibi pro libri communicatione gratias ago maximas, & una Catalogum etiam Bibliothecæ tuæ remitto. In eo invenio annotata ſub titulo Artium & litera N. Glareani librum de Helvetia, & ſub lit. Q. Res geſtas Bojorum ab Aventino ſcriptas: & ſub lit. Y. Eraſmi Stellæ libellum de Boruſſiæ antiquitatibus. Eos libros quæſo ut legendos mihi exhibeas: habebis me ad omnia pietatis & amoris officia viciſſim paratiſſimum. Bene vale Vir Clariſſime,

T &

(*b*) Magnus hic nugator vernaculo ſermone Coſmographiam, & Chronicon rerum ab orbe condito geſtarum edidit.

& me in eorum numero esse existima, qui Tibi ac Tuis omnibus ex animo bene volunt. Datum in Musæolo meo 14. Aug.

Tuus

Bruschius Poëta. (*c*).

B.

Venerabili & dignissimo Viro Magistro Joanni Magenbuchio (d) Medicinæ alumno in Witteberga amico suo charissimo Wolfgangus Rychardus (e) salutem dicit.

AUsus fui tandem tuo suasu meis ineptiis & Lutheri & Melanchthonis aures dignissimas obtundere. Mitto tamen Epistolas ambas

(*c*) Caspar Bruschius, historicus & poëta, egregiis ingenii monumentis Clarissimus natus Egræ Variscorum A. 1518. sclopo trajectus in sylva Schlingenbacensi, Rotenburgum ad Tubarim & Winshemium interjacente, interiit, insidiis nobilium quorundam, in quos scriptum aliquod se editurum esse imprudens comminatus fuerat. A. 1559. Vid. Melch. Adami Vitas Philos. German. p. m. 182. & J. C. Zeltneri Correctorum in Typographiis eruditorum Centuriam p. 95. nec non Hamburgens. Biblioth. Historic. Centuriam II. p. 120. sqq. Epistolæ, quam heic damus, sequentia duo epigrammata adscripta sunt:

1. Bru-

ambas ad te: quod si interea aliter decreveris, liberum esto pro tua voluntate omnia moderari, sive reddendas sive occultandas censeas, tuum sit. Dedissem copias ad te prælegendas, sed negocia me aliorsum avocarunt: summatim tamen perstringam.

1.

Bruschius æterna redimitus tempora lauro
Historiæ multum nomine laudis habet.

2.

Facta, urbes, populum Germanum, Irenice, scribis
Pene puer: cessas addere plura senex?

(d) Jo. Magenbuchius, Medicinæ tandem Doctor, patria Blaubyrensis, Luthero & Melanchthoni charissimus fuit. Docuit primum Wittebergæ, deinde artem medicam Noribergæ professus. Eobani Hessi amicitia ipsum esse gavisum, ex ejus epistolis a Joach. Camerario editis perspicio. Melchior Adamus, qui ejus vitam breviter descripsit in Vit. German. Medicorum p. 77. illum Megobacchum nominat, & a cura valetudinis Philippo, Hassiæ Landgravio, cum prius Marpurgi Cattorum aliquandiu docuisset, fuisse refert. conf. p. 53. Idem Spangenbergensem illum fuisse conjicit: sed Rychardus, cui notior erat, alicubi in Epistolis MSStis Blaubyrensem appellat.

(e) Fuit hic Rychardus Geislinga oriundus, Medicinæ Doctor, & Poliater Ulmensis, vir egregie doctus, & elegans Carminum struendorum artifex. Inter primos erat, qui Ulmæ Evangelicam lucem, Luthero ministrante orbi restitutam, exosculati sunt avidissime. Cum eruditissimis sui ævi hominibus commercium habuit literarium. Duas ab Urbano Regio ad eum scriptas epistolas exhibet Bibliotheca Historico-Philologico-

Cum Luthero egi de fide & operibus, quorum alterum a Paulo justificatione, alterum autem ab Evangelio regno patris donatur: an scilicet justificatus sit regno Dei dignus, cum Evangelium solis operibus illud præscribat. Quodsi Lutherus dignetur meam mediocritatem juvare, tuum erit ejus hac de re sententiam mihi perscribere. Non etenim æquum duxi, Lutheri Calamum flagitare, qui tamen auro mihi gratior esset futurus. Melanchtoni gratias egi jam per epistolam pro suis lucubrationibus, quibus lectis animula mea tanta gratitudine est affecta, ut magis non possit. Testatus sum te apud eos, mi charissime Magenbuchi, me nullas cudere fabas: quoniam non immerito ignoti hominis, ex cordeque blandientis literas in suspicionem vocant: procul dubio multis cuniculis hi viri summates clanculum impetuntur. Itaque non ausus fuis-

Theologica quæ curante summæ eruditionis maximiq; nominis Viro Theodoro Hasæo ad magnum rei sacræ & literariæ incrementum Bremæ editur, Class. VI. p. 1013. Integrum istiusmodi epistolarum volumen manu exaratum benevole mecum communicavit Vir plurimum Reverendus Christianus Ehrhartus, oraculorum divinorum in Ecclesia Memmingensi Interpres facundissimus, ex quo plures, argumento notabiliores, sequentibus hujus nostri opusculi partibus inseremus.

fuissem eos accedere, nisi te comite & patrono. Tu igitur tam humaniter meam causam coram illis age, quam germano sensu me hæc scribere noveris. Vellem aliqua fortuna te redderet saltem visendum nostræ patriæ. Si diutius apud nos morari tibi non foret ex usu, rependerem omnibus nervis vices meas tuæ humanitati, qua me absentem tam devote amplexaris: & quoniam in præsentia magis non possum quam redamare, id faciam quam lautissime. Pollicearis itaque tibi meam observantiam, quam totam tibi dedo. Facias rem mihi non minus gratam quam jucundam, si de omni tuo statu me reddideris certiorem. Hi enim, qui ad nos veniunt, multa egregia de te nunciant, id quod faventissimo percipio animo. Utinam esses jam Tubingæ, ubi indubitato honestum stipendium assequereris ad Græcas literas. Habuerunt hactenus quendam Anglum, qui pentaglottus esse voluit, Græcus præsertim & Hebræus, legitque ambas lectiones annuatim conductus in vicem Reuchlini 104. aureis. Is in Græcis literis multo te est inferior, si etiam non plus calleres, quam cum hic docebas. Hebræas autem tam infideliter tradit, ut omnibus cœperit esse nauseæ: non dignantur eum bono titulo:

abiturus est jam ad futurum pascha, forsan ad vos concessurus, quod tum fiat, sis admonitus; ajunt enim exordia apud eum plus præ se ferre, quam habeat in recessu. Nihil est novi apud nos, quam quod Udalricus Zwinglius, Turicensis parochus, strenuus Evangelii adsertor, disputationem adornavit, de qua re habes hic libellum, quem ad te mitto. Dicunt, Reutlingæ sacerdotem quendam de Anti-Christi familia nuper, cum in suggestu verbum Dei simularet, a plebe sellis esse deturbatum. Lovanienses theologastri Ministrum Minoritam Gasperum Schazgerum, qui multos sudores habuit in expugnando Luthero, quum nonnihil contra stomachum Lovaniensium decoxisset, pariter ut olim Lutherum damnaverunt. Ajunt Regem Franciæ diem obiisse. Rhodienses adhuc ægre repugnant Turcis. Augurantur suppetiis Pontificis & Regis Angliæ Georgium, Ducem Saxoniæ, contra Christianissimum Principem Electorem Fridericum machinari propter Lutherum. Precor Deum favere justitiæ. Filius Zeno jam pro baccalaureatu descendit in arenam, promovebiturque nonis Martiis, qui scribit, in pago quoque Reutlingam, cui nomen Gomeringa, suem enixam porcellos caninis capitibus

& pe-

& pedibus. Ferdinandus Dux Austriæ, Stutgardiam cum uxore migrabit: multi existimant, hoc fieri, quo securior sit a Mahometho. Et quo ad te redeam, audio, te medicis artibus operam dare, facis tu rem totam ex animo meo, esque mihi eo calculo charior. Nam ego veteranus & emeritus jam miles Hippocratis, nihil lubentius video invalescere post Christum quam medicinam, quæ nullos nisi inscios habet æmulos. Belle fecit magnus Martinus, qui reliquas disciplinas taxavit omnes, solam tamen medicinam liquit intactam. Perge igitur mi charissime Magenbuchi, & si quid unquam in me erit, quod tibi usui esse possit, habebis me in promtu. Facies mihi rem pergratam, si quid certi habes de Duce Georgio, quid moliatur contra vestrum Principem. Nostri monachi lasciviunt & gratulantur, in omnium aures susurrant de Lutheri interitu, quomodo propediem sit delendus cum hospitali religione. Vellem aliquando audires hos miseros homines, qui dum nihil possunt masculis viribus, ignari cujus sint spiritus filii spem posuerunt in cædem. Ego autem nuper in pulpito suggesti clandestine feci hoc distichon cum cera affigi, quo concionator eorum legeret, etiam

poëtastros suis votis esse adversos. Clamaverat enim pridie cerbereo boatu minitans gladium futurum non solum Dei, sed etiam Regum in capita omnium, qui Lutheranis libellis assentirentur. Falluntur, qui putant gladio ferreo fidem stabilitum iri: concione opus est:

Verbis non ferro Christum defendere
fas est:
Pseudo fides, cujus pendet ab ense
salus.

Vale ex Ulma, tertio Calend. Martiar. Anno ab adventu Spiritus Heliæ quinto.

C.

Venerabili ac dignissimo Viro Magistro Joanni Magenbuchio amico suo singulari W. Richardus S. P. D.

OBviis in manibus tuas humanissimas excepi literas, quibus me de statu tuo & rebus vestratibus miro modo lætificasti. Scis enim, quam avidus sim ea scire, quæ apud vos geruntur: nec id abs re. Nam si omnino buccam meam in sinum tuum ausim exonerare, non dubitarem, omnipotentem Deum Heliæ & Enoch spiritum in Lutherum atque Me-

Melanchthona irrigasse, asseveranter credere, qua de re cum hic una essemus, sæpius verba fecimus. Vix dici queat, quam gratus audiverim, te & Lutheri & Melanchthonis proprias ad me cum Franco Giengerio missurum esse epistolas. Soleo enim heroum chirographa religiose thesaurizare: quare cum hisce epistolis me locupletaveris, Attalicas quasdam mihi accessisse divitias existimabo. Advigila mi charissime Jane: Luthero atque Melanchthoni me commenda; illudque mihi operæ pretium apud eos fiat, quod certo ipsis affirmare queas, nullum esse in nostra patria, qui pluris fecerit usquam & jugiter faciat eorum honorem & profectum, & non tam eos quam in eis Christi Evangelium amplexetur. Dedi ad te literas longiusculas duobus Blauburensibus Nicolao Balneatori, & Joanni Fieslino Hadermendlio, qui finxerunt, se Wittebergam tui causa ituros, sed Lipsiæ resederunt, meamque ad te epistolam retinuerunt, quam vellem igne esse assumptam: egi enim tecum in ea epistola, quæ nollem aliis patefieri oculis, præsertim de Domino Luthero disticha duo, quæ & in privata scheda hisce literis inclusi, illi addideram; quæ si aliis, præsertim malevolis, in manus venerint,

non essem omnino tutus a quæstoriis multis. Ulmenses nostri privatim per omnes tribus divulgarunt de periculo, quod possit Lutheranis obtingere, & quamvis ipsi conniveant, veruntamen si quis propter Lutherum a censoribus male sit auditurus, ipsemet suam acturus sit causam, a civitate nullum præstoletur auxilium. Venit ad nos Eckius, Murnarus & reliqui Luthero Zoili in bestias picti, quos ego mihi denuo depingi curavi: pictor autem ille a monachis nostris prædicatoriis inquisitus, clanculum me prodidit: censori ego Noribergæ delatus in hunc diem pendeo, nescius quando me citet, quamvis fautores, quos illic habeo, bene consolentur, spondeantque, sua opera missionem mihi impetraturos. Sed hæc ad te scribo, quo intelligas, quam oculati sint venatores Antichristi, & quam opportunam rem mihi faceres, si meas literas prius ad te missas per Blauburenses ingenio, quo posses, solertissimo in tuas manus vendicares, vel Vulcano injiciendas curares. Sic ego non mediocri levarer sollicitudine. Additæ sunt etiam Brassicani *(f)* epistolæ, qui æque

(f) Intelligit Jo. Alexandrum Brassicanum, JCtum & Poëtam non incelebrem, quem Luthero ejusque causæ favisse, ex epistolis aliquot ejus manu exaratis novi. de quo forte alias.

æque ac ego metuit, id quod accidit, intercipi literas, quibus etiam nescio quid arcani ad Dominum Melanchthonem inscripsit. Sed hac de re satis. Novi ego tuam diligentiam, & quod per te non stabit, quin omnia ex animi nostri sententia efficere coneris. Tuas jam binas ad me datas literas, sinceriori theologia refertissimas, omnibus amicis legendas dedi: agunt tibi gratias nostri, qui se plus nuclei ex gemina hac tua charta elicuisse fatentur, quam aliorum foliatis libellis. Spondes præterea aliquid de symbolo & de Magistri Martini *(g)* palinodia ad nos scribere: hoc mi Jane omittas, sed pollicita aliquando redde, & talentum a Luthero acceptum non terra obruas, sed fœnerato redde: quod tum facies, si ad nos dederis, qui te atque tua veneramur. Salutat te plurimum custos Ecclesiæ nostræ Georgius Schramius, qui nuper ligno Guanico sive Indico vitam suam longius prorogavit, semisanus adhuc. Sunt multa & varia apud nos nova, quæ & partim tibi non ignota esse reor. Franciscus *(h)* a Sikinga Pala-

(g) Martinum Edelhuserum indigitat, de quo mox.

(h) De fortissimo hoc heröe, cujus arx Ebernburgum portus & receptaculum fuit veritatis testium eruditio-

Palatinis feciles obnunciavit literas: nec res ejus est floccifacienda: habet apud nos ac ubique bene cupientis ex animo parti ejus. De Helvetiis non aliud quam de Africa dicere possum: quotidie aliquid horni monstri parturiunt, sed non mures, verum elephantos: jam denuo exercitum conscribunt, quem ducturi sunt in Mediolanum. Veneti & Galli suppetias adornarunt validissimas, & quo res Helvetiorum prosperius succedat, non verentur cum maxima Reipublicæ imperii sotularem comminisci. Nec falsa est fama. Nudius tertius Ulmam venit nuncius Eysbrucka, alius ex Yberlinga, tertius a Stutgardiano Magistratu, qui συμφώνως dicunt, Bernæ apud Helvetios nuperis diebus in aërem volandum expositum esse vexillum de panno Damasceno purpureo, in quo sotularis *(i)* sit pictus, & deauratus Phœbus radiis

ditionisque vindicum, vide Hub. Thomæ Leodii Historiolam de ejus rebus gestis & calamitoso obitu, quæ Marqu. Freheri Tomo III. Scriptorum rerum German. indita est. Passim etiam ejus laudes celebrat, resque strenue gestas enarrat Vir Celeb. Jacobus Burckhardus in Commentario de Ulrici Hutteni vita, præsertim Part. II. p. 223. sqq.

(i) Sotularis genus calceamenti est: vox corrupta more Italico, ubi sotto est sub, ut sottolegare accipiatur pro subligare. Vide Martinii Lexicon Philologicum, in voce Subtel.

radiis micantibus cæſareatus, & propter ipſum literis aureis rhitmus talis: Welcher gantz frey will seyn, der zieh unter dieser Sonnen Schein. Nec deſunt, qui ajunt eſſe undiquaque ab Helvetiis deſcriptas ſchedas, quæ publicitus decernant promtum auxilium contra Cæſarem & Pontificem omnibus preſſis. Hæc res multum favere videtur Franciſco a Sikinga, & Duci Udalrico exturbato a ſua ditione. Noſtri gentiles contra ſalutem ſuam omnes ſomniant & vigilant Ducem Udalricum. Non eſt difficile judicatu, quam altercoſus ſit annus futurus. Sunt multa & inexpiabunda in ſtamine bella: Antichriſti ſcilicet cum Helia, Turcæ cum Chriſtianis, Hiſpanorum cum Gallis, Helvetiorum cum Mediolano, Suevorum cum Francis, & alia plura. Quod ſi propius hanc ſcenam quispiam intueatur, non aliud quam regnum adverſus regnum &c. videre poteſt; quare non ambigo, quin dies Domini ſit jam maturus, & autumnus ſeculi oriri incipiat. Quod pene oblitus præteriiſſem, in regno Granati maximus terræ motus ſæviit: unam totam urbem ſolo æquavit, omnes firmiores muros labefactavit. Evangelium apud nos etiam ruptis iliis Codro bene gliſcit. Ventres noſtri in ſuggeſti-

gestibus debachantur, sed nequicquam: Deus noster sua misericordia aperuit oculos cœcorum, & manifestavit parvulis verbum suum, ita ut etiam cerdones & lixæ audeant cum nostris Pharisæis manus conserere. Nec est mihi parvuli miraculi loco habendum, illam Christi doctrinam in hac solitudine & in hoc squalido deserto domesticam indies magis atque magis fieri. Nam apud nos est nemo, qui in publicis acclamationibus ad populum Christi concionatur Evangelium. Omnes usque ad unum resistunt: singulis concionibus millies lapidatur Lutherus. Sed Emmanuel noster nobiscum Deus suo brachio adminiculatur, & simplicium corda erudit: quoniam quidem quo plus nostri antichristi & pseudapostoli veritatem premunt, eo validius palmari nisu assurgit. Vale ex Ulma, idibus Dec. Anno ab ortu Spiritus Heliæ quarto.

D.

Venerabili & multiscio viro Magistro Joanni Magenbuchio amico singulari S. D. Rychardus.

QUamvis cum proximis duobus scholasticis Blauburensibus, qui istuc concesserunt,

runt, omnem meam mentem literis tibi explicavi, non potui tamen tam opportunum nuncium pati omnino vacuum mearum literarum ad te ire. Nec habeò, quod in præsentia amplius significem, quam ut te omnibus modis obsecrem, novi si quid apud te habes ad me scribas: & ego literas tuas ubique circumferam singulis nostris amicis visendas, quo tui saltim honestam mentionem multis concitabis, præsertim si de Luthero & Melanchthone aliqua auditu digna adscripseris. Sunt enim multi apud nos rumores, sed tua verba nobis perinde atque ex Apollinis tripode hausta certissima forent. Nam tutum non est omni famæ aures accommodare. Cum hæc ad te scriberem redierunt Mercurii nostri ex nundinis Frankfordiensibus, qui Francisci fortunam prædicant, quomodo Treviros obtinuerit. Nostri tribuni Baal horrent & febriunt, somniantes etiam vigiles hanc fabam in eos cudi, suntque in suggestu pacatiores facti, quamvis per omnes conciones merum ventrem triumphare audiam. Insaniunt monachi, delirant sacrificuli, nihil autoritatis præ se ferentes, quam juramenta, quorum sunt omnino prodigi, jurantes in animas, in conscientias, per crucem & mortem Christi,

per

per extremum tribunal, Lutherum esse hæreticum, ejusque dogmata evangelio contra ire, & ita manifeste mentiuntur, quod etiam ρεχθεν δε τε νηπιος εγνω. Minoritanus nuper hujusmodi verborum portenta morose in populum proclamavit: ego aliquot secreto subordinavi, qui in exemplar hunc sermonem redigi expeterent, sed obtinere non poterant: denegabat enim αλωπηξ dolum subesse ratus. Hunc ego sermonem si habere potuissem, illico ad te cum his literis ferendum curassem, quo & videres, quibus fallaciis hæc ventris mancipia rudem popellum circumvenire annituntur. Rogo meo nomine salutem Luthero & Melanchthoni dicas: eo enim me feliciorem nomine esse ducam: si non facietenus hæc duo fidei tympana salutavero, verbis tamen per internuncium alloquar. Tu vale, & nos certiores redde, quam belle degas. Ex Ulma. 13. Cal. Oct. Anno a misso spiritu Heliæ quarto.

E.

Dignissimo & venerabili viro Magistro Joanni Magenbuchio amico suo singularissimo.

Salve

SAlve mi suavissime Magenbuchi. Literas tuas omni melle etiam Hymettio dulciores quater atque amplius pellegi, parochoque nostro legendas obtuli, qui ferme in alium hominem ex his commutatus plurimum laudavit eam sententiam, quam tu ex Helia Luthero de auriculari confessione ad me scripsisti: plurimum rogo, si aliquando per otium liceat, ad me scribas, quæ apud vos sunt noviora. Nihil hic habemus, nisi quod omnes in Luthero simus Christiani, occulti tamen propter metum Antichristianorum. Martinus Jdelhuser vocatus Constantiam, ad palinodiam redactus Ulmam rediit, instructus scheda, in quam recantationem horribilem ex suggestu ad populum declamare debuit; sed tantus fuit in plebe rumor, tantus tumultus, quod sacrificuli nostri olfacientes, si talis recantatio publice fieret, vix Baal vulgus a periculo mortis evaderet, eum timorem statim Deo suo Episcopo Constantiensi significarunt, qui illico proprio nuncio misso Martini revocationem omnino retractavit. Nihilominus Martinus cunctis est odio & nauseæ: nemo bonus hominem alloquitur: omnes clamant, prius mortem obire debuisse, quam in hoc nefas assensisse. Contra Martinus

pluribus se purgat. Res igitur utcunque habeat, ego Martinum & facta ejus horreo: nullum interea verbum vel commercium cum eo mihi intercessit. Monachi & omnis turba Baal Lutherum fortissimis, quibus possunt, arietibus impugnant, nihil tamen, Deo gratia, proficiunt. Fuit multis diebus minister Minoritanorum hic in monasterio suæ factionis, libellum contra Lutherum de votis parturivit: sui palam in vulgus sparserunt famam, Spiritum Sanctum sedulo huic tam docto & sancto patri in capite sedere, interea dum contra Lutherum machinetur. Nos autem perinde ac fabulam anilem hæc verba risimus: monachosque adeo perosi, ut nisi ex Söflinga panem & victum mendicarent, fame perirent. Ille sanctus libellus jam in nundinis Frankfordianis vendetur, qui utinam faciem attingat, & suos luat colores. Est hodie apud nos Brassicanus, perendie Ingolstadium petiturus, ubi Græcas profitebitur literas. Ostendit mihi hodie epistolam Erasmi, in qua conqueritur de fama super Philippo, quod ille nescio quid dentatis libellis moliatur: multum deprecatur Philippi odia. Velim mi Joannes, si aliquando Philippum a bello Erasmico dehortari possis, ne differas: redibit olim cum fœnore Erasmus,

& pri-

& pristini amoris memor totus in Lutheri, imo Christi partem palam manibus pedibusque ibit. Magister Franciscus amicus noster mutuus stat Christo: in cœnobio Blauburensi & item Elchingensi pullulat Evangelium. Saluta meo nomine Lutherum & Melanchthonem facietenus ignotos, lucubrationibus tamen suis mihi familiarissimos. Ostende aliquando Luthero, si licet, hæc duo disticha, a me olim, cum esset Wormatiæ, edita *(k)*:

1.

Sceptrum, Bulla, Scholæ, Regis, Papæ, monachorum,
Hæc tria Luthero nil nocuisse queunt.

2.

Lutherus vincet justo sub judice solus
Pontificem & Bardos, sceptrigeramque manum.

Tu vale ex Ulma, 3. Non Sept. Anno a manifestato Heliæ spiritu quarto.

(k) Ultima verba prioris distichi melius alias sic sunt expressa: nil sociata nocent. Franciscus Lambertus Avenionensis duo hæc epigrammata, elegantia & acumine haud destituta, cum aliis subjunxit Commentariis in Minoritarum regulam, A. 1523. in 8. vulgatis, nomine τραχυρ priori apposito. Literis heic retro lectis habebis Rycharti nomen, quia seipso alicubi quoque in epigrammatibus, manuscripto epistolarum volumini insertis, Trachyr vocatur.

F.

Evangelii assertores Ulmenses salutem & Christianam charitatem dicunt Domino Petro (l) scholasticæ theologiæ præconi ad monasterium Prædicatorum.

QUum die Lunæ nuper ad populum ex suggesto verbum tuum seminares, inter cætera omnes hic Evangelii assertores nasutos & se-

(l) Fuit hic Petrus Nestler, furibundus purioris religionis adversarius, qui Henrico præsertim Kettenbachio, strenuo veritatis evangelicæ testi, se opposuit, Ulma tandem ejectus. Conferri de eo potest Vir plurimum venerandus, Jo. Casp. Funccius, V. D. Minister & Mathematum Professor, de Ecclesia & Gymnasio Ulmensi præclare merens, in historia Reformationis in compendium redacta Cap. XI. §. 4. p. 691. seqq. Alius etiam ex eodem ordine Prædicatorio Monachi, qui Ulmæ Evangelicam lucem paulatim exorientem restinguere annisus est, conatu tamen frustraneo, mentionem instituit Henr. Cornelius Agrippa Epistol. Lib. VII. p. 365. edit. Lugdun. 1600. cujus verba adscribi merentur: Qui nunc apud vos (Colonienses) est Hostrati in hæreticorum magistratu successor, magister noster Conradus (p. 378. Conradum Cullon eum vocat) non multo infelicius, ut accepi, & ipse rem Lutheranam promovit, præsertim apud suos Ulmenses, ubi tam docte, tam pie contra Lutheranos clamasse dicitur, ut totam illam insignem urbem cum admodum amplo adjacenti territorio effecerit Lutheranam, etiam cum universi conventus sui excidio, fratribus suis omnibus una secum propulsis. Nonne

& ſeductores cognominans, hoc ænigmate quaſi triumphator quidem compellabas: Ubinam ex evangelii placitis adſtruere valeamus nos naſones, fidei noſtræ chriſtianæ ſcopum illos duodecim apoſtolicos ſymboli articulos ex ore duodecim Chriſti nunciorum prodiiſſe: id quod nunquam monſtratu poſſibile rebaris. Nos victos & quaſi protervos hoc uno ſcommate tecum cachinnabas. O hominem ſterilis ingenii! Non ſecus tuum illud apud nos ænigma ponderat, ac ſi quæſiiſſes, ubi bipedem hominem omnibus etiam cernuum ex evangelio probaremus. Præ mirabilibus ſupra te, quibus miſere oberras, non animadvertis, manifeſte veris non opus eſſe interprete.

Quam inſulſe itaque urgebas, non omnem in evangeliis eſſe veritatem occupatam, quin multa credenda ab eccleſia audire nos oporteat: quæ forſitan etiam buccellicus aliquis olitor dixiſſe poterit. An eccleſiam opus eſt audire laterem lavando, omne oleum perdendo. An ignem eſſe calidum ex evangelio opus eſt probare: injice manum, & periculo tuo caliditatem experire &c.

Nonne ſatius eſſet huic monacho ſui conventus curam gerere ſuis fratribus ova & caſeos præmendicare, non excitare turbas & querelas, labefactare famam bonorum virorum, agere ardelionem alienorum negotiorum?

G.

Wolfgangus Rychardus Doctor Magistro Martino Edelhuser in Constantia in monasterio Zofingen S. P. D.

PErterre fecisti me majorem in modum tuis jam ultimis literis, ex quibus liquido intellexi, te omne factum tuum & pariter spem reposuisse in palinodiam, quam tu sponte tua non coactus videris adornare. Facis tu Martine irrecuperabilem famæ & nomini tuo injuriam atque contumeliam. Exploravi a nonnullis, quidnam sentiant de his tuis cœptis: non invenio, qui non aperto ore fateatur, se velle, te nunquam vixisse. Non ausus sum ego animum meum tibi describere. Vaticinor tamen, te intentare revocationem, quam tu nunquam ex hominum memoria abolebis. Quæ, inquam, causa tuæ tam immaturæ revocationis? Quis cogit, nisi forsan avaritia? metuis vel cuti vel pecuniis. Qualis posthac habendus eris inter mortales, si veritatem & Christum ipsum abnegaveris deliberatissimo etiam animo? Nolo jam amplius loqui, quoniam nuncius non quadrat, nimiumque serus ad te scribere videor. Piget me pie-

tatis

tatis Comitis, cujus ope tu mea persuasione frueris. Sed spero, postquam tuum tam antichristianum animum acceperit, te non secus ac diabolum explodet. Quam misere, heus Deus! nos tractamur, qui unquam parti tuæ favebamus! Resipisce, si potes: Ex Ulma idibus Julii A. 1522.

XII.

De vetusta quadam editione Lactantii.

Ἐπιμέτρου loco breviter jam recensebo antiquam operum Lactantii editionem, de cujus raritate vel exinde judicium fieri potest, quod nullam ejus mentionem fecerint Viri præstantissimi, J. A. Fabricius (*a*), J. G. Walchius, (*b*), J. Lud. Bünemannus (*c*) & Mich. Maittaire (*d*). Prodiit ea in folio A. 1471. Venetiis, quod, licet urbis nomen expressum haud sit, facile ex his versibus in calce adjectis cognosci potest:

Arguit hic hominum sectas Lactantius omnes
Septeno falsus codice, vera docens.
Sive Deum tanget, turbato lumine cernens
Ira furor: gemino pernotat inde libro.

Et

(*a*) In Biblioth. Lat. Vol. I. p. 730. & Vol. III. p. 394. ubi more suo diligentissime Lactantianas editiones cæteras enarrat.

(*b*) In Diatribe de Lactantio ejusque stilo editioni Lipsiensi 1715. præmissa, Cap. VI. p. 43.

(*c*) In speciminibus Lanctantii ex LX. amplius MSS. & editionibus illustrati, quæ inserta sunt Miscellan. Lips. Tom. III. p. 115. sqq.

(*d*) In Annalibus Typographicis.

Et volucrum versu phœnix comprenditur una,
Quæ nostro nunquam pascitur alma solo.
Hincque Redemtoris nostri non carmina desunt,
Quæ positum e tumulo dulce canendo vocant.
Presserat hunc primo mundi caput inclyta Roma,
Post regina premit quippe colenda maris.

Hos versus in fine suæ editionis, A. 1472. curatæ, repetiit Vindelinus Spirensis, addito hoc disticho:

Impressum formis justoque nitore coruscans
Hoc Vindelinus condidit artis opus (*e*).

Nostra hæc editio, quam Bibliotheca publica Memmingensis possidet, typographi indicio destituta est, nisi forte is nomine Adam, quod post Anni M. CCCC. LXXI. numerum legitur, significetur. Artem vero excusoriam eo anno exercuit Adam Rot, Clericus Metensis Diœceseos, & luci publicæ dedit Lecturam Dominici de Sancto Gemino

(*e*) cf. Maittaire l. c. P. I. p. 95. & Fabricius l. c. Vol. III. p. 396.

ſuper ſecunda parte Decretalium (*f*), loco non indicato: anno autem 1474. Romæ Petri de Ankarano Conſilia juridica impreſſit (*g*). Eodem fere tempore inter typographos innotuit Adamus de Ambergau, qui A. 1472. ſine loci mentione Ciceronis orationes excudit, his verſibus ad libri calcem poſitis?

Hoc ingens Ciceronis opus cauſasque forenſes,
Quas inter patres dixit & in populo,
Tu quicunque leges: Ambergau natus ahenis
Impreſſit formis ecce Magiſter Adam (*h*).

Quisquis vero tandem noſtram adornaverit editionem, eum ſua dignum laude eſſe cenſeo. Charactere uſus eſt Romano, nec ineleganti; ἀποσπασμάτια, ex Græcis autoribus a Lactantio allegata, ſuis jam expreſſit literis, præter illius ævi morem ſatis legibilibus. Bonæ notæ codices eum fuiſſe ſecutum, vel hinc colligo, quod iſtam plerumque lectionem exhibeat, quam Vir πολυμαθέστατος, mihique faventiſſimus C. A. Heumannus in editione Florentina A. 1513. ſumtibus

(*f*) Vid. Maittaire l. c. p. 93. (*g*) l. c. p. 105.
(*h*) l. c. p. 97.

bus Philippi de Giunta curata (*i*), & Clarissimus Bünemannus in codicibus manu exaratis & editionibus optimis suo probarunt calculo, quod ex sedula locorum collatione animadverti. Quin & conjecturas, quas Heumannus κϱιτικώτατος sola ingenii perspicacissimi facilitate ductus sine MSStorum editionumve auxilio (*k*) protulit, pollicem premit. Nimirum Institut. Divin. Lib. I. Cap. III. n. 21. (*l*) cum eo legit: Ita eos (Deos ethnicorum) præesse singulis rebus ac partibus dicunt, ut tamen unus sit rector eximius. Sic ejusdem correctioni favet Lib. II. C. I. n. 5. ita legendo: Homines autem ipsos ad tantam cœcitatem esse deductos, ut vero ac vivo Deo mortuos anteferant, terrenos autem in terraque sepultos ei, qui fundator ipsius terræ fuit. Perperam tamen *το* autem posteriore loco exhibet, quod jure rejecit vir laudatissimus (*m*). Cæterum post libro-

(*i*) In Symbola Critica ad Lactantium, ejus symposio sive epigrammatibus ænigmaticis adjecta p. 231. sqq.

(*k*) l. c. p. 244.

(*l*) In nostra tamen editione ad Caput IV. pertinent ea verba, cujus hoc est initium: Quod si quis profecto dicat: ne ipsam quidem, quæ una est, habere videatur &c. Alias etiam haud raro in capitum distinctione nostra differt ab editione Celeberrimi Walchii.

(*m*) l. c. p. 249.

librorum & capitum argumenta in hac editione præmissi sunt Lactantii errores per fratrem Antonium Raudensem theologum collecti & reprehensi, quos excipit hoc fratris Adami Genuensis carmen:


Hic male corripuit stolidis Antonius ausis
Auctorem: in variis causa pianda locis.
Non erat in tenebris errantis imaginis astrum
Dicere, vel nitidum luce carere jubar.
Denique cum sanctæ ecclesiæ pia lumina constet
Obsequio ex tanto conticuisse viro.
Tu vero eloquio lingua interdicta Latino
I cubitum: nam te pensitat elleborum.

De Antonio illo Raudensi, qui circa medium fere seculi XV. floruit, hæc habet Jac. Philippus Bergomas (*n*): Antonius Raudensis, natione Mediolanensis, ordinis minorum professus, clarissimus Theologus, & omni-

(*n*) In Supplem. Chronic. f. m. 280. Hoc opus, quod obiter annoto, suis non caret nugis fabulisque, nec a comto sermonis genere commendari meretur: attamen vel eo nomine mihi gratum est atque acceptum, quod virorum eruditorum notitiam haud contemnendam interdum suppeditet, quam sæpe frustra alibi quæsiveris.

omnibus disciplinis non mediocriter eruditus, in Cisalpina Gallia floruit: qui ut in omnibus se doctum ostenderet, singulorum quorumcunque tam oratorum paganorum, quam theologorum opera explanare præsumsit, & quam maxime Lactantium Firmianum virum doctissimum emendare tentavit, quod melius & dignitati & religioni suæ fuisset, ab illiusmodi scribendi genere se continuisset, quam contra tantum virum, doctissimum & præ omnibus disertissimum invehere. Eam ob rem & quasdam invectivas in se provocavit. In margine vero hæc verba sunt apposita: Vide præsumtuosum hominem! Epistolam Francisci Philelphi, qua Raudensem ob censuram in Lactantium latam castigavit, Fabricius (o) exhibet.

(o) Bibl. Lat. Vol. III. p. 395.



ERRATA
extantiora sic emendanda sunt:

Pag. 19. lin. 6. Synesii. p. 22. l. 11. Angelam. p. 23. l. 10. parentem. p. 31. l. 5. traditus. p. 36. l. 19. Hesiodi. p. 40. l. 13. cupio. p. 43. l. 18. quem. l. 22. portendi. p. 45. l. 21. Divitium. p. 49. l. 19. post verbum *commendare* adde *superfluum arbitramur*. p. 50. l. 11. gradum. p. 51. l. 5. quanta cura. l. 9. Bassus. p. 55. l. 21. Triumvir. p. 57. l. 5. barbariæ. p. 68. l. 24. post *alteram* adjice *de raptu*. p. 72. l. 24. fulgeat. p. 76. l. 24. eam p. 89. l. 12. nimiæ. p. 101. l. 26. uberrime. p. 103. l. 27. explicatam. p. 113. l. 19. moralitate. p. 139. l. 15. augmentum. p. 144. l. 2. mas. p. 145. l. 15. illud. p. 161. l. 23. 1486. p. 241. l. 11. hac. p. 246. l. 4. Tune. p. 267. l. 1. Poteris.

AMOENITATES LITERARIÆ,

Quibus

VARIÆ OBSERVATIONES,

Scripta item quædam anecdota & rariora Opuſcula exhibentur.

Tomus Secundus.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Apud DANIEL. BARTHOLOMÆI
MDCCXXV.

I.
DISSERTATIO
DE
LIBRIS RARIORIBUS, ET VARIIS RARITATIS EORUM CAUSIS.

FAntis animus eorum, qui Musarum in castris strenue militant, in cognoscendis, volutandis perlustrandisque, addo & possidendis libris, vividis illis præstantium ingeniorum monumentis, perfunditur deliciis, quantæ solent esse, cum sunt maximæ. Mellita dulcedine, quæ largiter inde fluit, semel vel primoribus labris degustata, crescit sapidissimi illius cibi cupiditas: & optatæ hæ dapes suaviaque bellaria ipso usu suo magis accendunt desiderium:

rium: nec unquam facile conquisita isthæc fercula nauseam excitant. Vix fame lautis hisce epulis sedata jucundus ille sapor mentem inescans novum ciet edendi ardorem, sitimque nectareis his fontibus paulullum placatam major excipit generosi illius laticis appetitio. Audiamus hac de re Franciscum Petrarcham, reflorescentis olim apud Italos eloquentiæ Erasmi judicio principem (*a*): *Una inexplebilis cupiditas me tenet, quam frenare hactenus nec potui, certe nec volui. Mihi enim interblandior, honestarum rerum non inhonestam esse cupidinem. Expectas audire morbi genus: libris satiari nequeo, & habeo plures forte, quam oportet. Sed sicut in cæteris rebus, sic in libris accidit: quærendi successus avaritiæ calcar est, quin imo singulare quiddam in libris est. Aurum, argentum, gemmæ, purpurea vestis, marmorea domus, cultus ager, picta tabulæ, phaleratus sonipes, cæteraque id genus, mutam habent & superficiariam voluptatem: libri medullitus delectant, colloquuntur, consulunt, & vivâ quadam nobis atque arguta familiaritate junguntur. Neque solum sese lectoribus quisque suis insinuat, sed & aliorum nomen*

(*a*) Epistol. de rebus Familiar. Lib. III. Epist. XVIII. p. 107. edit. Lugdun. 1601. in 8.

nomen ingerit, & alter alterius desiderium facit. —— Nemo mirabitur, vehementer his animos inflammari atque configi, quorum singuli suas scintillas suosque aculeos palam habent, aliosque clanculum in sinu gestant, quos sibi invicem subministrant. In immensa vero ista librorum, quibus literatus orbis nunc abundat, copia nec omnes appetere consultum foret, nec Midæ etiam opibus Arabumque gazis in unum illi locum colligi possent. Eorum plures nosse saltim expedit; quanquam neque plurimorum, ne dicam omnium, consummatam notitiam imbecillitas nostra capiat. Facilius forsan mare exhaurires, quam vastum hoc pelagus, vel arenam metireris prius, quam inexputabilem librorum numerum inires. Selectorum quorundam notitia contentos nos esse decet.—In hac ergo suppeditanda &c, quantum fieri potuit, augenda exercuerunt se hactenus eruditorum ingenia. Semper autem post largam etiam aliorum messem spicilegio locus erit. Rariorum præsertim librorum cognitio non tam multum voluptatis secum fert, quam amplissimum utilitatis fructum præbet: quod cum sole meridiano clarius esse judicem, nec testibus nec argumentis evincendum arbitror.

trot. Hanc causam jam feliciter perorarunt alii. Omnibus itaque votis optandum foret, ut Viri magna lectione, mascula eruditione, & subacto judicio pollentes, quorum usibus illustres thesauri librarii patent, rariorum librorum Bibliothecam conderent, inque rei literariæ incrementum luci exponerent publicæ. Prostant equidem jam hoc de argumento doctorum virorum labores (*b*), laude sua dignissimi: sed iis duntaxat saliva nobis mota est, desideriumque nostrum ardentius redditum. Historiam literariam arcanam, cujus spem nobis fecit Vener. Jac. Frid. Reimmannus, in hac palæstra exercitatissimus, avide adhuc eruditus orbis expectat. Publice hic a nobis exorandus est Vir Præstan-

(*b*) Jac. Frid. Reimmanni Observationes de Libris raris Observ. Halens. T. X. Ejusd. Historia literario-genealogica, in ea enim curate enarrat rariores libros genealogicos Groschussii Conlectio Librorum rariorum. Heumannus quoque hoc argumentum tractavit in Conspectu Reip. Literariæ p. 97. Autor der Vergnügung müssiger Stunden. P. XV. p. 185. & præsertim J. C. Wendlerus in pereleganti Diss. de Variis raritatis librorum causis: Præterea Morhofius, Struvius, aliique passim. Commendandus etiam est eam ob causam Catalogus Historicorum Fresnojo-Menkenianus &c. Cæterum Clarissimum Wendlerum præeuntem me præcipue sequi profiteor.

ſtantiſſimus, ut hanc, quam cœpit, telam aliquando pertexat, & opere hoc deſideratiſſimo Rempublicam literariam beet. Liceat interim mihi ex tenui meæ paupertatis penu divitiis heic ab aliis congeſtis obolum adjicere. Specimen ſaltim exhibeo, ſenſim ſenſimque adaugendum. Animus enim eſt, ſequentibus meæ opellæ partibus nonnunquam inſerere rariorum librorum catalogos, quales ut etiam tu, benevole lector, mecum, ſi placet, amice communices, rogo & obſecro. Me vero non monente facile vides, eſſe inter libros raros, quibus orbis absque detrimento carere queat, nec omnium idem ſtatuendum eſſe pretium. Sua radiat luce Platonis in Euthydemo effatum: *Το σπάνιον, ὠ ἐυθυδημε, τιμιον, το δε ὑδωρ ἐυωνόἴον, ἀριςον ὀν, ὠς ἐφη πινδαρος. Quod rarum eſt, Euthydeme, idem etiam magni ſit; at aqua, tametſi res ſit longe optima, quod Pindarus ait, nihil vilius.* Nec prorſus Celeberrimi Jo. Clerici judicium rejicio, ita ſcribentis (c): *Rariſſimi quique libri ſunt minime omnium, ſi rem probe penſites, utiles; quod vel ex ipſa eorum raritate intelligere eſt: neque enim aut*

(c) In præf. ad Artem Criticam edit. Amſtelod. 1712.

nunquam, aut tam raro eſſent excuſi, ſi quis fructus ſingularis ex iis capi poſſet. Cum autem ii ſint noſtri ſeculi mores, ut valde care æſtimentur merces iſtiusmodi literariæ, rarius obviæ, licet interdum haud ulla præſtantia ſed ſola raritate ſe commendent, earum notitia pro noſtri ævi genio quandoque nobis lucroſa eſſe poteſt. Sunt tamen & inter libros rariores non pauci, utiles & edecumata eruditione referti, quibus vel hominum incuria, vel fata aliæque rationes lucem invident. Nunc ad rem.

I.

Libri ſub ipſis Typographiæ primordiis excuſi.

RAriſſimi omnium ſunt libri, immo vel ipſis pretioſiſſimis manuſcriptis rariores, in quibus prima tyrocinii ſui rudimenta poſuerunt artis typographicæ inventores. Adeo pauci illorum ſuperſunt, ut haud difficulter numero eos definire queas. Quotquot mihi cogniti erant, in mei opuſculi parte prima pag. 2. ſq. jam enarravi. Joſephus Scaliger aliorum præterea mentionem

nem facit (*d*), cujus verba in medium hic producam: *Omnium vetustissimum, cujus tamen nomen reticetur, Venetiis excusum profert Rabbi Joseph Sacerdos in Chronico suo, an. Judaico 5188. Christiano MCCCCXXVIII. quod nemo hactenus animadvertit: certe nemo indicavit. Unde ille Judaeus colligit artem imprimendi ab eo libro incepisse. — Non ex discretis & singularibus typis inter se junctis, ut hodie fit, cœptum est imprimi, sed in pagellis ligneis, quibus literæ incisæ erant: qui modus primus excudendi in nostra Hollandia Harlemii inventus fuit, ubi etiam hodie ædes ostenduntur, in quibus inventor artis eam primo periclitatus est. Harum pagellarum meminerat Accursius Mariangelus in Donato suo in membranis excuso, qui liber postea in potestatem venit Aldi Manutii junioris. Verba Mariangeli post alia: Impressus autem est hic Donatus & Confessionalia primum omnium A. 1450. Admonitus certe fuit ex Donato Hollandiæ primum impresso in Tabula incisa. Rudimenta igitur artis typographicæ ab editione Donati inceperunt in Hollandia; non ex typis, sed ex tabula incisa.* Verum aut omnia me fallunt, aut Judæus

X 5 dæus

(*d*) In Confutat. Fabulæ Burdon, p. 243. ed. Lugd. Bat. 1608.

dæus ille putidissimo mendacio orbi imponere voluit. Donati autem istius an & ubinam locorum hodie asservetur exemplum, me quidem fugit. Perierunt pleraque ejus generis opuscula: absumsit ea rerum edax tempus, truces devorarunt blattæ, furtim admotis dentibus arrosere mures, invidiosa corrupit caries, puerulis plorantibus ob illas ruditer tornatas, quibus superbiebant, figuras discerpenda concesserunt nutrices male sedulæ: imo nec ipsa rabida canum vis illis pepercit. Irascor crudeli isti molosso, qui hujusmodi cimelium, a Julio Cæsare Scaligero olim possessum, atroci laceravit dente, quotiescunque lego hæc Scaligeri filii verba (e): *Nos Berenicæ Ludroniæ horas matutinas vidimus, primum opus quod typographia nascente prodiit. Ea in membranis, non singulis literis junctis, ut fit hodie, excusa, sed in singulis paginis buxeis, iisdem ductibus & connexionibus, quibus properantes solemus scribere, exsculptæ fuerant, ita ut qui propius aciem oculorum non admovisset, vix, excusane an scriptæ essent literæ, dignosceret. Omnino esse manum hominis Germani putares.*

Eas

(e) In Epist. CCLXXIII. p. 525. edit. Francof. 1628.

Eas horas matutinas plurimi faciebat pater meus, tum propter matrem, tum etiam quod ille primus typographiæ fœtus esset. Operculum earum ligneum serico velatum erat, umbilicis & cornibus argenteis deauratis instructum — Admodum pueri, antequam canis leporaria librum discerpsisset, eum vidimus. Aliquo abhinc tempore in illustri quadam Bibliotheca oculis mihi usurpare, imo & cum cura perlustrare licuit istiusmodi opus typographiæ vix enatæ, ac in cunis adhuc vagientis tempore impressum, vel potius tabulis ligneis insculptum, cujus curatiorem notitiam posthac tecum communem facere in animum induxi, cum nemo, quod sciam, ejus adhuc meminerit.

2.

Libri paulo post typographiam inventam impressi.

PRoximum a primis illis artis typographicæ experimentis locum merito suo occupant libri, vel ab ipsis divinæ artis inventoribus, vel ab aliis non diu post ejus originem seculo XV. vulgati. Rarissimi præcipue sunt codices, a Fusto & Schoeffero, illoque fatis functo ab hoc solo excusi. Quo-

Quotusquisque vidit Biblia Latina ab ipsis Moguntiæ A. 1462. in fol. edita? de quorum raritate vel inde judicium fieri potest, quod in nundinis Francofurtensibus autumnalibus anni præterlapsi a Bibliopola quodam centum duplionum pretio emta sint, ut ex fide dignis didici. Editiones Conradi Sweynheim & Arnoldi Pannarz, Ulrici Galli alias Han, Nicolai Jenson, Joannis & Vindelini de Spira, Joannis & Guntheri Zeiner, Joannis Kœlhof, Antonii Miscomini, Antonii Koburgeri aliorumque ut maximi æstimantur, dignas esse, ipse earum usus me edocuit. Nemo, nisi in re literaria prorsus hospes, primas autorum, quos classicos appellare solent, & scriptorum ecclesiasticorum editiones codicibus manu exaratis, e quibus haustæ sunt, æquiparari ignorat. Lactantii Institutiones Sublaci A. 1465. Augustinus de Civitate Dei A. 1467. Hieronymi Epistolæ Romæ A. 1468. Plinii Naturalis Historia Venetiis A. 1469. Apulejus Romæ A. 1469. Cæsaris Commentarii Romæ A. 1469. Aulus Gellius ibid. eod. Lucanus ibid. eod. Titus Livius & Taciti Annales ibid. ac eodem, ut videtur, anno, Leonis M. Opera ibid. A. 1470. Sallustius Venet. A. 1470.

A. 1740. Justinus ibid. eod. Suetonius Romæ A. 1470. Virgilius Venet. A. 1470. Terentius Mediolani A. 1470. Prisciani opera. A. 1470. loco haud annotato, Quintiliani Institutiones Romæ A. ut videtur, 1470. Cypriani Epistolæ Romæ A. 1471. Plinii Epistolæ A. 1471. Valerius Maximus Moguntiæ A. 1471. Ovidius Romæ A. 1471. Silius Italicus ibid. eod. Cornelius Nepos Venetiis A. 1471. Pomponius Mela Mediol. A. 1471. Nonius Marcellus A. 1471. Plautus Venet. A. 1472. Ausonius ibid. eod. Prudentius Daventriæ A. 1472. Macrobius Venet. A. 1472. Authores rei rusticæ ibid. eod. Isidori Etymologiæ Augustæ Vindel. A. 1472. Solinus Venet. A. 1473. Catullus Parmæ A. 1473. Statius ibid. eod. Ammianus Marcellinus Romæ A. 1474. Propertius A. 1474. Manilius eod. Valerius Flaccus Bononiæ A. 1474. Varro de Ling. Lat. & Analog. Venetiis A. 1474. Bernardi Sermones Moguntiæ A. 1475. Senecæ Philosophi Opera Neapoli A. 1475. Juvenalis & Persius Lovanii A. 1475. Homeri Opera Græce Florentiæ A. 1488. Ambrosii Opera Mediol. A. 1490. Anthologia Græcorum Epigrammatum Florentiæ A. 1494.

1494. &c. excusa quam raro, sodes, offenduntur, quantoque habentur in pretio? Ex ipsis vetustissimis manuscriptis petitæ fuere hæ editiones, pauciora plerumque, quam nunc fieri solet, exempla impressa, correctores adhibiti eruditissimi, quales fuere Joannes Andreæ, Episcopus Aleriensis, Jo. Antonius Campanus, Omnibonus Leonicenus Jo. Lascaris, Demetrius Chalcondylas, alii. *Eo tempore*, ut verba Doctissimi Jo. Conr. Zeltneri, (*f*) τὰ νῦν ἐν ἁγίοις, mea faciam, *libri imprimendi ad fidem manuscriptorum vetustissimorum restituendi erant, qui vero labor criticus non bardum & impolitum hominem, sed doctissimos quosque requirebat viros. Fidem his dictis facturus, accipiat vel unicam plagulam Seculo XII. & seqq. Latino vel Græco idiomate scriptam, & pessime ob abbreviaturas, quibus monachi compendii gratia nimium quantum indulserant, pictam, investigaturus Scriptoris sensum genuinum, & experietur, quam sit sudandum; millies abjecturum eum schedam, credo, prius quam unica pagina sensum habebit verum.* Condonanda igitur merito sunt ipsis sphalmata, quorum haud pauca iis in edi-

(*f*) In Correctorum Eruditorum Centuria p. 79.

editionibus occurrunt omni licet adhibita industria, cum tam proclivis sit rebus sic habentibus lapsus, oculique vel perspicacissimorum virorum facile fallantur. In ipsis tamen sæpenumeró erroribus acuti lectores vestigia deprehendunt veræ lectionis. Perplacet mihi hac de re judicium maximæ eruditionis Viri C. H. Heumanni (g): *Falluntur, qui sibi persuadent, primis exorta typographiæ temporibus libros exscriptos fuisse accuratissime, cum inspectio eorum doceat contrarium. —— Nihilominus magno esse possunt usui illæ editiones, cum eruditus lectoris oculus facile discernat sphalmata operarum a vestigiis incorruptæ lectionis, proxime e codicibus manuscriptis haustæ.* Sunt vero præterea illæ Sec. XV. editiones, præsertim quæ charactere Romano excusæ fuerunt, haud raro adeo elegantes & nitidæ, ut mirandum oppido sit, tam brevi tempore artem typographicam ad summum perfectionis fastigium adscendisse. Speciminis gratia tres jam nominabo, in Inclytæ Reipublicæ patriæ Bibliotheca, quæ librorum ante Annum 1500. vulgatorum haud contemnendam possidet copiam (h) la-

(g) In Conspectu Reip. lit. p. 91.
(h) Vid. Miscellan. Lipsiens. Tom. XII. p. 66. sqq.

latentes, quibus nihil unquam vidi pulchrius & splendidius, sive chartæ nitorem, sive typorum elegantiam, sive alia ornamenta consideres. Certe adeo grata illæ oculis præbent spectacula, ut adspectu vix satiari queas. Salva veritate affirmare ausim, palmam eas dubiam facere splendidissimis nostri ævi editionibus. Sunt vero istæ: Quintiliani Institutiones per Nicolaum Jenson Venetiis A. 1471. Plotini Opera ex translatione Marsilii Ficini per Antonium Miscominum Florentiæ A. 1492. (*i*) & Recuperationes Fesulanæ sive Opuscula & Epistolæ Matthæi Bossi Veronensis Bononiæ per Platonem de Benedictis A. 1493. omnes tres in folio excusæ. Editionem autem Homeri, quæ Florentiæ A. 1488. labore & industria Demetrii Cretensis sumptibus Bernardi & Nerii Tanaidis Nerilii Florentinorum in fol. prodiit, his Michael Maittaire dilaudat verbis: *Operoso hoc & præstantissimo Homeri inter omnes poëtas principis volumine duobus tomis comprehenso orbem eruditum anno* 1488. *donavit Florentia, quæ dum aliæ urbes in limine & initiis tantum, conatibus adhuc immaturis,*

(*i*) Conf. Part. I. p. 97.

ris, subsisterent, primo & uno sed ingenti graviqne molimine ad ipsum culmen voluit pervenire, vetuitque quicquam relinqui, quo superari posset. Editione illa, si charta solidæ colorem & pompam, si nitidam characterum figuram, æquata marginum intervalla, justam linearum distantiam, totum denique impressionis ordinem & dispositionem spectes, nil certe aut antea aut postea elegantius comparuit (k). Cæterum de libris Seculo XV. divulgatis adeundi sunt omnino Viri præstantissimi Peregrinus Antonius Orlandus (*l*) & laudatus Maittaire, cujus non possum quin heic etiam adscribam de nimio, quo ejus ævi editionibus Angli cumprimis inhiant, ardore judicium (*m*): *Ex quo antiquariæ illæ editionum merces requiri ubique, & Sosiis merere æra cœperunt, tanta transit mare huc ad nos advectæ earum seges, adeo nullus vel intimus non penetratur angulus, nulla non perreptantur tabernæ, plateæ, gymnasia, latebræ, tot in lucem protrahuntur hactenus incognita volumina,*

 ple-

(*k*) In Annal. Typograph. T. I. p. 183.

(*l*) In libro: Origine e Progressi della Stampa o sia dell'arte impressoria, e notizie dell'opere Stampate &c. edit. Bononiæ A. 1722. in 4. de quo vide Acta Erud. An. M DCC XXIV. p. 102. sqq.

(*m*) l. c. T. II. Præfat. p. 6.

pleraque vermiculorum dentes passa, cariosa, interlinearibus glossis obliterata, sola vetustate spectabilia; tot, inquam, quotidie confluunt, ut, absque pretio esset, (quod, cum & ratione & fide majus nec modum nec fines certos norit, emptores nonnisi marsupiis bene nummatis onustos admittit) metuendi foret causa, ne rursus evilescerent, & ad antiquum pretium recidentes ad pauperiorum etiam scholasticorum forulos pervenirent. Non autem id ago, ut antiquitatem impotens oblatrem, meque opinioni receptæ, magistelli instar ineptientis, opponam, ac honorem vetustatis autoritati debitum elevem. Contendo nihilominus, his ut & aliis rebus pretii plus nimio statui posse; ideoque id intra quosdam limites esse coercendum, nec arbitrio quorundam, qui nil aliud quam lucrum spectant, Bibliopolarum permittendum.

3.

Libri a celebrioribus Seculi XVI. Typographis exscripti.

MAgni habentur ab æquis rerum æstimatoribus, ac avide conquiruntur editiones autorum veterum, præstantiorum seculi XVI. typographorum studio curatæ, qui non tam proprio emolumento, quam potius publicæ utilitati operam navarunt. Decantata

tata sunt ob exquisita in rem literariam merita. Manutiorum, Aldi præsertim senioris, Bombergii, Juntarum, Roberti & Henrici Stephanorum, Plantini, Sebastiani & Antonii Gryphiorum, Vascosani, Jo. Frobenii, aliorumque nomina. Aldum ejusque editiones Erasmus. Roter. haud abs re hoc elogio mactat: *Nunc in Aldum Manutium Romanum, ceu tertium hæredem, devenit* (Delphini scilicet symbolum, quo ejus libri insigniti sunt.)

Haud equidem sine mente reor sine numine Divum. Nam hujus eadem, quæ quondam Tito Vespasiano placuerunt, celebrantur insignia, non notissima modo, verum etiam gratissima, quibuscunque ubivis terrarum bonæ literæ vel notæ sunt vel caræ. Neque vero symbolum hoc tum illustrius fuisse crediderimus, cum, inscalptum imperatorio numismati, negotiatorum manibus terendum circumferretur, quam nunc, cum ubique gentium, vel ultra Christiani imperii terminos, una cum omnigenis utriusque linguæ voluminibus propagatur, agnoscitur tenetur, celebratur ab omnibus, qui liberalium studiorum colunt sacra: præsertim iis, qui ad veram atque antiquam adspirant eruditionem: ad quam restituendam vir is quasi natus, & ab ipsis, ut ita dixerimus, fatis fa-

ctus ſcalptusque videtur : tam ardentibus votis unum hoc optat, tam infatigabili molitur ſtudio, usque adeo nullam refugit laborem, ut litteraria ſupellex & integra & ſincera puraque bonis ingeniis reſtituatur. —— Herculanum mehercule facinus, ac regio quodam animo dignum, rem tam divinam, quaſi funditus collapſam, orbi reſtituere, latentia pervestigare, eruere retruſa, revocare extincta, ſarcire mutila, emendare tot modis depravata, præcipue vulgarium iſtorum excuſorum vitio, quibus unius etiam aureoli lucellum antiquius eſt; quam vel univerſa res literaria. Et quæ ſunt aliæ laudes, quibus eum merito cumulat Eraſmus (*n*). De cæteris nihil jam dico, cum copia hic me faciat inopem, ac præter alios celeberr. Maittaire tam in Annalibus Typographicis, quam in ſingularibus de Stephanorum & quorundam typographorum Pariſienſium hiſtoria libris uberrime in his rebus deſiderio noſtro ſatisfacere queat. Generatim vero hoc unum adhuc moneo, cunctis viribus viros hos laudatiſſimos laboraſſe, ut quam emendatiſſima in lucem prodirent opera, quorum editiones moliti ſunt. Quandoque tamen contigit, ut & bonus

(*n*) In Adagiis p. 439. editionis Urſell. 1603. quæ ſub Pauli Manutii nomine prodiit.

bonus dormitaret Homerus. De Plutarchi editione Manutiana ita fatur Joach. Camerarius (o): *Recordor me audiisse ex magistro meo Ricardo Croco Britanno, qui quosdam libellos Plutarchi explicare nobis pueris solebat, editioni illi scriptorum Plutarchi in officina Manutiana præfectum Cretensem quendam Demetrium, qui videret, ut illa ab operis diligenter & accurate exprimerentur: Eum igitur audire memini Crocum narrantem, maxima cum negligentia atque incuria provinciam istam gessisse, hominem neque laboriosum & leviusculum. Ad id tum ut puer — non admodum animum revocavi, ut cogitarem quale esset, sed postea nimis verum esse cum indignatione legens scripta illa comperi: neque temere esse aut falso a Croco dictum, vel ex epistola, quam Demetrius iste præposuit libro edito, deprehendi: est enim illa mendose expressa. Quis autem suspicari possit secundum Epigramma Græcum*

Καιως κεχρημενον αὐδρα
Τοις ἰδιοις ἐιναι πιςον ἐν ἀλλοτριοις.

Contra ea mendis prorsus quoad maximam operis partem expertia sunt Biblia Polyglotta,

(o) Procem. in Plutarchi libellos de natura & effect. Dæmonum.

ta Antwerpiensia, A. 1569. sqq. a Plantino nitidissime excusa, si fidem habeas Ariæ Montano, qui in oratione ad summum Pontificem his verbis uti haud veritus est: *Quod ad operis integritatem attinet, ego Benedictus Arias Montanus —— offero Sanctitati vestræ Biblia ipsa (de Bibliis nunc loquor) a me à prima pagina ad ultimam usque diligenter Græce, Latine & Chaldaice perlecta, & cum exemplaribus fidelissime collata, tanta fide, ut non solum si verbum aliquod depravatum deprehendatur, sed si vel unus apex aut jota unum in illis merito desideretur, cæteris coadjutoribus meis exceptis & a culpa liberatis, ipse perpetuam ignorantiæ & negligentiæ notam subire velim, meque unum omni correctioni obnoxium exhibeam.* At hominem se esse, erroribusque, qui in tam vario & vasto opere nulla cura & industria prorsus evitari queunt, obnoxium, oblitus est optimus Arias. Multa enim esse, quæ virum diligentissimum effugerint, Waltonus in Apparatu Biblico p. 283. asserit: cui & ego pollicem premo, ipso operis illius Regii usu edoctus.

4. *Li-*

4.
Libri publica authoritate suppressi (†).

RAriora plerumque sunt Opera, quæ summorum imperantium cura & publica authoritate variis de causis suppressa, quantum quidem fieri potest, æternis mancipantur carceribus. Hoc fatum subiere *Joannis Quintini Comitis Jörger de Tollet & Zagging,* intimi Status Ministri Cæsarei, & primarii quondam Delegati ad pacem cum Turcis pangendam *Commentarii historici de rebus memorabilibus sui temporis*, octo voluminibus in forma octipertita excusi. Nonnisi unicum eorum exemplar superesse dicitur in Bibliotheca Augustissima Vindobonensi: cætera enim omnia ipse Comes jussu Imperatoris, qui tot arcana, in iis prodita, per orbem divulgari noluit, suppressit. (*p*) Perrara sunt *Christophori Besöldi Documenta rediviva Monasteriorum præcipuorum in Ducatu*

(†) Alios libros prohibitos & suspectos præter eos, quos Morhofius atque Struvius recensuere, exhibet Catalogus instructissimæ Bibliothecæ Menkenianæ p. 583.

(*p*) vid. Acta Erudit. Germanic. Vol. VI. p. 284.

Wirtembergico sitorum, quibus præmissa est summaria deductio libertatis, immedietatis aliorumque jurium illis Monasteriis competentium, juncta nonnullorum argumentorum resolutione succincta, Tubingæ 1636. in 4. impressa: nec non, quæ eodem anno ibidem prodierunt, *Virginum Sacrarum Monumenta in Principum Wirtembergicorum ergastulo literario justa annorum centuria injusta detenta captivitate* (q). Extraxit ea belli tricennalis tempore, quum A. 1634. a Cæsareanis e Ducatu suo Wirtembergico Eberhardus III. ejectus esset, ex tabulariis publicis Besoldus Apostata, ut nimirum sic Pontificiorum gratiam sibi aucuparetur, iisque Monasteriorum Wirtembergicorum immedietatem, uti vocant, aliaque jura demonstrasse sibi visus est: sed a Serenissimis Wirtembergiæ Ducibus sollicite conquisita sunt, quotquot haberi potuerunt, exempla: ipsi quoque Pontificii studiose & magno pretio isthæc opera coëmunt. Liber sequenti ornatus titulo suppressus & proscriptus olim fuit in Gallia, quia plurima Regis & regni secreta in eo propalata sunt: *Le Cabinet du Roy de France, dans*

(q) Hæc Besoldi Opera recensita sunt in Hamburgensi Bibliotheca Historica. Centur. VII. p. 109. sqq.

dans le quel il y a trois perles pretieuses d'inestimable valeur, par le moyen des-quelles sa Majesté s'en va le premier Monarque du monde & ses sujets du tout soulagez. Prodiit A. 1581. in 8.

Russorum Monarcha sedulo conquisivisse & suppressisse narratur *Diarium itineris in Moscoviam D. Ignatii Christophori de Guarient & Rall*, ab Augustissimo Imperatore Leopoldo in Russiam A. 1698. Ablegati extraordinarii, *descriptum a Jo. Georgio Korb*, Ablegationis Cæsareæ Secretario, & Viennæ in fol. editum, cui accessit reditus Tzareæ Majestatis a provinciis Europæis ad proprios limites, periculosæ rebellionis Streliziorum, & latæ in eosdem sententiæ cum subsecuta sanguinea executione, nec non præcipuarum Moscoviæ rerum compendiosa & accurata descriptio. Scilicet nimia libertate in enarrandis Russorum & ipsius etiam aulæ moribus aliisque rebus usus esse perhibetur Autor: hinc quoque Viennæ publicam hujus Diarii venditionem esse vetitam mihi relatum est (*r*).

(*r*) Conf. etiam Catalogum Historicorum Fresnojo-Menkenianum p. 464.

Rarissimus est liber Gabrielis Naudæi, licet duplici vice sit edibus, *Le Mascurat, ou Jugement de tout ce qui à eté imprimé contre le Cardinal Mazarin, depuis le 6. Janvier jusqu'au 1. Avril 1649. ou Dialogue de Sr. Ange & de Mascurat.* Paris. 1650. in 4. recusus dein Amstelodami. Forte suppressus est hic liber, & sollicite conquisitus ab iis, quorum intererat, ne res in eo tractatæ in apricum proferrentur. Servantur tamen ejus exempla inter cimelia Bibliothecæ Regiæ Danicæ (*s*), Ducalis Vinariensis (*t*) & Menkenianæ (*u*).

Perraro conspiciuntur *duo priores Tomi Theatri Britannici, à Gregorio Leti* Italico sermone Londini in 4. A. 1682. *editi:* septingenta enim eorum exempla a Carolo II. Rege Britanniæ suppressa sunt (*x*); sed integrum opus deinde Amstelodami quinque voluminibus in 12. A. 1684. prodiit.

Rog. Dodsworth & Gul. Dugdale Monasticum Anglicanum, Londini 1655. &c. in fol. excusum, rarius obvium esse, & magno pretio

(*s*) Vid. Placcii Theatr. Anon. p. 55.
(*t*) Vid. Vergnügung müssiger Stunden.
(*u*) Vid. Catalogum Biblioth. Menken.
(*x*) Hamburg. Biblioth. Histor. Cent. VI. p. 216.

tio propterea divendi, quod ab Anglis suppressum sit, testis est Illustris Menkenius (*y*).

De quibusdam Roberti Ferguson libellis Gerh. van Mastricht hæc tradit (*z*): *Robertus Ferguson capellanus comitis de Schafsburi in Anglia, ut ex rumore & ex novellis audivi, est auctor Apologiæ aut declarationis, quam emisit Dux de Monmouth, cum bellum moveret Regi Angliæ Jacobo II. Item dicitur composuisse inquisitionem & detectionem horribilis homicidii Comitis de Essex qui liber Anglice, Belgice & Gallice editus, & postea in Hollandia sub pœna* 200. *Imperialium prohibitus est.* Vincentius quoque Placcius (*a*) ejusdem Ferguson Epistolam ad D. Trenchard suppressam fuisse memorat.

Disputatio Apologetica pro potestate summi Pontificis, in qua clare, perspicue & evidenter ex Scripturis, SS. Patribus & conciliis, & XIII. efficacissimis rationibus *demonstratur, penes Pontificem esse potestatem Principes abdicandi*, istamque veritatem non solum esse conclusionem theologicam, quæ errori opponitur, sed de fide etiam expresse definitam,

(*y*) In Catalogo Historicorum Fresnoy. p. 454.
(*z*) In Placcii Theatr. Anon. p. 224.
(*a*) l. c. p. 527.

nitam, ita ut contraria opinio absque manifesta hæresi sustentari non possit, rarissima est, quia vel ab ipso Autore, vel publica authoritate suppressa latet (*b*).

Rarius obvia est *prima editio Christophori Broweri Antiquitatum & Annalium Trevirensium*, quæ prodiit A. 1626. Coloniæ: scilicet Philippus Christophorus, Elector & Archiepiscopus Trevirensis eam proscripsit, & supprimendam curavit (*c*).

Admodum raram esse nemo facile ignorat Jo. Mich. *Bruti Historiam Florentinam* Lugduni 1562. in 4. excusam, ex ea nimirum ratione, quod Duces Florentini, quotquot nancisci potuerunt, ejus exempla coëmi curaverint (*d*). Magna enim animi fiducia, quotiescunque offertur occasio, Autor eorum partes tuetur, qui, ut Reipublicæ libertatem sartam tectamque servarent, omnem moverunt lapidem, atque ita summo nisu Medicææ Prosapiæ moliminibus obstiterunt.

Rariores aliquando erunt Benedicti *Varchii Commentarii historici de Rebus Florentinis*, Co-

(*b*) l. c. p. 152.
(*c*) Hamburg. Biblioth. Hist. Cent. III. p. 247.
(*d*) l. c. Cent. VI. p. 88.

Coloniæ, vel potius Augustæ Vindelicorum 1721. in fol. editi: quadringenta namque eorum exemplaria Dux Parmæ & Placentiæ, cui quædam de priscis Farnesiis ibi memorata displicent, emit (*e*). Rariora quoque jam sunt exempla Historiæ Florentinæ Bernardi Segnii integra & incorrupta: quædam enim in iis immutata & resecta esse novi.

Horum igitur aliorumque ejus generis librorum raritatis causa derivanda est a summorum imperantium autoritate & cura, istiusmodi scripta oculis manibusque hominum, quantum pote, subducente, quod vel arcana status, religioso involvenda silentio, propalent, vel in Reges Principesque sint aut saltim videantur esse injuria & contumeliosa.

Sed proscribi etiam sæpe solent, atque hinc rarescere libri, qui sacrarum literarum autoritati & religioni pietative sunt adversi.

Hunc in censum referenda est *Concordia rationis & fidei*, sive harmonia philosophiæ moralis & religionis Christianæ, Amstelodami,

(*e*) Vid. Nova literar. Latin. A. 1722. p. 50. conf. Nov. lit. Germ. A. 1724. p. 610.

dami, ut titulus fert, sed vere Berolini, A. 1692. edita. Suppressus fuit hic liber ob prava & impia de Deo & religione dogmata in eo tradita ab aula Brandenburgica, ea quidem sollicitudine & industria, ut vix unum aut alterum exemplum inquirentium curam effugere potuerit.

Aboliti quoque sunt *Matthiæ Knutsen*, Oldensworthа Eiderstadensis, *dialogi* aliquot Germanici, circa annum 1672. excusi, ejusdemque *epistola amici ad amicum*, Latino idiomate exarata, propter pessimas & pestiferas authoris opiniones.

Eodem fato periere ante aliquot annos pia Francofurtensis Magistratus cura nonnominis *Meditationes philosophicæ de Deo, mundo & homine*, paucas implentes plagulas (*f*). *Michaelis Serveti scripta*, quibus dulcissimi nostri Sospitatoris divinitatem & venerandum Trinitatis mysterium acerrime oppugnavit, rarissima esse quis nescit? Videlicet

(*f*) Vid. de his vernünfftige Thomasische Gedancken über allerhand Juristische Händel. Part. I. p. 233. sqq. ibi etiam p. 349. mentio fit alius libelli, publica authoritate suppressi, qui hoc titulo Freustadii A. 1719. prodiit: Meditationes, Theses, dubia Philosophico-Theologica, placidæ eruditorum disquisitioni religionis cujusvis & nationis in magno mundi auditorio submissa a Veritatis Eclecticæ Amico.

cet publica authoritate prohibita, suppressa & combusta fuere ipsa. Clarissimus Wendlerus *(g)* duntaxat Librorum ejus VII. de Trinitatis erroribus paucis meminit, nos plura cum de his ipsis, tum de aliis illius scriptis jam notabimus. Libros de Trinitatis erroribus vidi olim & perlustravi, cum Altorfii literarum studiis operam darem, in Celeberrimi D. Gust. Georg. Zeltneri Bibliotheca, & nuperrime in Ulmensi publica. In lucem emissi sunt illi A. 1531. in forma ordinis octavi, loco impressionis haud indicato: ex typis tamen facile conjici potest, in Germania & forte, ut nonnulli suspicantur, Basileæ eos fuisse prelo subjectos. Vix in publicum prodierunt, cum statim summa cura supprimerentur. *Simulac publice conspiceretur liber*, sunt verba Petri Adolphi Boysen *(h)*, *quasi communi incendio restinguendo accurrebant viri pii cordatique, infelicem lascivientis ingenii fœtum suppressari, inprimis Francofordenses plurima libri exempla flammis tradiderunt, cumque Ratisbonam quædam allata fuissent, & Jo. Quintada, Cæsari Carolo V. a consiliis ecclesiasticis, & confessionibus*

(g) In Diss. de variis raritatis librorum caussis. §. XI.
(h) In Historia Mich. Serveti §. VI.

bus privatis qui erat, visa, indignabatur initio auctori, quem a facie sibi notum esse ajebat, & , quotquot nancisci poterat, exempla sollicite abolenda curabat, teste Cochlaeo, ex quo repetit Od. Reynaldus in Annal. Eccles. ad Ann. XXXII. p. 652. —— Cum itaque undique supprimeretur liber, contigit, ut rarius reperiatur, ac instructissimae ceterae Bibliothecae illo destituantur. Grotius uno exemplo usus est Roterodami, quod id ipsum forsan est, quod in Bibliotheca Jo. Pesseri, consulis Roterodamensis, se vidisse Christ. Sandius testatur. Lutetiis Parisiorum in magno exquisitarum Bibliothecarum numero nonnisi duo comparent exempla. Alterum, sed mutilum, & II. libris truncatum in Bibliotheca Regis, alterum in Colbertina occurrit, auctore Simonio T. I. Bibl. Crit. p. 32. *Eundem tamen librum Melanchthonem manibus contrivisse apparet ex Ep. ejus* CXLI. *ad Jo. Camerarium. Jo. Micraelius etiam exemplo est usus, quod ipse de se profitetur* L. III. Hist. Eccles. Sect. II. *ubi simul recensionem libri variasque, quas continet, & sacrilegas locutiones exhibet, ac inter alia ineptam quandam, & puero vix condonandam argumentandi rationem allegat.* Hactenus Boysenius. Addo, in incomparabili quoque Serenissimi Sabaudiae Principis & Herois invicti

Euge-

Eugenii Bibliotheca extare hujus libri exemplum, nec non in exquisito Celsissimi Landgravii Cassellani thesauro librario (*i*), quale etiam possidere dicitur D. Jo. Wilh. Petersen (*k*), aliud quoque, imo duplex, præsto fuit viris eruditis, qui Berolini Oblationes, quas vocant, spontaneas luci exponunt publicæ (*l*). *Anno XXXII. iisdem formis*, scribit laudatus Boysenius (*m*), *iisdemque tum loci, tum typographi indiciis, quibus antecedens liber excusus est, conscripti lucem aspexere alii tractatus exiguæ magnitudinis, manu Serveti perpoliti, quibus hunc titulum fecit: Dialogorum de Trinitate Libri II. de justitia regni Christi Capitula IV. —— Cum pauca saltim exempla fuerint excusa, eaque sollicite a Calvino aliisque suppressa, difficillime copia illorum fieri potest.* Quem A. 1553. in 8. Viennæ Allobrogum in orbem extrusit: liber ipsa raritate rarior est. En integrum ejus titulum: *Christianismi Restitutio.* Totius Ecclesiæ Apostolicæ ad sua limina vocatio,

(*i*) Vid. Biblioth. Histor. Phil. Theol. Brem. Class. I. p. 740.
(*k*) l. c. p. 761.
(*l*) Vid. Vol. I. der Freywilligen Heb-Opfer. p. 359. sqq. ubi recensetur is liber. conf. Vol. II. p. 939.
(*m*) l. c. §. VII.

tio, per integrum reſtituta cognitione Dei, fidei Chriſti, juſtificationis noſtræ, regenerationis baptismi, & cœnæ Domini manducationis. Reſtituto denique nobis regno cœleſti, Babylonis impiæ captivitate ſoluta, & Antichriſto cum ſuis penitus deſtructo. בעת ההיא יעמוד מיכאל השר καὶ ἐγένετο πόλεμος ἐν τῷ οὐρανῷ. MDLIII. In fine autem libri hæc poſuit: M. S. V. 1553. (*n*) *Eadem fata*, prout Doctiſſimus Boyſenius memorat (*o*), *hic quoque liber, qua ſuperiores ſubierunt, expertus eſt. Inſtitor enim typographi, vir pius & cordatus, ut Calvino audit, de contentis libri admonitus, quotquot habuit, ſuppreſſit exempla, nec minus Francofordenſes, a Calvino literis excitati, quas vide inter epiſt. ejus num. LIII. librario non recuſante, omnia exuſſerunt exempla, ita ut, Simonio ſponſore* p. 36. l. c. *duo vel tria tantum ætatem tulerint exempla.* D. Theodorus Haſæus, Vir Eruditiſſimus, ita de hoc Serveti fœtu: *rariſſimus omnium hic liber eſt, neque quemquam mortalium novi, qui ſe illum, typis exſcriptum, oculis uſurpaviſſe teſtetur præter*

(*n*) Excerpta ex hoc libro dantur in Bibliotheca Brem. Claſſ. I. p. 739. ſqq.

(*o*) l. c. §. IX.

præter Christ. Sandium & Illustr. Mastrichtium. (*p*). Idem deinde se hunc librum in Principis Hasso-Cassellani & Academiæ Duisburgensis Bibliothecis, ubi adservari perhibebatur, irrito conatu inquiri curasse narrat. Plura jam scripta, quæ magistratuum cura ustulanda lignis infelicibus dedit, recensere possem, nisi iis, cum magnus istorum sit numerus, peculiarem destinassem dissertationem, aliquando tecum communicandam. Alii igitur potius nunc mihi enarrandi sunt libri, quos publica prohibitio & suppressio rariores effecit.

Nostro tempore Claudiopoli in Transylvania prodiisse in lucem librum, æternis tenebris dignum, ejusdem plane cum infelicis Serveti scriptis furfuris, amicus quidam mihi nunciavit, e cujus ore titulum heic adjiciam, ut ex ungue leonem agnoscas (†):

(*p*) In Biblioth. Hist. Phil. Theol. Cl. I. p. 739. conf. Monnoye in Menagianis T. IV. p. 390. edit. Amst. 1716.

(†) Vir eruditus, cujus relationi hæc debeo, se omni cura in ipsa Transylvania hunc librum sibi comparare haud potuisse mihi affirmavit, a Viro tamen illius regionis illustri & fide dignissimo ejus notitiam se hausisse asseverans. Alias suspicarer, in Socinianorum odium diram istam libri inscriptionem effictam fuisse: quod olim jam factum ex Bailii Dictionar. artic. Socin.

Fulmen de coelo delapſum (abſit blaſphemia!) Trinitariorum Deum Trinunum contundens. Anno 1687. Roterodami excuſus eſt liber, hunc titulum gerens: *La Foy reduite a ſes juſtes bornes.* Eum Synodus Hagienſis, curante Petro Jurieo, damnavit & prohibuit. Verbis Celebratiſſimorum virorum, qui Acta Eruditorum colligunt, (q) rem enarrare lubet: Eodem tempore Roterodami prodiiſſe refert Petrus Jurieus in Apologia ad Paſtores Eccleſiarum Gallo-Belgicarum tractatum, in Anglia a juvene quodam Gallo, ſed ab aliis adjuto compoſitum, eum titulo: Fides intra juſtos terminos reducta, in quo dogmata de Trinitate & Incarnatione pro indifferentibus habentur. Hoc ſcriptum ſe denunciante, in Synodo Hagienſi Anno 1688. condemnatum, & autorem remotum a miniſterio fuiſſe, qui poſtea in Galliam regreſſus religionem Reformatam

Socin. not. (L) didici. Exprobratum videlicet fuit Socinianis a quibusdam, ex Polonia ipſos propterea eſſe ejectos, ipſorum Bibliothecam diſperſam, eorum coetum diſſipatum, templum, ſcholam, typographeum ipſis ademta, quod librum ſub prælo habuerint hac inſcriptione: Tormentum throno Trinitatem deturbans. Hoc tamen ſtrenue negarunt Sociniani.

(q) A. 1692. p. 323.

matam abjuraverit, se vero epistolam pastoralem eo de casu ad instruendos atque contra scandalum præmuniendos pios edidisse.

Ita quoque librum, A. 1610. Franekeræ Socinianorum opera typis publicis exscriptum, Sibrandus Lubertus & Pastores Leovardienses suppresserunt. Ejus inscriptio hæc erat: *De officio hominis Christiani in* hodiernis istis *de religione controversiis*, hoc est, cui potissimum coetui inter omnes de religione dissidentes homo Christianus adhærere debeat. Libellus hoc tempore utilissimus, ab anonymo quodam veritatis patrono scriptus, cum gratia & privilegio summi Pontificis & Regis Catholici excusus. Irenopoli, typis Theophili Adamidis, 1610. Sed anno sequenti Raccovienses typis Seb. Sternii eum tractatum iterato impresserunt cum variis Socini opusculis (*r*), quæ tamen & ipsa rariora sunt.

Libris damnatis accensendum etiam venit paradoxum Erasmi Joannis opus, cujus integrum adscribam titulum, ut exinde ejus argumentum aliquatenus cognoscere queas. Discours ou l'on fait voir clairement, que le Régne de l'Ante-Christ commença à pa-

(*r*) Placc. Theatr. Anon. p. 141.

paroitre dans l'Eglise immediatement après la mort des Apôtres ; & par consequent que tous les Conciles, qui se sont assemblez, & tous les Livres des Peres, qui ont été écrits depuis ce tems-là, sont infectez de plusieurs Erreurs Anti-Chrêtiennes, & même le fameux Concile de Nicée, qui se tint l'an CCCXVIII. Summam libri ex Gerardi Brant Historia Reformationis Germaniæ inferioris exponit elegantissimæ vir doctrinæ Michaël de la Roche (*s*), qui illius quoque fata his perstringit verbis : *Cet Ovrage fut mal reçû : on crut que l'Auteur doutoit de tout, qu'il vouloit s'ériger en Chef de parti, & troubler l'Eglise Nationale. Les Exemplaires de ce Livre furent supprimez ; & l'on fit semblant de vouloir arrêter l'Auteur : il se retira secretement.* Nescio, an idem sit hic liber cum eo, cujus Petrus Bailius (*t*) mentionem instituit, eumque A. 1585. hoc titulo divulgatum fuisse scribit: *Antithesis doctrinæ Christi & Anti-Christi de uno vero Deo.*

Quod adeo rara sit Italica Alcorani versio Venetiis A. 1547. in 4. edita (*u*), publicæ

(*s*) Memoires litteraires de la Grande-Bretagne T. III. p. 100. sqq.

(*t*) In Diction. Hist. Crit. Art. Socin. not (k).

(*u*) Vid. D. J. M. Langii Diss. de Alcorani versionibus variis. p. 23.

blicæ ſuppreſſioni tribuendum eſſe autumo. Inſcriptionem ea hanc in fronte gerit: *L'Alcorano di Macometto, nel qual si contiene la dottrina, la vita, i costumi & le legge sue, tradotto nuovamente dall'Arabo in lingua Italiana.* Notus eſt nimius ille & inſipidus, ne quid jam gravius dicam, Pòntificiorum ejus ætatis contra iſtiusmodi libros Zelus, quo ipſe etiam Franciſcus Ximenius, Vir alias eruditiſſimus, cui multum vel ob ſolam Bibliorum polyglottorum Complutenſium editionem orbis Chriſtianus & literatus debet, aliquando abripi ſe paſſus fuit. Ita enim de illo, qui res ab ipſo geſtas enarrat, Alvarus Gomezius (*x*): *Alfaquinis* (Mauritanorum ſcilicet ſacrorum antiſtitibus) *ad omnia obsequia eo tempore exhibenda promptis, Alcoranos, id est suæ superstitionis gravissimos libros, & omnes cujuscunque auctoris & generis essent, Mahumetanæ impietatis codices, facile sine edicto, aut vi, ut in publicum adducerentur, impetravit. Quinque millia voluminum sunt ferme congesta, quæ variis umbilicis Punica arte & opera distincta, auro etiam & argento exornata, non oculos modo sed animos quoque spectantium rapiebant.*

Z 4 *Multi*

(*x*) In Vita Ximenii.

Multi eis se donari a Ximenio petierunt, sed nemini quidquam concessum est, ignibus omnia, publica in pyra, ad unum exusta, præterquam aliquot ad rem medicam pertinentia, cujus gens illa non sine magno profectu studiosissima semper fuit, quæ propter saluberrimæ artis dignitatem ex incendio illo liberata, in Bibliotheca Complutensi nunc servantur. Idem præposterus Zelus nos privavit prima Alcorani Arabici editione, quæ circa annum 1530. Venetiis opera Paganini Brixiensis lucem vidit: omnia enim ejus exempla jussu Romani Pontificis Vulcano tradita esse refert Jo. Buxtorfius (y): sed de hoc alibi.

Hermanni von der Hardt Ænigmata prisci orbis, Helmstadii non ita dudum vulgata, quod varia Scripturæ S. authoritati adversantia continere videbantur, publica cura suppressit.

Sed & aliquot ipsius Sacri codicis editiones sinistra hæc interdum expertæ sunt fata.

Rarissime occurrunt *Biblia Sacra vulgatæ editionis* ad Concilii Tridentini præscriptum emendata, & *a Sixto* V. P. M. *recognita* & approbata, quæ in fol. Romæ ex Typogra-

(y) In Biblioth. Bremens. Class. VI. p. 273.

graphia Vaticana in publicum emissa fuere. Suppressa enim sunt hujus editionis exempla, atque ejus loco curante Clemente VIII. alia fuit Vaticanis formis anno 1592. excusa, e cujus præfatione quædam huc facientia excerpere juvat: *Quod* (opus scilicet Biblicum Sixti V.) *cum jam esset excusum, & ut in lucem emitteretur, idem Pontifex operam daret, animadvertens non pauca in SS. Biblia preli vitio irrepsisse, quæ iterata diligentia indigere viderentur, totum opus sub incudem revocandum censuit atque decrevit. Id vero cum morte præventus præstare non potuisset, Gregorius XIV. qui post Urbani VII. duodecim dierum pontificatum Sixto successerat, ejus animi intentionem executus perficere aggressus est, amplissimis aliquot Cardinalibus, aliisque doctissimis viris ad hoc iterum deputatis. Sed eo quoque, & qui illi successit, Innocentio IV. brevissimo tempore de hac luce subtractis, tandem sub initium pontificatus Clementis VIII. opus in quod Sixtus V. intenderat, Deo bene juvante perfectum est.* (z)

Quæ ejusdem Sixti cura typis exscripta fuisse fertur Sacri codicis versio Italica, si modo unquam prodiit, albis corvis rarior

(z) Vid. le Long. l. c. f. 265. sqq.

eſt. Jacobus certe le Long talem translationem illius Pontificis juſſu editam eſſe negat & pernegat (*a*). Contrarium vero præter alios Jo. Frider. Mayerus tuetur, *Biblia*, inquiens (*b*), *univerſa a viris doctis in linguam Hetruſcam auſpiciis Sixti V. Pontificis Max. converſa, typisque exſcripta, anno* 1589. *ſed mox intercedentibus Cardinalibus & urgente illud ad horum inſtitutum Philippo II. Hiſpaniarum Rege, omnia exemplaria fuere ſuppreſſa & occultata.*

Primam editionem Novi Teſtamenti Gallici interprete Jacobo Fabro Stapulenſi, quæ Pariſiis anno 1523. in 8. lucem adſpexit, rariſſimam vocat laudatus Longius (*c*): nempe ejus uſus publica authoritate fuit prohibitus. Quod fatum etiam ſubierunt aliæ illius editiones, A. 1524. 1529. &c. curatæ.

De Novo Teſtamento Gallico tam ex verſione Montenſi quam ex interpretatione Dion. Amelotte conflato a Joanne Daillé & Valentino Conrart, charactere minutiſſimo in 12. Pariſiis A. 1671. excuſo, idem Autor (*d*) hæc tradit: *Vix prodierant quædam exem-*

(*a*) loc. cit. f. 357.
(*b*) Citat. Longio l. c.
(*c*) l. c. f. 335. (*d*) l. c. p. 352.

exemplaria cum universa hæc editio suppressa fuit. Hæc a Petro Pelbestre, qui hujus editionis codicem a Typographo acceperat, didici.

Recentissimæ Bibliorum Hungaricorum editionis, in Belgio curatæ, 3000. exempla a Jesuitis Cassoviensibus intercepta, in arcta adhucdum teneri custodía, certiorem me fecit amicus, fide dignus.

Quandoque etiam contigit, ut diversis de causis editiones nonnullorum librorum affectæ in medio præli cursu sufflaminarentur. Accidit id versioni SS. literarum Germanicæ, quam Jo. Saubertus olim auspiciis Serenissimi Augusti Ducis Brunsvicensis & Luneb. moliebatur. De hac translatione Vener. Abbas Regiæ Luteræ Jo. Fabricius (*e*) : *Non autem absolutum, sed interruptum fuit hoc opus beato ex hac vita discessu laudatissimi & Principum Nestoris Augusti A.* 1666. *& prelum quidem cessavit in capita XVII. prioris libri Samuelis : exempla autem omnia quæ impressa erant, translata Wolfenbuttelium, ubi tenebris mancipata adhuc asservantur. Meum exemplum debeo ego*, pergit idem, *singulari gratia Serenissimi Ducis Antonii Ulrici, qui mihi illud pro MSto auctoris, quod Bibliotheca*

(*e*) In Histor. Bibliothecæ suæ. P. III. p. 339.

theca Augustæ consecravi, clementissime dari jussit.

Idem quoque fatum oppressit quondam versionem Bibliorum Germanicam, a Crypto-Calvinianis Saxonicis, quos vocant, A. 1589. edi cœptam, nec ultra Paralipomenων libros productam. De hac editione D. G. G. Zeltnerus (*f*) hæc memorat: *Relatum ab amico habeo, in Bibliotheca Dresdensi recondita esse exempla, & postea ad pulveris pyrotechnici cucullos subinde deprompta & adhibita, qua occasione nonnemo aliquando, forte fortuna, possessor exemplaris alicujus factus sit.*

In Ecclesiastica antiquitate, sunt verba Jac. Capelli (*g*), *quam non esset tyro Casaubonus docuit A.D.* 1607. *libro singulari de Libertate Ecclesiastica, cujus jam paginæ* 264. *typis erant edita, cum Rex Henricus IV. augustæ memoriæ, compositis jam Venetorum cum Pontifice Romano controversiis, vetuit ultra progredi, & hoc ipsum, quod fuerat incboatum, supprimi voluit, ut ejus pauca nunc extent exemplaria.* Hunc ipsum tamen librum inseruisse

(*f*) In Diss. de novis Bibliorum Versionibus Germanicis non temere vulgandis. p. 117. Edit. II.

(*g*) Vid. Colomes. dans son Recueil de particularitez p. 127. citat. Placcio in Theatr. Annonym. f. 19.

seruisse Goldastum Monarchiæ Imperii Tom. I. pag. 674. sqq. observat Vincentius Placcius.

5. *Libri a privatis suppressi.*

SUmmorum imperantium curam in supprimendis quibusdam libris sæpenumero imitata est nonnullorum privatorum industria, publicæ æmula, raritatem hinc aliquibus scriptis concilians. Paucis hoc exemplis, sed selectis, probatum dabimus.

Cognitæ sunt omnibus, qui monumenta rerum antiquitus gestarum sedulo volvere amant, dolosæ illæ & sceleratæ technæ, quas quatuor familiæ Dominicanæ monachi, nefariarum machinationum artifices astuti,

inventæque novas fraudi superaddere fraudes

docti olim exercuerunt, ut sic dogma de immaculata B. Virginis Mariæ conceptione, quam tantopere Franciscani aliique ex Pontificiis jactant, everterent, imposturis tandem detectis, Bernæ Helvetiorum A. 1509. ultricibus flammis traditi (*b*). De his igitur moliminibus plura tum publicata fuere

(*b*) Ea de re vid. Pauli Langii Chronicon Citizense f. 893. edit. Pistor. & Stumpfii Chronicon Helvet.

fuere opuscula, sed ea a Dominicanis enixa diligentia ad extinguendam hujus rei memoriam conquisita & callide suppressa esse, ut paucissima nunc extent istiusmodi libellorum exempla, testis est Joann. Stumpfius (*i*).

Elisabetha Angliæ clavos tenente, paulo ante ejus obitum prælo exiit liber de arte æquivocationum a Jesuita quodam compositus, cujus cum haud pauca jam exemplaria in eruditorum versarentur manibus, postea ipsos Ignatianæ sodalitatis puduit socios, quamvis ante a præcipuis illius ordinis in Anglia viris, Henrico nimirum Garneto, qui deinceps ob conspirationem pulverariam suspendio vitam finiit, & Blakwello approbatus fuerit. Ipsos postmodum Jesuitas pessimum hunc maleferiati & nequioris ingenii foetum sedulo suppressisse & occultasse, ex eo conjicio, quod eorum unus in Apologetico publicæ luci exposito ullum unquam ejusmodi tractatum in rerum natura fuisse negare, & qui illius meminerunt, impostores vocare ausus sit, teste Isaaco Casaubono (*k*). Ut vero aliquam hujus libri, hodie

(*i*) Schweitzer-Chronick. L. XIII. Cap. 35. f. 116. edit. Tigur. 1586. fol.

(*k*) In Epistol. p. 763. edit. Magdeburg. A. 1656.

hodie perrari, notitiam habeas, paucis ejus argumentum delineabo, verbis quidem non meis, sed desumtis ex Actione in Henricum Garnetum, Societatis Jesuiticæ in Anglia superiorem, cæterosque, qui Jacobum Britanniæ Regem & Regni ordines pulvere fulminali e medio tollere conjurarunt, ex Anglico a G. Camdeno Latine versa (*l*): „*Propositio* in hoc libro in mentalem, verba- „lem, scriptam & mixtam distinguitur, quæ „certe distinctio quod coecos Mæandros & „Labyrinthos habeat, ut homines in erro- „rem deducat, quis non videt? Exempli „gratia, ut primoribus labris stropharum & „falsitatis regulam hanc degustetis, interro- „gatus aliquis & jurejurando obstrictus, ut „ex animo verum dicat, talem vidistine „hodie? hac arte instructus illud plane de- „negat, prudens licet sciensque illum vide- „rit: videlicet hunc proprium sibi sensum „reservans: Non, ut Magistratui hoc dice- „rem, vel non visione beatifica, vel non „Venetiis illum vidi. Similiter etiam af- „firmationem pro negatione alicui dare, re- „tinendo tantum, & mentaliter addendo „particulam & signum illud negationis Non. „

„ ___ In-

(*l*) p. 35. sq. edit. Londin. 1607.

„ —— Ingruente undique peste, quidam
„ Conventriam venit; ad urbis vero portas
„ magistratus illum conveniunt, eumque
„ jurejurando obstrictum interrogant, an
„ Londino profectus sit, ubi pestem grassari
„ audiant: iste vel pestem ibidem non esse,
„ vel aërem non infici, seque per privatam
„ aliquam urbis plateam propere equitasse
„ pro certo habens: se Londino non venisse
„ liquido tutissimeque jurare potest. Prin-
„ cipali enim & finali propositæ quæstionis
„ scopo, scilicet an sic venerit, ut civitatis
„ pestem afferret, responsum dedit, licet
„ immediatus quæstionis sensus fuerit, utrum
„ Londino profectus sit, an non, cognoscere.
„ Istum (si libro fidem adhibeamus) ipsum
„ naturæ lumen perjurio liberet, &c.

Probe callere Pontificios artem celandorum librorum, quibus arcana quædam, in vulgus haud promulganda, traduntur; aliquot jam porro documentis testatum faciemus. Licet enim ii res in hujus generis libris, publica sæpe autoritate emissis tractatas haud improbent, non tamen sunt nescii, Protestantium manibus sic tela ingeri, quibus ad abusus Romanæ Ecclesiæ carpendos uti queunt. Sibi igitur solis reservare student ea, quæ acutissimus Bailius

lius (*m*) *mysteres d'état*, *arcana imperii* argute vocare, iisque Horatii verba applicare solebat:

Non tamen intus
Digna geri promes in scenam, multaque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens.

Taxa Pœnitentiariæ Cancellariæ Apostolicæ plus simplici vice equidem a Protestantibus fuit recusa, at ejus editiones, ab ipsis Pontificiis curatæ, rarissime propterea inveniuntur, quod sedulo eas occultent. Audiamus hac de re Gisbertum Voëtium (*n*): *Quia hic Taxæ Pœnitentiariæ mentio facta, moneo exemplaria pauca hodie haberi posse (quæ & quorum arte facile prudentiores conjiciant): aliqua tamen in manibus nostrorum superesse editionis Parisiensis* 1520. *in* 4. *apud Tussain Denis. Edita etiam est Venetiis, cum quamplurimis aliis Tractatibus in Oceano Juris. Addo rem & librum a Pontificiis passim negari, ubi ita usu venit, ut nostri, allegando*

 illam

(*m*) In Diction. Hist. Crit. P. I. f. 435.

(*n*) Tom. II. Disput. Select. p. 296. cf. quæ idem Tom. I. p. 205. de Jo. Casæ poëmate quodam, alibique de Stellæ votis paparum monet.

illam Taxam, mendacii & calumniæ suspecti fiant, imo & arguantur. Accidit anno 1633. *ut quis JCtus idemque Senator Sylvaducensis desertionem & rejectionem papatus minaretur (more ipsis non insclito) si quidem tam abominanda, qualia ex Taxa nostri referunt, demonstrari possent. Ut ampliss. & consult. huic viro ex asse satisfieret, quæsitum apud alios de exemplari, etiam a me postulatum exemplar* (o). *Quod cum mihi ab ipsis Pontificiis editum nullum esset, petii commodato a celeberrimo Theologo Andrea Riveto. Ante biennium alibi concertatione inter nostros & Pontificios quosdam oborta super eadem hac Taxa, denuo consultus, commonstravi bibliothecam D. Riveti, in qua certo scirem exemplar edit. Paris.* 1520. *haberi: quippe quod ipse ante annos aliquot manibus & oculis meis usurpassem, & fratribus Sylva-ducensibus ex summi illius Theologi concessione aliquamdiu usurpandum misissem. Velim hac occasione obtestatos omnes publicos Reformatarum scholarum, ecclesiarum, politiarum Bibliothecarios, exemplaria illa, si qua in ipsorum potestate sint, capsis inclusa diligenter custodiant, ne*

(o) Sic exprimit hoc ultimum comma Dan. Francus de Indic. expurg. & prohib. p. 115. cum in ipsis Voëtii Disput. aliquæ voces omissæ sint.

ne a plagiariis auferantur: aut si non sint, hoc agant, ut a privatis sive bibliopolis, sive viris literatis, prece aut pretio quovis redimant. In manibus mihi est antiquissima *editio Canonum pœnitentialium per Episcopum Civitatensem* (cujus nomen haud adjicitur) *compositorum*, loci, anni & typographi indicio destituta, quæ decem in forma quarti ordinis foliis absolvitur, vocum compendiis ubique scatens. Speciminis gratia quosdam inde canones heic recitabo, cum ignorem, an ii inter reliquas Taxas pœnitentiarias recusi unquam fuerint. (*p*) Primus canon est, quod presbyter fornicans publi- „ ce & notorie tenens concubinam inclusam „ sacco indutus vel cilicio III. mensibus in „ pane & aqua jejunet per spatium septem „ annorum, quolibet anno III. mensibus, „ exceptis festivitatibus & tunc modico vino „ utatur, & sexta feria semper jejunet in „ pane & aqua. Et hoc quidem intellige „ de adulterio vel incestu notorio. —— Si „ quis contra naturam peccaverit, si sit cle- „ ricus, debet deponi, & si incorrigibilis „ est, debet recludi in monasterium: & si „

(*p*) In editione certe, quam Franequeræ A. 1651. in 8. emisit L. Bank, non extat.

„ sit laicus debet excommunicari &c. Si
„ pater & filius cum una muliere dormie-
„ rint aut si quis cum matre vel filia vel
„ cum duabus sororibus coierit, VII. annis
„ pœniteat. —— Si quis autem ignorans
„ cognoverit duas sorores vel matrem vel
„ filiam uno anno pœniteat. —— Si peccasti
„ cum jumento aut cum aliis animalibus vel
„ fecisti sodomiam, XV. annis pœniteas, &
„ quinque ex his in pane & aqua facias.
„ —— Si quis cum vidua patris sui vel uxore
„ vel cum germana sua sive cognata sua,
„ vel si pater turpitudinem filiæ suæ revela-
„ verit, vel cum filiastra sua coierit, X. an-
„ nis pœniteat, & peregrinus incedat, &,
„ III. annos ex his in pane & aqua faciat.
„ —— Si quis Episcopus vel presbyter vel
„ diaconus uxorem acceperit, ab ordine de-
„ ponatur. Si Episcopus adulterium perpe-
„ traverit, XV. annis pœniteat: Diaconus
„ vero X. Subdiaconus VII. Clericus I. Et
„ tertia pars sit in pane & aqua. Si aliqua
„ mulier fornicata fuerit & patrem suum
„ (vel partum) vivum occiderit, X. annis
„ pœniteat. —— —— Si quis patrem vel
„ matrem aut uxorem interfecerit, nunquam
„ equitet, nec matrimonium contrahat, &
„ per X. annos carnem non comedat, nec
vinum

vinum bibat: & matris interfector X. an- „
nis pœniteat armis depositis. Qui occidit „
Judæum vel paganum, XL. diebus pœni- „
teat. —— Si mures comederint euchari- „
stiam ex incuria seu negligentia sacerdo- „
tis, XL. dies pœniteat, vel si perdatur, „
XXX. Si de sanguine Christi stillaverit „
in terram, lingua lambatur, & tabula sive „
terra radatur, & igne concrematur, & „
pannus lavetur, & illa lotio a presbytero „
sumatur, & XL. diebus pœniteat &c. „
Differunt equidem ab aliis Taxis hi canones in eo, quod certum duntaxat pœnitentiæ tempus præscribant, cum illæ peccatorum, etiam gravissimorum, remissionem pecuniæ venalem exponant; at & hi eundem scopum, nisi fallor, sibi præfixum habent: nam Episcopus civitatensis sub finem canonum statutum pœnitentiæ tempus redimi, delictorumque veniam eleemosynis impetrari posse asserit. Quasnam autem hic potissimum indigitet eleemosynas, facile suspicaberis. Hæc ἐν παρόδῳ.

Plerique equidem *Indices Librorum prohibitorum & expurgandorum*, iterato Protestantium cura prælo subjecti sunt; verum primæ eorum fere omnium editiones, quas ipsis Pontificiis debemus, rarius compa-

rent, (†) quia ab iis studiose celantur. De Indice expurgatorio, Philippi II. Hispan. Regis jussu atque Albani Ducis consilio ac ministerio in Belgio concinnato A. 1571. in præfatione novæ editionis A. 1599. Argentorati factæ hæc refert Joann. Pappus: *Liber hic propriis Regis Hispaniarum impensis ab ejus architypographo Plantino excusus fuit, non quidem ut evulgaretur & distraheretur, sed ut iis tantummodo distribueretur, qui expurgationi, quam vocant, librorum suspectorum essent præfecti. Additum erat severissimum mandatum Regis, ut hi ipsi censores privatim, nullisque consciis, apud se indicem hunc haberent, & nec ipsum aliis communicarent, nec ejus exemplum ulli darent, sed id tantum curarent diligentissime, ut loca suspecta librorum, qui expurgandi ipsis viderentur, inquirerent, expungerent & restituerent. Ita hic liber per annos quindecim, instar mysteriorum quorundam, in censorum illorum bibliothecis occultatus latuit. Evenit autem circa annum* 1586. *singulari divinæ providentiæ munere, ut in manus Francisci Junii Index iste pervenerit, publicique tandem juris fieret.* Hinc

(†) Rariores præcipue sunt editiones Indicum Expurgatoriorum, ab ipsis Pontificiis curatæ.

Hinc præter diploma regium, Belgica lingua conscriptum, huic indici præmissa sunt hæc verba: Ducis Albæ jussu ac decreto „ cavetur, ne quis præter Prototypographum „ regium hunc Indicem imprimat, neve ille „ aut quis alius publice vel private vendat, „ aut citra ordinariorum facultatem aut „ permissionem habeat. „ Ipse Junius in dedicatione ad Joann. Casimirum, Palatinatus Electoralis olim Administratorem ita fatur: *Fœtus est Censorum Belgicorum, quos Albanus ei gignendo præfecerat. Hunc fœtum, prout mandatum fuerat, genuerunt illi: sed nascentem inter genua sua compresserunt, & circumtulerunt in sinu conditum, ut dentata illius opera alienos fœtus virorum bonorum opprimerent. —— Quia vero forte Patres objecturi sunt non suum esse hunc fœtum; ab aliis, a nobis, a typographo depravatum esse, casu aut malitia oblatum vitium: cavendum esse duxi, & huic calumniæ prudenter occurrendum. Quapropter librum authenticum ex officina Christoph. Plantini A. MDLXXI. Antwerpiæ profectum —— in Bibliothecam T. C. visum est deponere, ut, si qui volent, videant; si qui negent, videntium fide confutentur.* De reliquis indicibus conferri mere-

tur Philippus a Limborch (q), & qui præcipue commendandus est, Daniel Francus (r). Sed hi indices forte referendi a nobis fuissent in classem librorum, qui Principum cura & studio occultantur.

Quanta industria & sollicitudine olim Patres Ignatiani caverint, ne Constitutiones Societatis Jesu, auctore Ignatio Loyola ex parte Hispanorum lingua quondam exaratæ, & a Joanne Polanco deinde in Latinum sermonem conversæ, cum eas novem voluminibus Antwerpiæ typis exscribi curarent, in aliorum pervenirent manus, enarrat Gerh. Mastrichtius (s), & post eum Groschupfius (t). Hac occasione enumerare placet libros quosdam, in Bibliotheca publica Memmingensi latentes, quos magnam partem illius editionis Antwerpiensis constituisse arbitror. *Litteræ Apostolicæ, quibus institutio, confirmatio, & varia privilegia continentur Societatis Jesu.* Neapoli, in collegio ejusdem Societatis. Ex typographia Tarquinii Longhi. 1598.

Dire-

(q) In Historia Inquisitionis. f. 149. sqq.

(r) In peculiari de iis tractatu, Lipsiæ A. 1684. in 4. edito.

(s) In Placii Theatr. Anon. f. 125.

(t) In Præfat. novæ Collectionis Librorum rariorum. p. 22.

Directorium in Exercitia Spiritualia R. P. N. Ignatii. Romæ in collegio Rom. Societatis Jesu. Anno Dn. MDCVI. Præfatio scripta est A. 1599. a Jacobo Dominico, Secretario.

Regulæ Societatis Jesu. Ibid. Anno MDCVII.

Canones Congregationum Generalium Societatis Jesu. Secunda editio. Ibid. Anno MDCXVI. Præfationem eodem anno datam præmisit Bernardus de Angelis Secretarius Soc. Jes.

Decreta Congregationum Generalium Societ. Jes. Secunda editio. Ibid. 1616.

Ordinationes Præpositorum Generalium, communes toti Societati, auctoritate septimæ Congregationis generalis contractæ. Ibid. A. MDCXVII. Præfatus est idem Bernardus de Angelis A. 1616.

Hæc omnia superiorum permissu, ab ipsis Jesuitis edita, duobus spissis voluminibus in octavi ordinis forma continentur, sed alteri insertæ quoque sunt Annuæ Litteræ Societatis Jesu Annorum MDXCIII. & XCIV. ad Patres ac Fratres ejusdem Societatis exaratæ, quarum illæ Florentiæ e typographia Philippi Juncte A. MDCI. hæ Romæ è Collegio Societatis A. MDXCVI.

prodierunt. In Ordinationibus Præpositorum Generalium hæc inter alia mandantur pag. 20. seq. *Compendium privilegiorum, seu majus, seu brevius, sine permissu Generalis nusquam recudatur. Exemplaria autem, quæ ad usum præcipue Superiorum & Consultorum in singulis Domibus & Collegiis esse debent, ita nostris cum facultate Provincialis concedi poterunt, ut externis non ostendantur, nec inde ad alia loca exportentur.* Sed ad alia jam progrediamur.

Adversariorum scripta ut abolerent, & quoad ejus fieri posset, supprimerent, sempiternisque addicerent tenebris, haud raro varii omnem adhibuerunt curam. Lutheri, aliorumque veritatis vindicum libros, immortalitate dignissimos, Cæsarum, Regum, Principum, Pontificumque jussu olim magno numero fuisse igni concrematos quis ignorat? Horum itaque vestigiis insistentes & alii, ἀλόγῳ quodam fervore correpti, in libros innocuos & optimos flammis sævierunt. Innumera fere librorum Lutheri ejusque συγχρόνων & sequacium exemplaria sic absumta & in favillas redacta fuisse mihi persuasum est. Hinc opera eorum seorsim olim excusa, quæ autographa nominare solent, quoad primas editiones adeo raro de-

pre-

prehendi existimo, quanquam haud eam inficias, plures etiam alias raritatis eorum causas dari. Bina saltem exempla insani ejus Zeli ne dicam, an furoris, jam allegabo, non prorsus illepida. *Stanislaus Rescius* (*u*) *agens de Hosio Cardinale adhuc adolescente, & in Academia Cracoviensi studiorum gratia degente, scribit eum, si quos pestilentes libros, qui per Lutherane factionis ministros ad perniciem hominum spargebantur, conquirere & habere potuisset, omnes illico Vulcano corrigendos obtulisse. Post que subjungit Rescius : Quo tempore illud quoque memoria dignum accidit, quod, cum in eadem Academia bonis literis operam daret Fabianus Cema, juvenis nobili loco & familia in Prussia natus, & Hosio nostro domestica familiaritate conjunctissimus, nisi quod non aeque ut ille a novis rebus abhorrebat, & blasphemos Lutherane factionis libellos, Germanica presertim lingua scriptos, non gravatim lectitabat, in acutam aliquando febrim incidit. Cujus vicem cum Hosius doleret, officium consolantium & libenter & studiose prestabat, ac sepe ad lectulum*

(*u*) De vita Stanislai Hosii Cap. V. citat. Gretsero in opere de jure & more prohibendi &c. libros p. 172.

lum decumbentis assidebat. Quodam ergo die sub capite jacentis quendam libellum aspicit, quem cum in manus accepisset, & hæreticum esse cognovisset, hæc est, inquit, ista febris, quæ te adeo graviter excruciat. Tu malum hoc ipse tibi sciens & volens accersis, dum istas pestes non solum in animum, sed & in lectulum tuum recipis. Quamobrem si febrim a corpore tuo cupis propulsatam, prius ab animo tuo blasphemiarum studium & omnem hæreticorum colluviem a tua consuetudine quam citissime remove; nec dubites, quin te statim febris acerbitas deserat, & corporis sanitas remota peste consequatur, ac ita libellum flammis ultricibus objecit. Postridie vero cum ad visitandum amicum reversus esset, a febri relictum illo ipso tempore invenit, quo libellum ignibus exurendum tradiderat. En tibi novam & facilem, si Diis placet, malignos morbos ac præcipue acutas febres, quæ rapido estu omnibus furiunt membris, tollendi & feliciter propulsandi rationem!

Ite jam Galenia pharmaca, & pillulæ & mala pocula!
Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas omnes.

Te

Te jam compello: miselle, cui
Costæ ardent : premit ægra sitis : latus aspera torquet
Febris, & insurgunt recidivi semina morbi,
Difficilesque ægros labefactat anhelitus artus:
Os livet, positæque movent fastidia mensæ:
Nec potis es, quondam visos cognoscere vultus.

Non est, quod ad medicam confugias opem, & tot deglutias austera ac insipida pharmaca, cum æstus febriles tam facili methodo fugari inque malam crucem abigi queant. Verum alio insuper exemplo, quanquam recentioris paulo ætatis, probatum dabo, quantopere olim sævitum fuerit etiam a privatis in præstantissimos libros, ut exin plurima eorum exempla a Vulcano devorata & absorpta fuisse concludere possis. *Persuasum est multis*, verba sunt Collegii Moguntini Societatis Jesu (*x*), *ne se mallent, quam libros noxios perdere. Quo in genere quiddam accidit memoria dignum. Sacerdos noster ad bibliopolam amicum diverterat. Ille de paucitate emtorum atque iniquitate temporum,*

(*x*) In Litteris annuis A. 1593. p. 238.

porum, ut fit, cum eo querebatur. Nostri ipsum esse in culpa dicere, qui Lutheranos libros venales haberet: instare, ut eos sibi omnes traderet: quos cum ex ejus manibus expressisset, illo inspectante combussit. Mira res! vix dies unus ab illa traditione librorum intercesserat, cum plurimi librorum emtores ad illius tabernam librariam ventitare cœperunt. Itaque bibliopola admirationis & gaudii plenus nostro deinde confirmavit, plures se libros uno die, quam antea multis hebdomadis vendidisse. Lepide, belle, facete! Habetis hic, Bibliopolæ, novam & fando antehac inauditam celeriter ditescendi artem! Secate, discerpite, funditus tollite, urite, flammis immittite, in cineres redigite pestiferas illas, si Jesuitarum judicio standum est, Lutheri, magni istius (scilicet) hæresiarchæ, aliorumque ipsi similium chartas. Fumus inde mox in ventos attenuatus abiturus alliciet vobis immensam empturientium catervam: tenuesque favillæ magnam nummorum vim magnetis more in vestra attrahent marsupia. Cæterum Bibliopolæ illi Moguntino occinenda fuissent Senecæ (y) verba: *Demetri-*

(y) Ex præfat. Lib. IV. Natural. Quæst. f. 722. editionis Justi Lipsii, quæ Antwerpiæ ex officina Plantin. A. 1605. prodiit.

metrium egregium virum memini dicere cuidam libertino potenti, facilem sibi esse ad divitias viam, quo die pœnituisset bonæ mentis.

Sed & interdum viri alias probi & eruditissimi, ut suorum Antagonistarum scripta, supprimerent, hominumque excuterent manibus, omni nisu allaborarunt. Horum in numerum referendus est Natalis Alexander, non ita pridem defunctus, qui, cum nonnulli Historiam ejus Ecclesiasticam publice impugnarent, scriptum hoc titulo in 8. Rhodumnæ edituri; Animadversions sur l'Histoire Ecclesiastique du P. Noël Alexandre, sollicito studio effecit, ut operis, jam jam preli mordentis carceres exemplaria omnia discerpta abolerentur, vix duobus sic laceratis & imperfectis fuga elapsis. Nisi forsan hæc supprimendi cura Bibliopolæ, qui suis impensis Nat. Alexandri Historiam divulgavit, adscribenda sit (z)

De Petro Alcyonio Paulus Jovius (a): *Quum aliqua ex Aristotele perperam insolenterque vertisset, in eum Sepulveda vir Hispanus, egregie de literis meritus, edito volumine peracuta jacula contorsit, —— tanto quidem eru-*

(z) Vid. Nova liter. Germ. A. 1724. p. 758. sq.
(a) Elogior. Cap. CXXIII. p. 265. cf. Baile Diction. P. I. f. 142. edit. tertiæ.

eruditorum applausu, ut Alcyonius ignominiæ dolore misere consternatus, Hispani hostis libros in tabernis, ut concremaret, gravi pretio coëmere cogeretur.

Sunt & aliæ causæ, quibus moti nonnunquam eruditi quædam supprimere opera sunt annisi. Ita Josephus Scaliger nonnulla Patris Julii Cæsaris scripta, quibus acriter in Erasmum Roterodamum invectus fuit, sedulo conquisivit, ut ea sic hominum oculis subduceret, quia magnum illum literarum restauratorem ab eo tam indigne acceptum esse ægre ferebat, patremque etiam adversus tantum virum adeo aculeate & acerbe scripsisse pœnituerat. Honori igitur parentis consulturus nullis pepercit sumtibus, atque exempla, quotquot potuit, coemit. Ipse id de se testatur Scaliger (*b*): *Mon Pere avoit escrit beaucoup d'Epistres contre Erasme, qui estoient imprimées, mais je les ay faict supprimer, & en ay les exemplaires ceans, qui m'ont cousté 72. escus d'or, 36. doubles pistolettes; J'ay commande a Jonas de les brûler apres sa mort. Mon Pere attaque Erasme en Soldat. Depuis apres avoir estudié, il vit qu'Eras-*

(*b*) In Scaligeranis, per FF. PP. editis Hagæ Comitum 1669. p. 101.

qu' Erasme estoit un grand personnage. Peut estre mon Pere n'avoit pas leu ou n'entendoit pas Erasme. Jamais Papiste, Lutherien, ni Calviniste, n'ai faict un meilleur livre ny plus elegant, qu'est sa paraphrase, sur le Nouveau Testament; encore que mon Pere ait escrit contre Erasme, si fais je grand cas d'Erasme, c'estoit un grand homme &c. pœnituit patrem adversus illum scripsisse, il vît sa faute, sed fuerat irritatus, cum vocaretur ab Erasmo miles, quasi per contemptum. Iterumque paulo post hæc refert (*c*): *Habebam orationem secundam Patris in Erasmum cum Epistola Erasmi. Curavi conquiri Parisiis apud omnes Pedantes, nemo habet. Per emissarios 7. aut 8. curavi omnia exemplaria conquiri & comburi.* Omni tamen hac industria Scaliger efficere haud potuit, ne illæ Orationes & Epistolæ curante Maussaco Tolosæ A. 1620. recuderentur: quamvis & hæc ipsa editio hodie rarius conspiciatur.

Renatus Cartesius Gomezii Pereiræ Hispani Antonianam Margaritam summa diligentia, ne plagium ejus deprehenderetur, suppressisse fertur, imitatus in hoc Aristotelem, quem plures veterum libros, grandi

(*c*) Ibid. p. 102.

pecunia coëmtos, ex eadem ratione combussisse, memoriæ proditum est. *Protrahatur*, scribit Jo. Frid. Guhlingius (*d*), *hic e latibulis Cartesius, qui, ut alias plagii est suspectus, ita nihilo modestius se illius, de mechanica animalium dispositione, sententiæ jactavit auctorem, quam tamen ex Gomazio Pereira, Hispano, hausisse dicitur, omnibus, quæ nancisci poterat, exemplaribus Antonianæ Margaritæ coëmtis & combustis.* Perrarum esse hunc librum, Medinæ Campi A. 1554. in fol. excusum, P. Bailius (*e*) monet, atque ex eo suam de animalibus sententiam Cartesium didicisse rationibus haud contemnendis negat.

6.

Libri ab ipsis vel autoribus vel editoribus suppressi.

QUin imo ipsi quandoque autores vel editores certis de causis libros suos premunt, & studiose occultant. Anno 1588. Anglico sermone prodiit libellus famosus hoc

(*d*) In Diss. de Autographis Veterum, sub præsidio Cel. Jo. Guil. Bergeri Wittebergæ habita.

(*e*) In Diction. Hist. Crit. Tom. III. artic. Pereira. not. B. sqq.

hoc titulo: *Admonitio adversus Reginam Elisabetham* ejusque regnum omnes Christiani orbis Principes & populos ad illud invadendum excitans. Animus erat autori, hoc scripto classi Hispanicæ, Anglos subjugaturæ, viam parare. Sunt, qui istud Parsonio Jesuitæ (*f*) tribuunt, eumque post in faustum illud navale prælium omnia exemplaria igni tradenda curavisse memorant (*g*).

Haud ita pridem nonnemo peregrinus, per nostras oras transiens, in vicinia prælo subjecit libellum aliquem Michaëlis Schendi Vanderbech, Medic. Doctoris, cui præmissa est satyra mordacissima in Maurocordatum Wallachiæ Principem: is quingenta circiter exemplaria typis exscribi voluit, eaque omnia secum, in Hungaria forte aut Transsylvania disseminanda, abstulit, ut ejus curam paucula vix effugere potuerint. En integram libelli inscriptionem: *Empirica illustris* per septem nobilissima euporista

(*f*) Is etiam sub Dolemanni nominē librum *de Titulis* edidit, qui improbus, vanusque, & ex mendaciis, figmentis, & contumeliis totus consutus & consarcinatus dicitur in Actione in Henricum Garnetum. p. 72.

(*g*) Placcius in Theatr. An. & Pseud. f. 523. sq.

familiaria remedia ad totidem gravissimos & frequentiores morbos profligandos: authore Michaele Schendo R. C. S. Eq. Vanderbech Philosophiæ & Medicin. V. Doctore. Addita authoris Apologia adversus Maurocordati sycophantias par le Docteur Conrade du Schebhen. Editio altera (ut quidem in titulo fingitur), prototypo Londinensi longe elegantior ac emendatior. Augustæ Vindelicorum apud Merz & Mayer, cum permissu Superiorum. MDCCXXIII. in 8. Quatuor duntaxat hoc scriptum plagulis absolvitur. In Apologia eximiis laudibus Vanderbech ille cumulatur, ob ingenium perspicacissimum & singularem in scientiis ferme omnibus eruditionem, editis aliquot argumenti rarioris opusculis comprobatam. Contra ea Maurocordatus, qui illum non solum potiori rerum parte, Bibliotheca ac Manuscriptis spoliare, sed & famam ejus atterere dicitur aussus esse, Theonino dente laceratur. Nec ibi parcitur viris quibusdam eruditissimis & celeberrimis, e quibus Jo. Clericum & Steph. Berglerum nomino. In calce adjectum est Alethophili Cosmopolitæ de authore eruditissimo (Vanderbechio scilicet) somnium poëticum, quod ob libelli raritatem heic adscribere non gravabor:

Græ-

Græcia docta olim, genitrix fœcunda sophorum,
Quid longo sterilis tempore spreta jaces?
Singula cumque Sophos viderunt secula septem,
Unum inter septem secula pande virum.
Vix ea fatus eram: Vanderbech, illa retorsit,
Unus pro septem sat mihi solus erit.

7.

Libri, quorum pauca exempla sunt impressa.

HIs jure quodam suo jungendos esse existimo, qui pauca duntaxat librorum suorum excudi curant exemplaria, atque adeo eorum raritatem, dedita opera, quærere videntur. Clarissimus Lilienthalius (*b*) hoc de iis judicium fert: *Qui scriptorum suorum nonnisi perpauca imprimi faciunt exemplaria, atque ita raritatem illorum consulto quærunt, quid aliud agunt, quam ut libros invidiose occul-*

(*b*) In Selectis Histor. & Liter. P. I. p. 202. cf. ejusdem Dissert. de Machiavellismo literario. p. 125. sqq.

occultent? Quia enim hoc potissimum videntur intendere, ut scripta sua vel majori desiderio quærantur, vel etiam majori pretio divendantur, hinc possunt non, quin multos utilitate illa privent, quam ex lectione illorum librorum, si obvii fuissent, capere potuissent. Nonnunquam tamen sonticas esse causas, quibus ducti librorum vel autores vel editores pauca tantum emittunt exemplaria, censeo.

Garnierii Systema Bibliothecæ Jesuitarum Collegii Ludoviciani rarius esse, quod in privatum duntaxat hujus Bibliothecæ commodum conscriptum sit, me edocuit vir literatissimus Daniel Maichelius (*i*). Quod idem etiam observandum est de *Indice Bibliothecæ*, qua Franciscus *Barberinus* R. E. Cardinalis Vice-cancellarius magnificentissimas suæ familiæ ad Quirinalem ædes magnificentiores reddidit, Romæ typis Barberinis per Michaelem Herculem A. 1681. in fol. impresso: cujus notitiam debeo viro de elegantiori literatura optime merito Joan. Henrico von Seelen (*k*).

Basilea Sacra, Brundruti A. 1685. in 8. a Collegio Jesuitarum ejus loci in honorem Joan-

(*i*) In Introduct. ad Histor. Liter. de præcipuis Biblioth. Parisiens. p. 128.

(*k*) In Diss. de Præcocibus Eruditis p. 16.

Joannis Conradi de Rogenbach, recens tum electi Episcopi Basileensis, editæ, paucissima expressa fuere exempla (*l*).

Helenam Marsuin, Dominam de Ellansborg, Ludovici Munckic uxorem, propriis sumtibus in usum tam privatum quam publicum stylo grandiori & eleganti emisisse *Psalterium Davidis Danicum* cum summariis Psalmorum juxta versionem Lutheri in Bibliis magnis Danicis, & præfatione Nicolai Michaelis, Hafniæ 1632. in fol. ejusque editionis triginta saltem exemplaria typis fuisse excusa, e Novis Litterariis Maris Balthici Anno 1700. memorat Jacobus le Long (*m*).

De libro Gallico Gabrielis Naudæi, *Considerations* politiques *sur les Coups d'Estat*, A. 1639. in 4. impresso, sed deinceps A. 1667. in 12. Amstelodami recuso, hæc nobis refert Colomesius (*n*): *Il faut remarquer, qu'au lieu que dans la Preface au Lecteur il est dit, qu'il n'y a qu'une douzaine d'Exemplaires de ce livre, il y en a eu plus d'une centaine.* Impii libri, sub titulo *Pantheistici,*

(*l*) Hamb. Biblioth. Hist. Cent. I. p. 25.
(*m*) Biblioth. S. P. I. f. 417.
(*n*) Dans son Recueil des Particularitez p. 123. cf. Placcii Theatr. Anon. f. 56.

stici, sive formulæ celebrandæ Societatis Socraticæ, Cosmopoli, aut verius Londini A. 1720. in 8. in lucem protrusi, author Jo. Tolandus perpauca tantum imprimi curavit exempla, iis solum distribuenda, quibus ejusmodi glandibus vesci volupe est, uti observat D. Theodorus Hasæus, maximi vir nominis (†). Idem quoque notandum de aliis quibusdam infaustis petulantis ejus ingenii fœtibus, de quibus conferri omnino meretur elegantissima Celeb. Moshemii Commentatio.

Eliæ *Ebingeri Catalogum Bibliothecæ* Amplissimæ Reipublicæ *Augustanæ*, qui Aug. Vindel. A. 1633. in fol. prodiit, ob exemplarium, quæ excusa sunt, paucitatem rarissimum esse sæpe monuerunt viri, rei literariæ notitia instructissimi: at Hieron. August. Groschusius (*o*) ejus raritatem in dubium vocavit, hæcque ab Ehingero in vulgus sparsa fuisse, ut tanto celerius diriperetur liber, & lucellum inde caperet, asseruit, simul in aliis etiam viri præstantissimi & longe celeberrimi famam sugillare ausus: nuper

(†) In Biblioth. Brem. Class. IV. p. 1090.

(*o*) In præfat. Conlectionis librorum rariorum. Fasc. I. p. 23.

nuper vero cum raritatem libri, tum integerrimi viri probitatem solidis rationibus contra eum evicit doctissimus Jac. Bruckerus (*p*).

Andreæ *Palladii de Architectura* operis per DD. Leoni & du Bois aliquot ab hinc annis Londini editi, tandum 250. exemplaria fuere impressa (*q*): *Lelandi Collectaneorum de rebus Britannicis*, per Th. Hearne Oxoniæ curatorum CL (*r*): *Actorum Apostolicorum Græco-Latinorum* CXX. ibidem A. 1717. (*s*), *Abbatis de S. Pierre* libelli Gallici, *Reflexions Critiques sur les Travaux de l'Académie Françoise*, XL. (*t*), Operis Londini 1704. & sequentibus editi multis voluminibus in folio, quo *Thomas Rymer Fœdera, Conventiones, Literas* & cujuscunque generis *Acta publica* inter Reges *Angliæ* & alios Principes ab A. 1101. ad nostra usque tempora tractata exhibet, CC. (*u*), *Ignatii Epistolarum septem genuinarum*, Oxonii in Theatro Sheldoniano typis exscriptarum

Bb 5 Anno

(*p*) In egregia de vita & scriptis Eliæ Ehingeri commentatione, pag. 118. sqq. cf. p. 92. sqq. & 192. sqq.

(*q*) Vid. Nova Literar. German. A. 1715. p. 388. sq.

(*r*) Ibid. An. 1716. p. 91. (*s*) Ibid. p. 521.

(*t*) Ibid. p. 523. (*u*) Vid. Catalogum Historiæ Fresn. Menken., p. 432.

Anno 1708. in 8. centum duntaxat exempla (*x*) excuſa ſunt. Generatim de Th. Hearne, ſuperius memorato, obſervandum eſt, cum librorum, quos plerumque per leges ſubſcribendi edit, exemplaria ad exiguum ſemper fere reſtringere numerum, illaque tum eo majori pretio divendere (*y*).

Hactenus libros quosdam, ob paucitatem impreſſorum exemplarium notabiles & rariores, enarravimus: nunc operis alicujus meminiſſe juvat, cujus innumera exempla ſe excudiſſe ipſe typographus jactavit, quorum tamen nullum vel ſummi librorum helluones unquam conſpexerunt. Athias Judæus, ex ea nimirum gente,

Falſas quæ fingere nugas
Et quæ ſunt nunquam facta, referre ſolet,

Biblia Anglica typis exſcripſiſſe perhibetur ſumtibus ingentibus, non per ſingulas ſchedas literas æneas in loculamenta reſtituendo, ſed omnes typorum formas integras ſervando (*z*). De hoc digna ſunt, quæ hic adjiciantur verba Viri πολυμαθεστάτου, Jo. Chri-

(*x*) Vid. Act. Erudit. A. 1713. p. 399.
(*y*) Vid. Nova Liter. Germ. A. 1716. p. 204. 305.
Vid. Jac. le Long. Biblioth. S. Tom. I. f. 433.

Chriſtoph. Wolfii (*a*): *Ipſe ex amici literis intellexi, ipſummet Athiam de horum Bibliorum exemplaribus* 1000000. *& amplius a ſe divenditis gloriatum eſſe, quod certe fidem omnem ſuperare videtur. Ego ſaltem fruſtra huc dum quæſivi aliquem, cui exemplum illius editionis oculis uſurpatum fuerit.* Hoc mendacio prodigioſo, quod Judæus Apella per me credat, Athiam vel ipſos Cretenſes, egregios illos nugarum architectos multis paraſangis ſuperaſſe judico:

8.

Libri, quos adverſa fata ſuppreſſerunt.

FAto præterea nonnullorum librorum raritas adſcribenda venit. Scilicet Vulcanus, claudus ille furcifer, Neptunusque fluctivomus, cui in æquoris æſtus imperium olim tribuit antiquitas φιλόμυθος, manſuetioribus Muſis ſe ſæpius præbuere iratos, librosque æternitati dicatos vel inimica flammarum ſævientium vi, vel rapido tumentis undæ impetu abſorpſerunt. Animus non eſt, jam deplorare miſeranda integrarum Biblio-

(*a*) In Biblioth. Hebr. Rabbin. p. 584.

Bibliothecarum fata, quas incendii furor consumsit *(b)*: Sed saltem aliquos libros breviter recensere, quorum plurima exemplaria infelix istud subiere fatum.

Cum A. 1679. Jo. Hevelii, Consulis Gedanensis, & Mathematici famigeratissimi splendidæ ædes, Bibliotheca instructissima, lauta supellex, & pretiosissima instrumenta mathematica nec non typographia, quam domi suæ habebat, conflagrarent, periere simul omnia fere exemplaria librorum ab ipso propriis sumtibus editorum, quæ nondum ad exteros evolaverant. Hinc tanta eorum raritas; præsertim vero secundæ partis Machinæ Coelestis, quæ eo ipso anno vix prælo exierat, ut adeo paucissima ejus exempla hodie supersint. Ipsius *(c)* Hevelii verbis magnam illam jacturam, quam eo incendio non tam ille, quam orbis eruditus passus est, edisseremus: *Quod maxime dolendum, omnia fere in universum exemplaria omnium operum, quæ nondum distracta ad annum*

(*b*) Vid. Thomæ Bartholini Dissert. de Bibliothecæ incendio ad filios, quam in nostris terris luci reddidit publicæ Andreas Westphal. qui in præfatione recentiora combustarum Bibliothecarum exempla exhibet.

(*c*) Ex ejus ad virum quendam illustrem epistola, quam vide in Verzeichnuß rarer Bücher. p. 107. sq.

num usque 1679. *Mens. Sept. fuere, ferali incendio prorsus absumta sunt, adeo ut de parte II. Machinæ Cœlestis, eo ipso anno editæ, nonnisi duo exemplaria mihi remanserint amicis concedenda; nec ullibi aliquod exemplar, quod sciam, venale invenies: siquidem Bibliopolæ vix quinque exemplaria a me acceperunt, unde nulla plane extant exemplaria de Parte sc. Machinæ Cœlest. II. quam quæ in Gallia, Anglia, Polonia & Germania, & quæ hic Gedani amicis dono dederam. Profecto credas mihi, me solum ex illis libris meis sumptibus a me editis ultra* 15000. *Imperial. jacturam fecisse.* —— —— *Opera mea hactenus edita nullibi, quantum sciam, venalia invenies. Nam paucissima illa exemplaria, quæ apud Bibliopolas Francofurti, Lipsiæ ac Amsterodami hactenus habui, meo petito huc Dantiscum remissa sunt, sic, ut hic Gedani acquirenda sint, sed majori pretio, ut facile colligitur, quam olim: quandoquidem nonnisi unum aut alterum exemplar Selenographiæ, Cometographiæ, Machinæ Cœlestis Part. I. reliquorumque operum tantum adhuc adest: at vero de Parte II. Machinæ Cœl. nonnisi adhuc duo, ut dixi, mihi sunt residua.*

In tristissimo illo Londinensi incendio A. 1666. maxima quoque librorum copia in fumum abiit, interque eos tricena Edmundi

mundi Castelli Lexici Heptaglotti exemplaria, prout ipse in Epistola dedicatoria ad Carolum II. Angliæ Regem testatur: nec non pleraque Novi Testamenti Hebraici, quod ex versione Eliæ Hutteri, sed emendatum Guil. Robertson Londini A. 1661. in 8. publicaverat, exemplaria (*d*).

Omnes editiones *Operum Baptistæ Mantuani* junctim vulgatorum rarius obviæ sunt, sed omnium rarissima est *Antwerpiensis* Anno 1576. in 8. quatuor voluminibus constans, quam Bibliotheca publica Memmingensis possidet. Vixdum vere ista lucem adspexerat, cum ejusdem anni autumno urbis incendio magna ejus pars periit, teste Christiano Daumio, Viro in his rebus oculatissimo (*e*).

De *Sanderi Chorographia Sacra Brabantiæ* Eruditissimi Actorum Eruditorum (*f*) Collectores hæc memorant: *Inter rarissimos utique libros hactenus numerata est Antonii Sanderi, Presbyteri, Chorographia Sacra Bra-*

(*d*) Le Long in Biblioth. S. T. I. f. 81.

(*e*) Vid. ejus Epistolas Philologico-Criticas, ad Bosium, Gebhardum & Hanckium scriptas, quas edidit J. A. Gleichius, p. 143. & Dan. Franci Disquis. de Indic. Prohib. Expurg. p. 174.

(*f*) Ann. 1724. p. 376.

Brabantiæ duobus in fol. Voluminibus divisa, quæ, cum exempla ejus prope omnia (vix enim octo servata ajunt) cum tabulis æneis, injecto Bruxellis igne, conflagraverint, 300. *vel* 400. *florenis hactenus æstimata est. Laudandum ergo Bibliopolæ Hagiensis Christiani van Lom institutum, qui librum recudere, & non tantum* 21. *tabulis, sed & tractatu Descriptio cœnobii Augustinianorum Antwerpiæ augere constituit.*

Lic. *Stockfletii*, Superintend. Munchbergensis Bibliothecam, 18000. libros complectentem A. 1701. misere per flammas absumtam fuisse refert Andreas Westphalus (*g*). Eo incendio simul pleraque exemplaria tractatus, contra Jo. Jac. Steinhoferum hoc titulo editi, *Virga pastoralis ad exactoris confractam vigilans*, periisse ex B. Georgii Serpilii Epitaphiis Theologorum Suevorum p. 61. colligo.

Bibliorum Suecicorum cum privilegio Christinæ Reginæ Lugduni apud Jacobum Marci A. 1637. in 8. excusorum, omnia exemplaria in naufragio periisse dicuntur (*h*).

Nun-

(*g*) In præfatione, Th. Bartholini Diss. supra laudatæ præmissa.

(*h*) Le Long. Bibl. S. T. I. f. 418.

Nunquam nisi cum summa animi delectatione in publica Memmingensi Bibliotheca inspicio ac perlustro *Biblia Regia vel Polyglotta Antwerpiensia*, typis Plantinianis, Philippi II. Hispan. Regis, ac studio Bened. Ariæ Montani aliorumque præstantissimorum Virorum 8. voluminibus charta Augusta edita A. 1569. & seq. Magnificum hoc opus, orbis miraculum a nonnullis olim teste Briano Waltono *(i)* dictum, itidem quondam mare iratum expertum est: magnam enim ejus exemplarium partem, dum in Hispaniam vehenda essent, absorpta a tempestatum vehementia navi in aquis periisse, ex Mallinkroto jam monuit Clar. Wendlerus *(k)*. Hinc Sebastianus Tengnagelius suo tempore id trecentorum florenorum pretio venundatum esse refert in libello supplici, S. C. Majestati oblato, quo Coraducianæ Bibliothecæ comparationem suadet *(l)*. Initio centum thaleris veniisse, scribit Mich. Neander *(m)*, Scaliger autem quadraginta duplionibus (pistoles) qui quingenta

(*i*) In Apparatu Biblico, edit. Tigur. f. 265.
(*k*) In Diss. de variis raritatis librorum causis. §. X.
(*l*) Vid. Barth. Christ. Richardi Histor. Biblioth. Cæsariæ Vindobon. p. 84.
(*m*) In Orbis terræ Descriptione B. 5.

genta exemplaria fuisse excusa memorat (*n*).

Sed & aliam fata invenere viam, qua perderent *Auberii Historiam Augustodunensem*: auctore enim post cœptam editionem defuncto, ejus folia dissipata, unumque tantum exemplar Augustoduni repertum & ad se transmissum fuisse narrat Bernardus Montfauconius (†), librum hunc prorsus ignotum propterea esse scribens.

9.

Libri, quorum plurima exempla in regiones exteras avehuntur.

EX eo insuper librorum raritatem oriri quilibet facile perspicit, si, qui apud nos prælo subjiciuntur, maximam partem in regiones exteras avehuntur. *Novum Testamentum Syriacum*, Ferdinandi Roman. Imperatoris Gloriosissimi jussu & liberalitate, cura & vigiliis Jo. Alberti *Widmanstadii*, Nallinga - Ulmensis, summi Sueviæ nostræ ornamenti, sub Ferdinando Cancellarii Austriæ Orientalis, Mose Meridinæo ex Meſopo-

(*n*) In Scaligeranis. p. 8.

(†) In Antiquit. explanatione & schematibus illustrat. Tom. III. Part. I. fol. 50. edit. secundæ.

ſopotamia Sacerdote multam operam & ſtudium navante, Viennæ Auſtriæ duobus voluminibus in 4. nitidiſſime A. 1562. editum, rarius obvium eſt, quod multa ejus exempla in Orientem abducta ſint. Hoc primum opus eſt, characteribus Syriacis in Europa expreſſum, quos ex Norici ferri acie ſculpſit Caſpar Craphtus, Elvangenſis Suevus. Exempla, ubi refert Andreas Mulletus Greiffenhagius (*o*), hujus codicis mille facta ſunt: atque ex iis 500. Ferdinandus Imp. ad ſe recepit, 300. duobus Patriarchis, Antiocheno & Maronitæ, deſtinavit, Moſen vero Mardenum cum 200. exemplis dimiſit.

Huc quoque referenda ſunt *quatuor Evangelia Arabice & Latine* a Joh. Baptiſta Raymundo edita (*p*), nec non *Biblia Arabica* Romæ 3. volum. in fol. Anno 1671. typis Congregationis de propaganda fide (*q*), *Novum* item *Teſtamentum Æthiopicum* cura Fr. Petri Æthiopis Romæ in 4. A. 1548. (*r*), Idem quoque *Turcice* opera Guil. Seaman red-

(*o*) Citatus a Viro longe Celeberrimo C. F. Boerneriero in additam. ad Jac. le Long. Biblioth. S. T. I. f. 104.

(*p*) le Long. l. c. f. 4. (*q*) Ibid. f. 124.

(*r*) Ibid. f. 131.

redditum in 4. Oxoniæ A. 1666. (*s*), Bibliaque tum integra alia, tum Novi Fœderis libri in exterarum gentium usum typis expressi.

Ex eadem ratione rariores esse judico libros, per Primum Truberum, Antonium Dalmatam & Stephanum Consulem Histriæ, Tubingæ olim Sorabico seu Venedico, & Croatico sermone, characteribus partim Latinis, partim Cyrulicis, partim Glagolicis editos (†). Aliquot istiusmodi volumina

(*s*) Ibid. f. 136.

(†) Postillæ certe Lutheri, in Sclavonicum idioma translatæ, exemplaria pleraque omnia, 21. magnis doliis inclusa, per Hieronymum Megiserum, illustris Scholæ Clagenfurtensis eo tempore Rectorem, Labacum curata esse Liber Baro Jo. Weichard Valvasor in topographico-historica descriptione Ducatus Carinthiæ (Ehre des Herzogthums Krain) Tom. II. f. 346. & 461. refert. Ex eodem etiam illius generis libros publica authoritate suppressos fuisse didici. Verba Hermanni Fabronii Mosemanni, ab eo citata fol. 346. huc apponere non piget. Hans Ungnad Freyherr zu Soneck in Crabaten hat zur Zeit der Augsburgischen Confession die Bibel und andere Evangelische Bücher zu Aurach im Lande zu Wirtenberg in die Windische Sprache vertiren lassen. Dazu er drey Windische Gelehrten gebraucht. Einer hiess Primus Truber, der andre Ant. Dalmata, der dritte Stephanus Consul. Aber die Bücher wurden unterwegs aufgehalten, und stehen noch in Fässern

(v.g. Confeſſionem Auguſtanam cum ejus Apologia, Philippi Melanchthonis Locos Communes, Lutheri Poſtillam, ejusdem Catechiſmum, Novum Teſtamentum &c.) ipſorum auctorum dono poſſidet Bibliotheca noſtra publica, cujus eo libentius crebram facio mentionem, quo plures jam ex ea in mea qualiacunque ſtudia redundarunt fructus, ampliores nunc futuri, poſtquam gratioſa Inclyti noſtri Magiſtratus benevolentia ejus curam mihi commiſit.

Huc referendi quoque ſunt libri in uſum Græcorum Venetiis prælo ſubjecti: e.g. Matthæus καί ἐξοχὴν Chronographus dictus, Scuphi Corcyrenſis Rhetorica, Cathechiſmus idiomate Græco vulgari, aliaque opera, ab Alex. Helladio in libro de ſtatu præſenti Eccleſiæ Græcæ p. 6. ſeqq. enumerata. Plura etiam hujus generis ſcripta ſtudioſe recenſuit Guil.

zur Neuſtadt in Oeſterreich eingeſchlagen. Der Buchſtab iſt gar beſonder, gleichſam als eine Aſiatiſche Schrifft, oder Syrer, mit etwas groſſen und ecketen Buchſtaben. Wer es begehrt, kan der Bücher auch zu Caſſel in Fürſtlicher Bibliothec zu ſehen bekommen. So ſeynd auch einzele Exemplaria ins Windiſche Land gekommen, und bey den Evangeliſchen Landherren zu finden. Imo ipſe Perilluſtris Valvaſor f. 463. libros iſtiusmodi Lutheranos maximam partem vel publica cura ſuppreſſos vel omnino combuſtos fuiſſe docet.

Guil. Cave in peculiari Dissertatione de Libris & Officiis Ecclesiasticis Græcorum, quæ ejus Scriptorum Ecclesiast. Historiæ Liter. Parti II. annexa est.

10.

Libelli minutiores.

OPuscula breviora ac paucarum plagularum facile se oculis nostris subtrahunt, cum vel negligantur, vel ob pretii exilitatem avidissime coëmantur. Nonnunquam istiusmodi libelli, mole parvi, rerum gravitate magni, edecumatam eruditionem spirant, digni sæpe, qui amplissimis præferantur voluminibus, quorum moles non raro ex quisquiliis raptim undique consarcinatis in tantum excrevit. Hinc Gabriel Naudæus (*t*), cujus judicio multum tribuendum esse censeo, graviter in eos invehitur, qui minutiora scripta, ob exilitatem duntaxat, abjiciunt & spernunt : *Verum est illud Thomæ Aquinatis dicterium : Nusquam ars magis, quam in minimis tota est ; nec vana sunt, quæ Cornelius Gallus de suis exiguis elegiis sibi promittere solebat :*

(*t*) In Diss. de instruenda Bibliotheca p. 102. Collect. Schmid. II.

Nec minus est nobis per pauca volumina fama,
Quam quos nulla satis bibliotheca capit.

Quod vero in hoc casu me adhuc magis in admirationem rapit, illud est, quod hoc hominum genus negligere non erubescit monumenta & opuscula quorundam auctorum, sparsim & separatim edita, quorum paulo post desiderio flagrat ardentissimo, quam primum in unum aliquod volumen congesta fuerunt. Ita videbis negligi, exempli causa, orationes Jacobi Critoni, quia non reperiuntur, nisi frustratim impressa, ab his ipsis, qui tamen in sua bibliotheca habent orationes Raymundi, Gallutii, Nigronii, Bencii, Perpiniani & aliorum auctorum quam plurimas, non quia sunt meliores, aut mellito eloquentiæ flumine largius tincta, quam scheda memorata illius doctissimi Scoti, sed quoniam certis voluminibus inclusæ sunt. Mehercule! si omnes libri minusculi prætereundi essent, quid fieret de opusculis S. Augustini, moralibus Plutarchi, libris Galeni? nec maxima pars in censum veniret scriptorum Erasmi, Lipsii, Turnebi, Mizaldi, Sylvii, Calcagnini, Francisci Pici, & multorum similium auctorum —— Quin res ipsa loquitur, infinitas dari materias, quæ nonnisi in ejusmodi libellis tractatæ reperiuntur: de quibus optimo jure dici posse vide-

videtur, quod Virgilius laudavit in apibus:

Ingentes animos angusto in corpore versant.

Propterea autor sum, ut conquirantur in omnibus tabernis, & undecunque protrahantur in lucem, quoties se offerunt. Hæc licet prolixiora ob elegantiam adſcribere libuit. Subito interdum oculis noſtris ſubducuntur ejus generis libelli, ut eorum nec amplius veſtigium appareat, nec ulla ſollicitudine inveſtigari rurſus poſſint. *Geometriam Empiricam* Joachimi *Jungii*, Gymnaſii olim Hamburgenſis Rectoris, Hamburgi 1649. in 4. editam, ut mole parvam, ſic ordine ac ſoliditate magni æſtimandam vocat, & Germanice verſam eſſe, inque Electoris Hannoverani Bibliotheca, & quod ſciat, nusquam alias amplius extare, exemplaribus reliquis abolitis, quo fato neſciens refert Vinc. Placcius (*u*).

De Latini Donii opuſculis ita Janus Nicius Erythræus (*x*): *Multa edidit tum Latinis tum Etruſcis verſibus ſcripta pure, dilucide, docte eleganterque, nullisque ſententiarum ineptiis claudicantia, quæ diſperſa ac diſſipata vix inveniuntur: quodſi amici vel eruditi cujuspiam opera collecta & in unum volumen illi-*

(*u*) Placc. Theatr. Anon. f. 330.
(*x*) Pinacoth. I. p. 117.

gata conſpicerentur unita atque compoſita quam ſejuncta atque disjuncta validius atque robuſtius temporis injuriis obſiſterent, & longius in ævum nominis illius famam propagarent.

De Pompejo Ugonio Proſper Mandoſius in Bibliotheca Romana (y): *Habuit orationes egregias in ſacello pontificio, in Gymnaſio Romano, aliisque publicis in locis, quæ vagæ atque diſperſæ impreſſæ circumferuntur: utinam, uti putabat Janus Nicius Erythræus, in volumen redactæ fuiſſent!* Scilicet hac ratione tantum conſervantur, & ad poſteros propagantur libelli mole exigui, qui, niſi in unam cogantur faſcem, paucorum ſubeunt oculos, atque facillime conſpectui ſe noſtro ſubtrahunt. Idem Mandoſius paſſim iſtiusmodi opuſculorum meminit (z), quorum apud nos ne vola quidem atque veſtigium extat.

Quid rarius hodie eſt plerisque Ulrici Hutteni, equitis literatiſſimi (a), Joannis Friſchmanni (b), aliorumque libellis? quorum ſi recenſionem a me expectas,

Oceani

(y) Centur. III. p. 169. Hanc Bibliothecam Celeb. Joh. Henr. von Seelen in Orat. de Præcocibus Eruditis p. 30. librum rariſſimum vocat.

(z) v. g. Cent. III. p. 185. Cent. V. p. 287. 341. &c.

(a) De Hutteni ſcriptis curate & erudite agit Burkardus in Comment. de ejus vita & meritis.

(b) De hujus ſcriptis, minus in vulgus notis, vid. Placcii Theatr. Anonym. f. 297. ſq.

Oceani fluctus me numerare jubes,
Et maris Ægei sparsas per littora conchas,
Et quæ Cecropio monte vagantur apes.

Unius adhuc mentionem facere juvat Petri Pauli Vergerii, cujus opuscula rarissime sunt obvia. De eo hæc habet Petrus Bailius (*c*): *Il ne faisoit guere que de petits livres, qu'on pouvoit faire courir aisément par toute l'Europe, & il choisissoit des matieres susceptibles d'un certain tour qui se fait sentir au peuple tres vivement.* Et deinde: *Je suis sûr, qu'en ce tems-la il se faisoit peu de livres, qui fussent lus avec plus d'avitê que les Ecrits de Vergerio. Ils étoient fort satiriques, ils contenoient cent particularitez personelles, que l'on prenoit aisement pour véritables, parce qu'on sçavoit qu'il avoit pu s'en instruire a fond, aiant été si long-tems dans les emplois de la Cour de Rome. Cependant ces Ouvrages, si estimez dans leur noveauté, ne purent se soutenir. Ce furent des favoris dont la fortune ne dura guere: ils perdurent promptement tout leur credit, & on les a negligez de telle sorte qu'il n'y a guere de Livres si mal aisez a trouver. On ne rencontre presque aucun Ouvrage de Vergerio dans le Catalogue des*

(*c*) In Diction. Hist. Crit. artic. P. P. Vergerius not. F. fol. 2805. sq.

des plus nombreuses Bibliotheques. Ce fut en vain qu'il fit faire une Edition de ses Oeuvres à Tubinge l'an 1563. Tant de petits livres réduits en un corps ne se sont pas moins perdu que si on les eût laissez dans leur dispersion. Il n'en fit guere pour lesquels je me sente plus de curiosité; que pour sa Critique de Leandre Alberti, & des Lettres de Claude Ptolomée. Huic raritatis causæ, qua libros minutiores ob pretii molisque exilitatem facillime disparere dixi, adjungo aliam, ipsi e diametro adversam, nimiam scilicet quorundam librorum vastitatem. Seculum præsertim XV. ferax fuit grandium ejuscemodi voluminum, in folio foliissimo, uti facete appellat elegantissimus Ægidius Menagius *(d)*, excusorum, sæpiuscule nonnisi rudi indigestaque mole spectabilium, qualia non pauca ostentant Bibliothecæ publicæ, cumprimis a monachis olim extructæ. Haud facile hujus commatis libri recuduntur, nec a multis ob pretii & molis magnitudinem comparari queunt. Exemplis heic allegandis sciens supersedeo, cum in abundandi eorum copia unde exordium finemque faciam ignorem.

II. *Li-*

(*d*) In Menagianis. Part. I. p. 169.

II.

Libri apud exteros excusi.

RArius etiam apud nos comparere solent libri, in oris, a nobis remotioribus, typis exscripti, quibuscum nostratibus bibliopolis haud adeo frequens intercedit comercium. Paucissimi forsan viderunt Meletii Patriarchæ Alexandrini Epistolas ad diversas Græcorum Ecclesias, Jassii in Moldavia impressas, quibus Georgii Coresii Chiensis Disputatio de processione Spiritus S. Nili Archiepiscopi Thessalonicensis Libri duo, totitemque Barlaami, & quinque Gabrielis Seberi Monembasensis, Episcopi Philadelphiæ, de differentiis inter Latinam & Græcam Ecclesiam accesserunt (*e*). Idem quoque dicendum de libris in Wallachia excusis, v. g. Nectarii Patriarchæ operibus, Sabasti de immaculata conceptione B. Virginis, ac de Eucharistia libris, ejusdemque Ἑορτολογίῳ, Jo. Comneni Itinerario Sancti Montis sive Athonis, aliisque, quos Alexander Helladius, Larissa Thessalonicensis, enar-

(*e*) Vid. Alex. Helladii Statum præsentem Ecclesiæ Græcæ, p. 9.

enarrat (*f*). Jobi librum in lingua ſancta & Romanica ſeu Barbaro-Græca charactere Hebræo ex verſione R. Moſis F. Eliæ Pobian cum ejus præfatione A. 1576. in quarti ordinis forma editum, rariſſimum vocat Jac. le Long (*g*), quia nimirum Conſtantinopoli prodiit. Idem libelli etiam Tobiæ editionem Hebraicam, eadem in urbe A. 1517. in 4. curatam rariſſimam nominat (*h*). Rarius præterea ad nos deportantur opera, in Hiſpania luci publiæ expoſita. Hinc Biblia Hebraica & Latina ex verſione Ariæ Montani, cujus quoque de varia librorum Hebræorum ſcriptione & lectione, & de verſionis Pagninianæ defenſione ibi adjecta eſt commentatio, in Burgo Araceenſi in Hiſpania A. 1581. in fol. excuſa (*i*), rariora ſunt. De Antonii Auguſtini libris Godofr. Tilgnerus (*k*): *Elegantiſſima pariter & rariſſima ſunt omnia docti hujus viri*

(*f*) l. c. p. 11. ſqq.

(*g*) In Biblioth. S. f. 79. (*h*) Ibid. fol. 80.

(*i*) Vid. le Long in Biblioth. S. T. J. f. 66.

(*k*) In Nova Librorum rariorum Conlectione. Faſcic. IV. p. 721. ſeq. In hujus Faſciculi præfatione Tilgnerus juſto opere aliquando de libris rarioribus ſe commentaturum eſſe promiſit, verum infelici fato præventus polliciti fidem præſtare haud potuit.

viri ſcripta, quæ inter anxius aliquandiu quæſivi Commentarium de Nominibus Pandectarum propriis, inque eo indagando nullum non lapidem movi. Sed, quæ eſt noſtra infelicitas, irrito huc usque conatu. Utinam vero eſſet tandem aliquando vir eruditus, qui accuratiorem libri cari usque adeo & rari notitiam ſive mecum privatim, ſive cum literatis univerſis publice communicare non gravaretur. Hunc commentarium Tarracone A. MDLXXIX. impreſſum ſua opera perveniſſe ad ampliſſimum virum Cornelium van Bynkershoek, atque hujus beneficio propediem in Germania poſt novam Corporis Juris editionem recuſum iri ſcribit Celeberr. Henricus Brencmannus (*l*), qui & alius libri perrari ejusdem autoris his verbis (*m*) meminit: *Rariſſimus eſt, & ejus rei cauſa cum manuſcripto propemodum æquiparandus, Bibliothecæ Antonii Auguſtini librorum manuſcriptorum index, Tarracone MDLXXXVI. forma, quam vocant in quarto. In eo, ſi recte memini, perpendit uſum & autoritatem illorum librorum, in quibus adeo & eorum, qui ad jus civi-*

(*l*) In Hiſtoria Pandectarum Florentin. p. 346.
(*m*) Ibid. p. 349.

civile spectant. Vidi, nec usquam alibi videre contigit, in magnificentissima Barberinorum bibliotheca, ad quam mihi quotidianus & familiaris accessus ab Eminentissimo illius possessore perhumaniter concedebatur. Ipsam vero bibliothecam suam, omni librorum & antiquitatum genere instructam, Augustinus Philippo Hispaniarum Regi, eam adfectanti, testamento fertur reliquisse. Quod quæso libros, in Hispania typis exscriptos, memorat Gerhardus Ernestus de Frankenau, Eques Danus, cùm in Sacræ Themidis Hispanæ Arcanis, Lipsiæ A. 1704. vulgatis, tum in Bibliotheca Hispanica Genealogico-Heraldica, ibidem A. 1724. in 4. excusa, qui apud nos vel perraro, vel nusquam comparent? Ne quid jam dicam de innumeris Hispanorum operibus, quorum mentionem instituit præter Andr. Schottum Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispanica, quem, ut alia silentio transeam, scriptores centum & sexaginta, solos Hispanos, qui de immaculata conceptione Mariæ virginis aliquid ediderunt, memorare observavit J. H. von Seelen in Paralipomenis de præcocibus eruditis p. 75.

Idem etiam de scriptis in Lusitania impressis pronunciandum est. Pentateuchum He-

Hebraicum cum punctis in folio Ulyssipone A. 1491. editum propterea rarissimum vocat Jacobus le Long *(n)*. Multorum, qui in Lusitania prodierunt, librorum, paucissimis in Germania cognitorum notitiam debemus erudito authori novissimi Status Regni Lusitanici *(o)*, Halæ Magdeburgicæ A. 1714. in forma octipertita luci publicæ expositi.

Pariter operum, quæ Anglia atque Italia parit, pauca plerumque ad nos deportantur exempla.

12.

Libri neglecti.

QUod vero preterea non pauci libri adeo rarenter conspiciantur, hominum incuriæ & neglectui adscribendum esse judico. Contemnuntur quandoque, abjiciuntur, mercibusque involvendis destinantur ob styli ruditatem & alias causas opera non prorsus inepta, quorum deinde copia vix ulla indagandi solicitudine haberi potest. Graviter de hoc in Dissertatione bonæ frugis plenissima de instruenda Bibliotheca *(p)* Ga-

(*n*) In Bibl. S. T. I. f. 72. (*o*) Cap. XIX.
(*p*) p. 106. Collect. Schmid. II.

Gabriel Naudæus conqueritur, ibique inter cætera: *Quid juvat*, ait, *quod Scaliger & Cardanus, duo luminaria magna superioris seculi, in hoc solo puncto collineant, dum uterque in laudibus Richardi Suisseti occupatus est, cui cognomen calculatoris datum erat, quique ante trecentos circiter annos adhuc in vivis agebat? In cœlum prope hunc extollunt duumviri modo nominati, & incomparabilem pronunciant: interim scripta ejus nullibi reperiuntur, ne quidem in celeberrimis & instructissimis bibliothecis! Aut quænam vestigia restant sectatoribus Occami, Nominalium principis, ex quibus spem concipere illis liceat, se aliquando visuros ejus opera, nec in æternum ea desideraturos? quando magnus ille Avicenna* (q) *resurget, & omnes philosophos conspectu suo solabitur? certe parum judicii afferre mihi videntur ad delectum & cognitionem librorum, qui tales autores insuper habent, quorum gratia omnes anguli perreptandi essent, omnes foruli excutiendi, vel ob ipsam hanc raritatem suam; quid quod in posterum manuscriptorum loco nobis esse poterunt, quia spes omnis ferme decollavit, eos unquam sub prælo recusum iri.* Ver-

(q) Opera Occami Lugduni A. 1495. edita, nec non Avicennæ, ex Latina scilicet versione, Bibliotheca publica Memmingensis possidet.

Versiones Bibliorum Germanicas ante Lutherum publicatas ex hac potissimum causa rarius jam inveniri autumo, quod nitidioribus & præstantioribus Megalandri nostri aliorumque succedentibus subhorridæ illæ & incultæ spretæ ac abjecte fuerint. Vel ob id tamen quovis studio colligi & asservari merentur, ut exin conjicere possimus, quantum debeamus B. Luthero, qui nobis oracula divina eleganti & concinna oratione exposuit, atque ex ipsis sacris fontibus labore plane Herculeo sua hausit, cum plerique omnes, qui ipsum antecesserunt, fontibus posthabitis, vulgatum præcipue interpretem, quem tamen ipsum sæpius haud assecuti sunt, transferendum sibi sumserint.

Ipsas etiam primas editiones versionis Biblicæ, a Luthero factæ, negligentia hominum rariores effecit. Nunc vero agnoscunt eruditi & æqui rerum æstimatores, prima illa beati viri tentamina in opere Biblico Germanice edendo dignissima esse, quæ cimeliorum loco habeantur. Sensim sensimque is translationem suam immutavit, correxit, ac nitidiori sermonis genere expressit. Non tamen diffiteor, priores interdum ejus cogitationes posterioribus præ-

ferendas mihi videri. Res profecto delectationis plena magniqne usus est, primas illas versiones cum ea, qualis hodie typis exscribitur, subinde conferre. Sæpenumero illis, quibus perjucunda isthac exercitatione animum pascere licet, quæpiam, meditatione penitiori digna, subministratum iri expertus spondeo. Perutilis meo quidem judicio labor foret, si quis Bibliophilus novam nobis daret versionis Lutheri Germanicæ editionem, ita instructam, ut textum ad editionem A. 1546. curate expressum, simulque varietates e Bibliis vernaculo sermone vivo adhucdum Luthero excusis collectas, quæ nonnullius momenti esse viderentur, sedulo exhiberet. Magnum certe ex ea re fructum laturi essent sacræ exegeseos studiosi. Rarissima præsertim est, quam ad manus habeo, prima Psalterii, ab eo Germanice redditi editio, quæ A. 1524. in 8. lucem vidit. De hac Jo. Fridericus Majerus, Theologus olim Gryphswaldiensis (r): *Dolendum non minus, quam mirandum est, prioris illius interpretationis exempla omnia pene evanuisse, & incuria majorum nostro-*

(r) In Historia Versionis Lutheri p. 11.

strorum ferme intercidisse, & amissam esse illam, quam Lutherus —— retineri optat, versionem. Quare non paucorum desiderio commodisque gratificaturus erat B. Franzius, qui ejusdem versionis legendæ cupidine se quoque non mediocriter flagrasse testatus est Libr. de Interpr. Script. p. 34. si, postquam exemplum ejus ab amico nactus fuit, ut ipse in præf. illius Libri p. 53. refert, eandem, quod facere decreverat, recudi curasset. Quod vero a summo illo Theologo ob alia negotia, vel nescio quibus impedimentis fuit prætermissum, proxima ut spero occasione a me opportune fiet, exemplo illius primæ versionis Psalterii Germanicæ, gratiosæ mihi concesso ex thesauro Serenissimi Brunsvicensium Ducis Rudolphi Augusti. Recusa autem nunc est illa in novo operum Lutheri Tomo Halensi, Ebraismi servantior, atque ab ista Germanico idiomati accommodatiori, quæ in Bibliis nostris hodie legitur, multum distans. His diebus bonis avibus nactus sum exemplum Novi Testamenti, per Henricum Stayner Augustæ Vindelicorum A. 1535. duobus voluminibus octavi ordinis in membrana expressum, quod mihi longe gratissimum est. Cæterum pleniorem aliquando Bibliorum Germanicorum notitiam nobis dabit Vener.

J. M. Krafftius in Hiſtoria verſionis Bibliorum Germanicæ, cujus jam A. 1714. & 1716. Prodromum edidit, ex quo eruditum orbem ab ipſo in hac re omnia egregia & conſummata expectare poſſe patet.

Philippi Melanchthonis Loci communes rerum theologicarum ſeu Hypotypoſes theologicæ quoad primam editionem Wittebergenſem An. MDXXI. ferme majorum noſtrorum incuria perierunt. Novæ ſcilicet editiones multum ab ea diverſæ prioris induxerant oblivionem. Nunc autem beneficio Viri celeberr. Hermanni von der Hardt rariſſimo hoc Philippi monumento rurſus gaudet orbis literatus: integrum enim illud inſeruit, ſicut & plura rariora Dorpii, Reuchlini aliorumque hactenus neglecta & prope deperdita opuſcula, Hiſtoriæ literariæ Reformationis Part. IV. fol. 30. ſqq.

Pauca adhuc ex plurimis, ne nimii ſimus, librorum neglectorum exempla proferamus in medium. De nonnullis Jo. Boccacii operibus Paulus Jovius (s): *Obſoleſcunt & ægre quidem vita ſpiritum retinent Libri de Genealogia Deorum, varietateque fortunæ, & de fontibus accurate potius quam felic-*

(s) In Elog. Cap. VI. p. 23. cit. Bailio in Diction. artic. Boccace, not. (l) f. 576.

feliciter elaborati, quando jam illæ decem dierum fabulæ, Milesiarum imitatione in gratiam oblectandi otii admirabili jucunditate compositæ in omnium nationum linguas adoptentur, & sine ulla suspicione interitus, applaudente populo, cunctorum operum gratiam antecedant. Biblia Anglica, quæ vocant, Episcopalia, nova versione auspiciis Regis Jacobi I. in eorum locum succedente, omnino exolevisse, adeo ut rarissime & fere nonnisi in instructiore aliqua bibliotheca conspiciantur, ex Arnoldo Bootio refert le long (*t*).

Minime miror, Biblia Hebraica aliosque libros eo sermone seculo XV. & circa initium XVI. divulgatos tam raro nunc reperiri. Cum enim illo tempore paucissimi e Christianis eam callerent linguam, nemoque fere esset, qui vel prima saltem ejus nosset elementa, non potuere non hujusmodi libri contemni, & tanquam inutiles rejici, qui nunc ipsa raritate rariores maximo æstimantur pretio. Solis tum Judæis relinquebantur ista cimelia. Digna sunt, quæ heic recitentur verba Melchioris Adami (*u*): *Eodem anno* (1499.) *providentia*

(*t*) In Bibl. S. f. 432.

(*u*) In Vitis Germanorum Theologorum. p. 269. edit. Francof. 1653. in 8.

Dei bibliopola Tubingensis attulit Biblia Hebraica integra, minima forma impressa Pisauri in Italia, quæ nemo curabat. Pellicanus id audiens rogavit virum, sineret opus aliquot diebus inspicere: concessit librarius, dicens floreno cum dimidio posse emi. Audito tam parvo posse comparari, exultavit Pellicanus: adiit suum Gardianum Paulum, orans, pro se fide juberet. Quod ubi fecisset, Croesi divitias se adeptum putavit, statimque Spiram ad avunculum scripsit, orans ut duorum florenorum munere vel eleemosyna dignaretur, quibus pro libris comparandis pauper egeret. Statim misit ea conditione, ne se emacem ad alienam crumenam exhiberet. Quæ igitur tunc vili adeo pretio comparari poterant, neglecta olim atque nauci habita, jam ipso cariora sunt auro, & ubique fere frustra quæruntur. Hinc Jo. Buxtorfius (*x*), felix alias librorum Hebraicorum venator semel tantum ejusmodi exemplar apud Judæos se vidisse testatur. Ipsum vero illud, quod Conradi Pellicani fuit, nunc in Bibliotheca Carolina Tiguri extare observat le Long (*y*). Quanquam & propterea rariores jam sunt hujus gene-

(*x*) In Biblioth. Rabbin. p. 268.

(*y*) In Biblioth. S. T. I. p. 62.

generis libri, quod ſuis potiſſimum uſibus eos deſtinaverant Judæi, ſibique ſolis reſervare, & in omnes orbis partes ad ſuos transmittere ſtuduerant: quod ob Chriſtianorum incuriam facillime fieri poterat. Audiamus hac de re Hermannum von der Hardt (z): *Judæi quidem in Italia, Soncini, Piſauri, Venetiis auſi pro ſuis privatis uſibus uti maturius typographiæ beneficio ad deſcribendos codices Hebræos ſacros, ipſorum peculium, in 4. & folio, minorique forma. Soncinates, Piſaurenſes Judæi, qui & Bombergii officinam Chriſtianam Venetam in ſubſidium ſuum vocarunt, præiverunt omnino Chriſtianis codicis Hebræi editione. Ferri poterat illud Judæorum ſtudium, quia tota res Judæorum ferebatur. Typographiæ Judæorum calere poterant impune edendis Hebræis codicibus æque ac Rabbinorum ſcriptis & commentariis, quorum tunc non parva ſeges prodiit, citra ullum adhuc Chriſtianorum uſum. Solis omnia Judæis. Nec niſi tecte & parciſſime horum quicquam in manus venit Chriſtianorum. —— Italicarum illarum editionum Hebraicarum nullum adhuc circa annum* 1512. *apud Germanos uſum ſubnotavit querulo ore Reuchlinus A.* 1512. *in præfatione in Pſalmos pœnitentiales.*

(z) In Memoria ſeculari Ximenii. p. 45.

Quæ olim excusa fuere opera Barbaro-Græca, cum nemo propemodum in nostris oris ejus dialecti cognitione polleret, insuper habita, nunc in instructissimis etiam Bibliothecis desiderantur. Exempli causa hic duo duntaxat nomino: Leonardi Fortii Romani, Comitis Palatini, libellum de re militari & variis instrumentis bellicis, quorum expressæ sunt imagines, metris conscriptum in vulgari lingua Græca, qui Venetiis ad insigne Sirenis A. 1531. in 8. luci expositus fuit: & Petri Borranæ coronam pretiosam, ubi e regione ponuntur vocabula Latina, Italica, Græca vetera & Græca, quorum hodie usus est, ibidem quondam impressam (*a*).

Negligi etiam a plerisque solent libri, istiusmodi res pertractantes, quarum notitiam curatiorem habere paucorum interest. Ne exemplum hic desideretur, rarius obvia esse annoto scripta illa, quibus invicem digladiantur ordinis S. Spiritus Fratres de primatu, quem alii domui Romanæ, alii Montis pessulanæ vindicare satagunt. Paucorum in

(*a*) Horum librorum meminit Michael Neander in Catalogo operum quorundam præcipuorum in variis linguis, Linguæ Ebrææ Erotematibus Basileæ A. 1567. in 8. editis subjecto, p. 561. & 570.

in manibus ea verſari, vel exinde conjecturam facio, quia in Catalogo Hiſtoricorum Fresnojo-Menkeniano, alios hiſtoriæ Monaſticæ auctores diligenter recenſente, prorſus ſilentio prætermittuntur. En titulos quorundam, mihi cognitorum, partim etiam viſorum: 1. Liber de Ordine, militia & religione S. Spiritus, Gallico idiomate A. 1629. in lucem emiſſus. 2. Expoſtulatorius, Libellus ſeu commentariolus digeſtus ad reſtitutionem ordinis Hoſpitalarii Sancti Spiritus, expreſſus e libro conſcripto, & offerendo Regi ſub hac epigraphe: Tabularis imago Ordinis & Militiæ S. Spiritus, in qua permulta raritate ac novitate commendabilia inauditaque ſtudioſe fideliterque inveſtigata ad honorem Galliæ & Coronæ jura aſſerenda adnotantur: itidem Gallico ſermone A. 1647. excuſus, & ſecunda vice aliquot actis & authoritatibus auctior Toloſæ typis Joan. Bonde A. 1648. 3. Bullarium ordinis militiæ & Religionis S. Spiritus Pariſiis ex typographia Ludovici Serverti vico Mori A. 1630. 4. Fratris Petri Saulnier Galli in Archinoſocomio Romano Sub-Prioris de Capite S. ordinis Sancti Spiritus Diſſertatio, in quá ortus, progreſſusque ordinis totius, ac ſpeciatim Romanæ Domus amplitudo,

tudo, prærogativum jus, & œconomia disseruntur, adjectis aliquot tabulis æneis. Lugduni apud Guilielmum Barbier Typographum regium A. MDCXLIX. in 4.
5. Diplomata pontificia & regia ordini regulari & hospitali S. Spiritus Monspeliensi concessa cum notis, paucis abhinc annis in fol. Parisiis edita.

Pariter scripta eristica in causa religionis reciprocata controversiis illis tandem sopitis, negligi atque hinc rarescere consuescunt. Nunquam forte lis aliqua majori animorum commotione pluribusque vehementissimis libris antagonisticis agitata fuit, quam ea, quæ olim Flacio cum aliis Theologis de peccato originis intercessit: nunc vero plerumque sparsim duntaxat & raro inveniuntur scripta, hac de controversia magno olim numero vulgata.

Sed sunt insuper non pauca opera, in prisci ævi barbarie composita, quæ, amœniori literarum luce exoriente, ob ipsam suam insulsitatem in obscuros projecta angulos aliis melioribus locum cesserunt. Bibliothecarum, a monachis præcipue olim structarum, forulis, quos ea onerant potius quam ornant, merito literis majuscu-

lis inscribendum esse censeo illud πολυθρύλλητον:

Nos quoque floruimus, sed flos erat
iste caducus.

Nolo hic ineptissimorum hujus furfuris librorum recensum instituere, ne tibi pariter ac mihi gravis sim: verum saltim recitare animus est non injucunda politissimi Erasmi Roterodami verba, quibus in titulos barbarorum libris præfixos acute invehitur (*b*): *Ita me Deus amet, ad vomitum usque nauseo, quoties quorundam delicias & stultam gloriam ex operum inscriptionibus colligo. Qui cum nihil nisi meram barbariem evomuerint, audite quæso quam splendidis titulis suas nugas adornent, ut facile intelligas, quam delicate simii isti suos catulos adament. Alius quod somniavit Gemmulam, alius Margaritam appellat: hic Floretum, ille Rosetum inscripsit: at in medio, o bone Deus, ut nihil nisi carduos & lolium invenias. Est qui Speculum operi suo nomen dedit, est qui omnium errorum sylvam Catholicon ausus est appellare. Ineptius etiam quidam Mammetrectum, velut haustum lactis gallinacei pollicens. Sunt qui Summas & Summarum*

(*b*) In Antibarbarorum libro, Argentor. A. 1520. in 8. edito, p. 73. numeris per me adjectis.

marum Summas appellent, quasi lectori non sit alius scriptor requirendus, ubi tales sit nactus lacunas. —— Quis non (ut est in proverbio) suspendio trabem eligat, ubi videt hujusmodi voluminibus refertas passim bibliothecas, perstrepere ludos? Ex his contexi conciones ecclesiasticas, ex his colligi dogmata, quibus gubernetur orbis: ex his nos censeri Christianos, aut secus?

Taceo alios libros, recentiori ætate publicatos, qui ob futilitatem suam neglecti, adque blattas & tineas amandati, rarius occurrunt, ac incogniti fere latent. De unico ejus commatis judicium appeno Jo. Christiani Lib. Baronis de Boineburg, ita ad Jo. Conr. Dietericum (*c*) scribentis: *Poëmata Leonhardi Werneri, qui inter viros obscuros principem obtinet locum, redde propediem; libri enim obscurorum virorum clarorum monumentis editisque voluminibus sunt rariores. Claros nemo non novit, Wernerum ejusque similes paucissimi nosse queunt.*

(*c*) In Epistolis a Rud. Mart. Meelführero Norimb. A. 1703. in 12. editis, p. 333.

13.
Præstantiores & incorruptæ quorundam Librorum Editiones.

SUpra notavimus, nonnullas variorum scriptorum editiones celebrium typographorum cura commendari: nunc instituti ratio efflagitat, ut moneamus, quasdam, quibus ipse autor vel editor se totum impendit, easque præstantissimas reddidit, rariores esse & maximum iis constitui pretium. Omnium doctiorum facile illæ in se ipsa sua excellentia attrahunt animos, oculos manusque, & hinc quovis conquiruntur studio. Exemplo sint editiones Pandectarum castigatissimæ Gregorii Haloandri & Franc. Taurelli, quarum illa Norinbergæ A. MDXXIX. tribus voluminibus in forma quadripertita, hæc Florentiæ A. MDLIII. duobus tomis in folio, utraque ex Florentinis Pandectis repræsentata prodiit (*d*). Priorem suo jam tempore Jo. Saubertus (*e*) ra-

(*d*) Utramque curate & more suo erudite recensuit Henr. Brencmannus in Histor. Pandect. Florent. p. 325. sqq. & 350. sqq.

(*e*) In Historia Bibliothecæ Reip. Noribergensis. p. 87.

rarioribus Bibliothecæ Norinbergensis codicibus annumeravit, cujus verba hic appingere liceat: *Hoc peculiare videtur, quod omnium Bibliothecam adeuntium oculos ad se convertat, rapiatque Juris civilis* (præter enim pandectas reliquos etiam Justinianei Juris libros edidit) *castigatissima editio, quam Haloander, Florentina, Pisana & cæteris pluribus inter se diligentissime collatis, magno Jurisperitorum bono in hac urbe procuravit, dignissima sane auro illo, quo tomi omnes & singuli fulgent. Et memini, eximium quendam Juris Doctorem Altorfii quondam dicere, tantam ordinis sui homines Haloandro debere gratiam quantam, a Theologis Arias Montanus correctissima Bibliorum Hebraicorum editione iniisset.* De altera vero Godofr. Tilgnerus (*f*) ita scribit: *Est hæc ipsa in tanta apud eruditos viros æstimatione, ut hodienum haud raro L. Joachimicorum pretio redimenda veniat: immo vero ne veniat quidem, cum gratis in instructissimis Germaniæ, Galliæ & Angliæ Bibliothecis quæratur. Testes rei appellari possunt catalogi ex præcipuis non pauci.*

Sunt

(*f*) In Nova Libror. rarior. collectione, Fascic. IV. p. 710.

Sunt & aliæ causæ, quæ nonnullas quorundam librorum editiones, licet plures postea successerint, raras pretiosasque reddunt. De Christiani Druthmari, qui circa annum DCCCXL. claruisse videtur opere hæc refert Guil. Cave (g): *Scripsit commentarium in Evangelium S. Matthæi, qui cura Jo. Secerii prodiit Hagenoæ A.* 1530. *In hoc commentario non unus est locus, qui hodiernæ Transubstantiationis dogma adeo valide refellit, ut scriptores pontificii Sixtus Senensis, Cardin. Perronius, Bigneus aliique pene ad ravim debacchentur, clament Secerium hominem Lutheranum Druthmarum corrupisse, idque ex fide MS. Cod. liquere. Tam effreni calumniandi libidini ut os in æternum obstrueretur, simulque ut editioni Secerianæ fides & integritas vindicaretur, Edmundus Albertinus editionem Argentoratensem anno MDXIV. triennio ante exortum Lutherum cum privilegio Imp. Maximiliani & Leonis X. insignibus primæ paginæ adpositis, Jacobi Wimphelingii cura ex Codd. MSS. erutam protulit, in qua juxta editionem Hagenoensem eadem loca ad verbum reperiuntur. Necdum tamen contentionis finis.*

Phil.

(g) In Scriptorum Ecclesiastic. Historia literaria Tom. I. f. 371. edit. Genev. A. 1693.

Phil. enim Labbeus, quo jam se verteret nescius, in Albertinum invebitur, quod ubi editionem illam viderit, quave bibliotheca eam deprehenderit, non addidit; se nunquam hactenus in eam incidisse; nec mirum, cum ea diligentibus Germanis, Gesnero, Simlero, Frisio, præter Miraum aliosque recentiores fuerit ignota. Denique Albertini hominis hæretici, & a fide ac religione majorum suorum παραβάτα, *fidem sibi valde suspectam esse. Quo vero in posterum omnis hac de re dubitandi vel calumniandi ansa tollatur, monemus æquum lectorem, hanc ipsam Wimphelingii editionem extare penes eximium virum Thomam Tenison Ecclesiæ Anglic. Theologum celeberrimum.*

Nonnunquam etiam contingere solet, ut editiones librorum posteriores vel castrentur vel interpolentur: unde primæ genuinæ & incorruptæ rariores habentur. Sic iniquas manus passus est inclytus liber poëticus de fatis Maximiliani I. Imp. rebusque ab eo fortiter gestis, sub tit. *Theurdanck* vulgatus. Plures ejus prostant editiones, sed nulla quæ textum integrum nec vel detractione vel additione mutatum exhibeat, præter primam, quæ Norib. A. 1517. Jo. Schönspergeri typis in folio exscripta esse fertur, & secundam, ab eodem Augustæ Vindelicor.

A. 1519.

A. 1519. excusam. Quædam exemplaria purissimis membranis impressa fuisse, aliisque superbire ornamentis refert Vir Celeb. Jo. David Koelerus in peculiari Dissertatione, de hoc libro Altorfii habita (*h*), qui etiam splendidum ejusmodi exemplar alicubi 200. aureis venditum esse memorat (*i*). Idem chartis quoque impressa exemplaria primæ & secundæ editionis absque coloratis figuris perrara & inter cimelia Bibliothecæ referenda esse, præsertim illa integra, & clave authoris, quæ rarissime adest, non mutilata, pronunciat (*k*). Talmudis editio Basileensis A. 1579. sq. integro codice Avoda Sara privata est; resecta quoque ea, quæ in Christum & Christianos injuria videbantur. Majoris igitur æstimantur editiones incorruptæ. Et primitivam quidem illam Venetam suo jam tempore vix centenis Imperialibus emi potuisse arbitratus est Wilhelm. Schikardus (*l*). Memorabile quid de exemplari Bibliothecæ Oxoniensis Ve-

Ee neto

(*h*) Pag. 39.

(*i*) Pag. 41.

(*k*) ibid.

(*l*) In præfatione Tractatus Bechinath Happeruschim.

neto narrat Michael de la Roche (*m*): *Il y a dans la Bibliotheque publique d'Oxford un Exemplaire du Talmud de Babylone, imprimé à Venise en dix Volumes in folio, lequel appartenoit à Selden. Cet Exemplaire avoit été revu, conformément aux ordres de l'Inquisition par un Capucin, qui a raturé tous les Passages touchant le Messie, la Vierge Marie, les Apôtres & les Evangelistes, & tous les endroits où il est parlé de l'Empire Romain, que le Talmud appelle Malcouth Harasha'a, Regnum impium. Ces Passages raturez ne sont point lisibles: l'Encre a tellement penetré le Papier que l'on ne sauroit même lire les mots de la page opposée.*

Primam editionem Italicam Franc. Guicciardini Historiarum sui temporis, Venetiis A. 1561. in fol. luci expositam cæteris præstare rarioremque esse censent eruditi, quod eæ ab aliis immutatæ sint, textumque authoris minus purum sistant (*n*).

Fran-

(*m*) Memoires Literaires de la Grande Bretagne. Tom. XIII. p. 492. sq. Non ita pridem in Bibliotheca publica Ulmensi vidi editionem Hieronymi Frobenianam, ita male a monachis habitam, ut haud exigua pars annotationum Erasmi a crudelibus eorum manibus expuncta & prorsus obliterata sit. Conf. Dan. Franci Disquis. de Papistarum Indicibus Librorum prohibitorum & expurgandorum. p. 178.

(*n*) Vid. Hamburg. Biblioth. Hist. Cent. VII. p. 8.

Francisci Mezeraii Historia Galliæ equidem A. 1685. Parisiis in fol. recusa fuit, ab ipso auctore emendata & aucta; attamen prima editio (*o*), quædam exhibens, quæ auctor in secunda omittere coactus fuit, asservari meretur (*p*). Ejusdem Historiæ compendium quoque prodiit, cujus priorem editionem A. 1668. posteriori A. 1673. perfectiorem & hodie rarissimam esse monet Clariss. Dan. Maichel (*q*).

14.

Quæ supersunt, summatim jam perstringam, plura alii tempori reservaturus, ne nimium mea excrescat dissertatio. Rarioribus plerumque accensendi sunt libris, qui propriis autorum sumtibus prodeunt. Ex hac ratione difficulter comparari possunt Jo. Wolfii JCti Lectiones Memorabiles & reconditæ, opus utilissimum & immortalitate dignum, quod Lauingæ A. 1600. duobus voluminibus in fol. excusum fuit. Rarissima

(*o*) Tomus I. prodiit Paris. A. 1643. II. A. 1646. III. A. 1651.

(*p*) Vid. Hamburg. Biblioth. Historicam Cent. I. p. 84.

(*q*) In Introduct. ad Histor. Liter. de præcipuis Biblioth. Paris. p. 146.

ma ſunt Nicolai Marſchalki Thurii ſcripta, ſcilicet Annalium Herulorum ac Vandalorum Libri VII. Roſtochii in fol. A. 1521. editi: Deflorationes antiquitatum ab origine mundi ibid. 1522. in fol. Hiſtoria aquatilium Latine & Græce cum figuris A. 1520. in fol. ibid. Inſtitutionum Reipublicæ militaris ac civilis Libri IX. A. 1515. in fol. Impreſſa fuere hæc opera in typographia privata, quam domi ſuæ habuit Marſchalkus (*r*).

Rarius denique maximam partem comparent Chronica civitatum, vernaculo ſermone vulgata: plurima enim eorum exempla ab ejus urbis, cujus res deſcribunt, incolis, etiam illiteratis coemi, pauciſſima ad exteros deportari ſolent. Hoc unum coronidis loco jam adjicio, præter ſupra memoratos paſſimque dein citatos authores rariorum librorum notitiam ſuppeditare magnum illum Polyhiſtorem, Thomam Crenium

(*r*) Vid. Hamb. Biblioth. Hiſt. Cent. II. p. 262. ſqq. De Typographiis privatis plenius aliquando aget Academiæ Altorfinæ imo orbis eruditi ornamentum D. Guſt. Georg. Zeltnerus, qui ſchedas perpaucas beati Fratris, eo de argumento relictas, pluribus aliis obſervationibus locupletavit: uti ipſe Venerandus Vir per literas humaniſſimas me certiorem fecit.

nium cum in Animadverſionibus Philologicis, tum in aliis ſcriptis; Catalogum item Bibliothecæ ſelectiſſimæ A. Alberthomæ, Eccleſiaſtæ, dum viveret, Lugduno-Batavi, qui A. 1724. in 8. prodiit. In eo enim paſſim, quinam libri præ cæteris rariores ſint, indigitatur: etſi hic eum in cenſum nonnunquam referri ſatis adhuc obvios inficiandum haud ſit. Præterea ex noviſſima editione Roterodamenſi Dictionarii Hiſtorico-Critici Bæliani varii hujus generis libri cognoſci poſſunt. Ad ejus namque calcem annexi fuerunt Articuli quidam in ipſo opere propterea ex parte omiſſi, quod diverſorum autorum opera, e quibus in MSto ſuo Bælius loca nonnulla, plenius inſerenda, initialibus ſaltem & finalibus verbis allegaverat, quovis licet ſtudio adhibito impenſisque etiam ſumptibus (uti monet librarius) inveniri haud potuere, ut adeo lacunæ adhuc non paucæ in nitidiſſimo iſthoc opere ſupplendæ aliorum induſtriæ reſtent. Unde de illorum raritate judicium fieri poteſt. In gratiam igitur eorum, qui recentiſſima Lexici Bæliani editione non ſunt inſtructi, huc adſcribemus horum librorum titulos, notatis ſimul paginis, ubi Bailius eorum meminit.

Berault Defense de la Vocation des Ministres, p. 3041.
Bouchin Plaidoyes. ibid.
Conzan de Hæresium incremento. ibid.
Ludovici Carbonis Introductio in Logicam, Venetiis A. 1597. in 8. ibid.
Oeuvres & Maslanges Poetiques de Pierre le Loyer. Paris. 1579. ibid. & p. 3051.
Reflexions sur le Preservatif, &c. p. 3042.
Appendix Apologiæ Francisci Montani pro Societate Jesu in Gallia. p. 3045.
Georgii Braunii Catholicorum Tremonensium Defensio. p. 3046.
Jacobi Horstii Epistolæ Philosophicæ & Medicinales, Lips. A. 1596. in 8. p. 3047.
Jouberti Liber de erroribus vulgi, a Jo. Bourgesio Latine redditus, scholiisque illustratus. p. 3048.
Hosii Opera ex editione Stanislai Rescii Colon. apud Cholinum. A. 1584. p. 3049.
Jo. Lasitii Historia Fratrum Bohemorum. ibid.
Fronton du Duc Refutation de la prétendue Verification du Sieur du Plessis. p. 3052.
Naudæus de Antiqu. Scholæ Medicæ. p. 3054.
Sophocles ex editione Ratalleri cum præfat. Adriani Mylii. p. 3055.
Meynier le Port-Royal & Geneve d'intelligence contre le tres Saint Sacrement de l'Autel. ibid.
Camdeni Historia Reginæ Elisabethæ. p. 3056.
Vincentii Baronii Apologia Ordinis Prædicatorii. p. 3058.
Wendelini Contemplationes Physicæ. p. 3074.
Tilemanni Bredenbachii Sacræ Collationes. p. 3076.
Camerarii Meditationes subcisivæ, Gallice versæ a Simone Goulart. Lyon. 1610. p. 3075.
Torelli del Debito del Cavalliero. p. 3076.
Plessii Responsio ad præcipua capita Cancellariæ Bavarico-Anhaltinæ. p. 3078.

EIII-

II.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ
JOANNI BORCHOLDO
IC. CL^mo.

perſcriptus ab

JOANNE CASELIO. (*a*)

HELMSTADII

In academia Iulia excudebat Iacobus Lucius.

CIↃ. IↃ. XCIV.

(*a*) Omnia ſummi hujus Viri Opera jam dudum literati orbis plauſum meruere, cum ſtyli nitore, tum rerum præſtantia ſe æquis eruditionis exquiſitæ æſtimationibus commendantia. Hunc igitur ἐπιτάφιον, rarius obvium, ac inſtituto meo apprime convenientem, integrum hic inſerere viſum eſt.

Οὐ ΒΟΡΚΟΛΔΟΣ ἀπὸ τριόδε ἔμολ', οἷά-
τις ἀγνώς·
σεμνοῖς δ' εὐπατρίδης ἐνὶ ἤθεσιν εὐπα-
τριδάων.
ἤχθη ἐπισαμένως, καὶ παιδαρίε ἀπὸ τυτθε
Μεσάων ὕπο παιδεύθη σοφίη ἐνὶ πολλῇ,
Λητοΐδαο κελευομένε· καὶ σέρξε μὶν Ερμῆς·
ἐς δὲ τέλος ποτὶ ναὸν ἀπήγαγεν ἀγλαὸν εὔνες
δῖα Θέμις, νέον ἄνδρ' ἀποδείξασ' αὐτίκ' ἄμεμ-
πτον
εὐνομίης ἱερῆα, δίκης εὖ εἰδότα πάσης.
ὡς δὴ καὶ νομικῶν ἀνδρῶν κορυφαῖος ἔγενετο,
πολλοῖς ἡγεμόνευσι, καὶ αἰδοίοις βασιλεῦσι,
καὶ πολίεσσι φίλος πάσαις, πάντεσσι δὲ καὶ ἀ-
θλοῖς·
Εἰ δ' ἀπέβη, τί τό δε; θνητοῖς φῦναί τε θανεῖν τε
πᾶσιν μοῖρ'· ἀνδρὸς δ' ἀρετῆς κλέος οὔποτ' ὄλοιτο.

Ἰωάννης Κασήλιος.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ
IOANNI BORCHOLDO
iuriſconſulto eximio
perſcriptus ab
JOANNE CASELIO.



T in ſatis adhuc gravi morbo, & ex eo ipſo, ita loquar de eximio iuriſconſulto Ioanne Borcholdo, quando eius obitus in hoc meum tempus incidit, nec viri diuturnum eundemque graviſſimum morbum, quicum conflictatus fuit, querelis nouis deplorabo: muliebre enim hoc ſit, & alienum à vitæ noſtræ inſtituto: multò verò minimè mortem, qua finem impoſuit negotiis mortalium & miſeriis, quas, quamdiu hunc ſolem aſpicimus, perpetimur: certè omnes omnibus quocunque tempore expoſiti ſumus. Conuertam me ad ea, quæ auertunt à luctu & dolore, & in quibus eſt decus, & dignitas. Nec etiam pingam, nec referam, quæ in vulgus ampla ſunt, & aliquid amplitudinis in ſe forſan habent. Proinde non dicam de viri patria, fœcundiſſimis Saxoniæ Salinis: nec recenſebo

eius maiores & gentiles, qui eorum nostra quoque memoria floruerint, & in hunc diem floreant: quod in optimatum statu facilè, & perpetuum est. Si enim in vllo alio, in hoc ad virtutem, & suam ciuitatem sedulo educantur, modò quis rationem rerumpubl. intelligat & considerauerit: id verò Lunæburgi religiosè fieri, fugit omninò neminem. Adminicula etiam virtutum præcipuarum singularia minimè negligunt. Plærique enim optimates liberos suos bonis litteris erudiunt à pueris. Intelligunt enim teneros animos ita mirificè ad humanitatem informari, & paullatim salubrium consiliorum copia, quibus aliquando vtantur, rectissimè instrui. Hæc litterata educatio Ioanni Borcholdo eiusque fratribus domi primum obtigit. Quam etiam vrgebat Statius Borcholdus pater, vir sapiens, quem annos quadraginta primo loco sententiam in senatu dixisse accepimus. Cedebat autem hoc feliciter, quod vir doctissimus Tullichius iuuentutem rectius docebat. Explosa enim inueterata barbarie, elegantioribus litteris familiares primus summa diligentia imbuebat. Hac etiam de caussa factum fuisse existimo, vt nec puberes, nec ephebi primulum in academias mitterentur: nec

nec id reprehendam, si simul etiam animi eorum, & mores liberaliter informentur: quod illo magistro fiebat, neque in domestica disciplina isto loco negligebantur. Maturè demum in academias, quæ in Germania multæ sunt, & tum doctissimis moderatissimisque viris florebant, missi fuerunt: Ioannes è patria Vitæbergam ad Albim. Quis ibi illo tempore status fuerit, est hodiè quoque in memoria & sermonibus hominum. Melanchthon enim docebat primo loco, habitus & dictus præceptor merito suo, de cujus doctrina, fide, bonitate, animi moderatione satis ex dignitate dici non potest: multique viri, multis in rebus similes Melanchthonis: eius certè, vestigiis plærique insistebant, nec poterant aliter. Plures enim exemplo non inuitant solum, sed cogunt etiam ad similia instituta reliquos: id valere, & fieri in vtramque partem, non attinet multis ostendere. Quis enim non videt, qui meminerit, aut spectet, quæ ab illo tempore non vno loco gerantur hactenus? Erat Ioannes Borcholdus prorsus natura ad omnem humanitatem factus; nec erat omninò vllum in eius ingenio asperitatis vestigium: quod si fuisset, in eiusmodi animi spinis euellendis fecissent

ſent ſuum officium litteræ: quæ in alteram partem officium ſuum fecerunt egregiè: dum natiua illa bona, quæ dixi, & religiosè conſeruarunt, & mirificè auxerunt. Eius rei argumenta in Borcholdi omnibus vitæ partibus extiterunt, ſiue quid priuatim, ſiue publicè, ſive domi, ſiue foris, ſiue ſeriò, ſiue obiter, quaſique aliud agens, gereret. Nec dubium eſt, quin doctiſſimorum hominum, quos dixi, optimis illis exemplis ille mirificè fuerit confirmatus, quaſique animo corroboratus. Eſt multorum ſeculorum conſuetudine receptum, vt ſe fortunatiores quique ad ſtudium iuris conferant: nec omninò res cauſſa caret. Multæ enim ſunt & graues, & neceſſariæ. Idem igitur & ille agebat, non ſolum magno cum profectu, ſed magna etiam cum laude. Non enim id agebat aut oſcitanter, aut negligenter. Sic enim erat in illo legum ſtudio, vt ſimul etiam Græcas Latinasque litteras, multos annos ſingulari diligentia coleret: id eſt vtriusque linguæ & ſcriptores alios, & oratores, & hiſtorias, legeret. Etenim, qui hoc neglexiſſet, ei iter ad eloquentiam, & prudentiam ciuilem obſtructum, acceperat: nec eum eius rationis deinceps vmquam pœnituit. Non

ſolum

ſolum enim eam ipſam ſemper prædicauit, & aliis commendauit, ſed etiam eiusdem maiori natu filio auctor extitit. Atque eam ſecutus fuit Statius, & in ea ipſa perſeuerat cum fructu maximo. Dum hîc viuo, qui ſunt anni pauculi, pater non ſolum cætera, ſed hoc, quod in infimis eſſet, mihi ſupra modum prædicauit: quantulam haberet Græcæ linguæ peritiam, eam ſibi magno vſui fuiſſe, & ſe hoc adminiculo in multis grauiſſimis materiis eruendis & explicandis, magnoperè fuiſſe adiutum. Ego, etſi futuro iuriſconſulto eam linguam omninò neceſſariam eſſe nequaquam dixerim, tamen tanti viri ſententiæ libenter ſubſcribo. Intelligo enim, eorum eſſe aliam conditionem, qui in academiis principe loco docent, & commentarios tranſmittunt ad poſterôs: quorum vtrumque ipſi ſtudio fuit. Quoniam verò Borcholdus in iuuenta etiam & eleganter eruditus, & in altero ſtudio cum æqualibus ita profecerat, vt plures ſuperaret, cogitationem quoque ſuſcepit de longinquis etiam terris adeundis, ſicut in more poſitum eſt Germanis. Quo nomine laudo noſtros homines, qui, & quid alii agant, & cuiuſmodi doceant, videre, & audire cupiunt, vt non ſolum doctiores,

ſed

ſed etiam cæterarum rerum peritiores domum reuertantur, atque ita demum, non illotis, vt aiunt, manibus, ſed ſic ſatis inſtructi, accedant ad rempublicam. Plærique mortalium non tàm quod rectum, quàm quod neceſſarium eſſe ſentiunt, compendiis ſuis, & lucro ſtudent, &, quod in ipſis eſt, augendo patrimonio non ſemper neceſſitate, ſed ſæpè magis cupiditati obſequentes, dies noctesque, relictis aliis, incumbunt. Ex iis domi finem ſuum non omnes aſſequuntur. Alii & ingenioſiores, & eius rei ſtudioſiores, terra marique illud negotium vrgent, nec etiam deterriti, vel inſidiantium, vel tempeſtatum periculis. Ad eas autem gentes ſe conferunt, vnde quamplurimum commodi auferant, quamuis illæ incultæ, ſiue barbaræ, ſiue etiam prorſus immanes ſint. Noſtrum contrarium eſt conſilium, qui virtutem & ſapientiam ſectamur; ſpretis ſiue præteritis reliquis omnibus, de quibus ſummæ inter homines contentiones, atque digladiationes ſunt. Illa autem non niſi in longè cultiſſimis populis inuenias: cuiusmodi eſſe ſcimus & prædicamus ſupra cæteros Galliam & Italiam: quibus, ni fallor, cæteræ quoque gentes, in quibus humanitas locum habet,

habet, eam laudem absque inuidia tribuunt. Mihi nunc animus non eſt eos inter ſeſe comparare: neutros autem errare exiſtimo, nec hos, qui ſe in Italiam, nec illos, qui in Galliam propter vberiorem ingenii cultum, & vſum aliquem rerum, conferunt. Borcholdus noſter in Galliam iuuenis profectus fuit, nec mirum, quod ipſe egregiè politus, virum longè politiſſimum præ aliis ſibi adeundum & audiendum cenſuit: quo duce id, quod maximè vellet, ſe rectiſſimè adepturum conſideret. Nobis adoleſcentulis jam tum paſſim gentium clariſſimum erat nomen Iacobi Cuiacii: & ab eo tempore clariſſimum eſt: quod nec inuidia negare poſſit, nec maleuolentia: nec his etiam indignantibus & aduerſantibus, illud Cuiacii nomen vllis deinceps ſæculis abolebitur. Non me fugit, iam ab initio alios aliter de illo viro ſenſiſſe: cui otium eſt, ex plurium ſcriptis contraria de ipſo iudicia fortè cognoſcet. Primùm, homines longè doctiſſimi, viri ingenium, & eximiam multiplicemque eruditionem ſemper admirati fuerunt, & ingenii monumentis paſſim in cœlum extulerunt: ſic enim illi ad vnum omnes ſentiebant, maximum adiumentum ad diſciplinam iuris ciuilis

lis attulisse, & multas eius partes præclarè illustrassè Cuiacium : certè, quin omnes ingénii neruos eò intenderit, nemo nostrûm dubitat. Meri autem iurisconsulti, & ab omni reliqua liberali doctrina vacui, Cujacii nomen & lucem non tulerunt, & ex quo, nisi fallor, multa singularia, aut saltem paucula discere potuissent, ei non solum omnem legum ciuilium scientiam auctoritate, siue arrogantia sua derogarunt, sed vix etiam locum in infimo subsellio hominum eruditorum reliquerunt: & quem omnes doctissimi homines longè doctissimum prædicarunt, quidam iniqui & absurdi ingeniorum existimatores, in rebus nihil aut parum admodum videre iudicarunt. Vidi tamen etiam in manibus habere commentarios Cuiacii, qui præter volumina iurisconsultorum alia non tractassent : quibus commentariis vti fortassè falsum non sit : vbi eos sequaris, nec id fortè quiuis iudicauerit. Fieri enim non potest, vt quis ita inueniat & perscribat omnia, ne quidquam omnium desideretur : & habent primi homines sententias interdum suas, quę vt non temerè repudiandę sunt, ita non semper amplectendæ. Verùm pro tanto viro res loquitur. Mea non nimium laborabit

rabit oratio. Viſum fuit Borcholdo, præ cæteris doctoribus huic eximio operam dare, quod viſum fuerat, & deinceps viſum fuit multis aliis ingenioſiſſimis doctiſſimisque iuuenibus: quorum audiui neminem, quem inſtituti ſui pœnituerit: plærique ſibi mirificè de ſua illi data opera gratulati fuerunt: imprimis autem hic noſter. Nec tamen ipſe magiſtrum ſuum, quamuis nobilem, vt Samium philoſophum audiebat: nec vmquam eius mancipium, aut cuiusquam eſſe voluit: ſed ſemper veritatis cultor & interpres, etiamſi illius doctoris ſui veſtigiis potius, quàm aliorum inſiſtere maluerit. Porrò quod ſtudioſi ſapientiæ ſemper ſecuti fuerunt, vt & ſtudiis, & peregrinationi ea cauſſa ſuſceptæ non parum temporis tribuerent, in eo ipſo ſe quoque prudenter geſſit. Etenim, cum optatiſſimo magiſtro ſuo annos tribuiſſet quinque, totidem & perluſtrandæ Galliæ, & audiendis cùm aliis hominibus doctiſſimis, tùm iuriſconſultis eximiis tribuit, vt virtute doctrinaque cumulatior in patriam rediret. Non poterat ei exprobrari quod multis, quibus ſuæ res non ſatis cordi ſunt. Nihil eſſe turpius, quàm domo abeſſe diu, multosque adeò annos, &

earum rerum, propter quas omnia institueris, vacuum reuerti. Borcholdus igitur, vir doctissimus, & iurisconsultus ad suos rediit, suoque aduentu mirifica voluptate & ipsos, & patriam perfudit. Tanta virtus, tanta doctrina latere non potuit, neque debuit. Fama verò maturè eum anteuertens, non solum in patria, sed passim etiam disseminauerat, quantus ille vir domum reuerteretur: ac venit ea ad mare Balticum, Rostochium vsque, vbi ipsiné, an illis hominibus? multum conciliaret boni. Hoc vt magis intelligatur, quædam altius aperire, necesse habeo. In quibus exponendis ea cautione vtar, qua potero, ne quis quid iure reprehendat. Fortassè enim omnium calumnias ne cautissimus quidem euitauerit. Quæ controuersa sunt, aut esse possunt, non attingam, nec vllibi meum iudicium interponam. Pertutbatissimus erat tum status reipublicæ Rostochianę & grauiter omnibus suis partibus periclitabatur, adeò vt vix spes vlla salutis appareret. Tempus indicabo, & historiam, vt dixi, perstringam breuissimè, quam, qui prorsus ignoret, ei virtus, doctrina, industria, fides Borcholdi innotescere non potuerit. Quo tempore acre &

diu-

diuturnum bellum terra marique reges, Fridericus II. Daniæ, & Ericus Succiæ, inter se gerebant, illius belli initio grauis seditio gliſcebat quoque Roſtochii: vix diſcerni poterat', populusné, an optimates plus valerent: hi se primos putabant, & fortè erant, sed plebei omnia ad se referri volebant, & ſibi rationem reddi, ſi quid geſtum eſſet: quod ſubire ſenatui fortè graue foret: hinc inſurrexit plebs adverſus patres, vnius alteriuſúe improborum & viliſſimorum ciuium clamoribus & furiis excitata: ipſe vidi, vt ſenatum in curia, quaſi in carcere occluſum tenerent, vt, quæcunque vellent, extorquerent, vt vigilias per oppidum ducerent & diſtribuerent: iacebant leges & conſilia: ſenatus quotidiè deliberabat, conſilium capiebat cum maritimis vicinis ſociis ciuitatibus: proficiebatur parum: appellabantur & principes Megapolitani, qui auctoritate ſua initio parum proficiebant: deferebatur etiam negotium ad imperatorem Maximilianum II. imperator mandabat principi Ioanni Alberto, vt de tumultu compeſcendo ſedulò cogitaret: quod ille, occaſionem hanc nactus, minimè negligendum ſibi putauit, etiam eam ob cauſſam, vt in ordinem redigeret, qui

 impe-

imperio principum, id est, suo & fratris, minus dicto audientes esse putarentur. Anno eo pestis etiam irrepserat in vrbem: tamen subitò, & pænè clam conscriptis quibusdam copiis, princeps ad vrbem venit, exspectatus etiam à patribus: sed alio longè exitu, quàm sperabatur. Persuasum fuit ciuibus, vt princeps cum copiis intromitteretur, & quæ perturbata essent, videret, rebusque compositis, gratiam à suis reportaret. Qui consiliis militaribus præerant, vrgebant vt arma ciuibus adimerentur: id repentè cum incredibili dolore ciuium factum fuit: decretum item, vt idoneo loco castellum oppido imponeretur. Quæ cum & alia ad principem Vlricum consortem imperii referrentur, & ipse accurrit. De castello, id designatum exstrui ceptum: vt turbatis rebus, multa noua, & grauia omnia erant, & multò grauiora metuebantur: excors erat & exsanguis ciuitas: nec quicquam spei reliquum, nisi quantum leges imperii patefaciebant. Sunt enim leges de pace publica contra vim, si quis se ea fortè premi existimet, quarum præsidio omnibus ordinibus vti rectè licet. Ibi cum opus esset senatui populoque Rostochiensi cùm aliis viris prudentibus, tùm

legum

legum peritissimo quoque, nihil prætermiserunt, quod sibi ex vsu futurum crederent: atque etiam Borcholdum tùm ad consulendum, tùm ad docendum in academia, accersiuerunt. Docere cepit vir doctissimus summa cum laude & profectu auditorum, vnde quoque celebrior fuit illa academia, & ipsius opera expedita etiam à pluribus: in negotiis verò illis publicis sese gessit vt bonum ciuem, virum sapientem, & eximium iurisconsultum decuit: quæ omnia singulatim explicare, nec fortè meæ facultatis est, nec adeò angusti loci. Erat, vt natus in florente repub. libertatis ciuium amans, & consilio semper, impetu nunquam vtebatur, quin si qui quid temere vellent, eos ratione & facundia retrahebat: in tractando autem negotio à filo legitimo iuris, latum vnguem non abibat: itaque ipsos annos nouem & ornamento fuit academiæ, & præclarè de ciuitate mereri perrexit. Quanta autem eius viri merita sint, testatur tùm ipsius ciuitatis, tùm singulorum ergà ipsum beneuolentia, & ipsius meritorum prædicatio, tùm eius desiderium perpetuum, ex quo inde sese aliò commoverat. Sub id tempus æmulatus alios principes, fundauit nouam academiam, quæ de conditoris no-

 mine

mine ſtatim initio Iulia fuit dicta: noſtram hanc dici intelligitis. Prima ejus fuit cogitatio de doctoribus: ita ſit, vt hic de me dicere primum neceſſe habeam: hoc non niſi modeſtè faciam: Facta fuerat mei mentio in ſenatu principis vt hominis eruditi, & tot annos iam in docendo verſati, & Brunſuigii. Dux igitur, cum me unum de ſuis ciuibus intelligeret, ſine dubitatione acciri iuſſit, ipſe mihi ſuam ſententiam expoſuit, benignè me audiuit, perliberaliter mecum egit. Quoniam verò magna beneficia à puero à duce Ioanne Alberto Megapolitano acceperam, & Roſtochii domum habebam & familiam, meum eſſe exiſtimaui, vt illum ipſum compellarem: itaque feci, & impetravi quod vellem, iamque de migratione pænè certus eram: quæ vt impedita fuerit, neſcio an queri liceat. Non eram incognitus, nec eſſe fortè debui, homo neque tum obſcurus, vbi eſſet aliquid litterarum, tamen viſum fuit vni ex mê quærere, de quibus mihi reſpondere vel non erat integrum, quod mea perſona inferiora eſſe ducerem, vel nequaquam meæ profeſſionis & ſcientiæ. Ita quod minimè ſperaueram, ipſe profectò inuitus & dolens, ſubindignante etiam mihi, vt aiebant, non-

nihil

ipso duce Iulio, illo tempore locum non mutaui: nunc hæc cur inserenda putauerim accipite: In illis sermonibus, quos dux Iulius tunc mecum in arce Guelfia habuit, aiebat & iterabat: Mihi, inquit, curæ cordique est, vt moderatissimi & doctissimi quique in academia mea Iulia doceant (quam identidem filiam appellabat, & quibus multis aliis nominibus res charissimas notare consueuimus) sed vtar potissimum ciuibus meis: quæ caussa est cur te vocarim: & eos munificè habebo. Ibi tum facta fuit honorifica etiam mentio, & aliorum, & Borcholdi nostri, quem ex patria princeps optimus statim etiam pro suo habuit, & de eo accersendo, ut academiæ potissimum seruiret, constituit: litteras ad eum in eam sententiam paullò post dedit. Litteræ principis adeò clementes Borcholdum sanè mirificè affecerunt, nec paullò magis, quam vllæ aliorum principum. Aliquoties enim & antè, propositis præmiis, aliò accitus fuerat, & sanè etiam in academiam Vitæbergensem à septemuiro Saxonum Augusto, qui in homines doctos mirè semper munificus extitit. Verùm quas dixi litteræ, primæ omnium eum singulariter commouerunt, sed non ita subitò permouerunt. Etsi

morem gerere principi ſupra modum cupiebat: tamen id magnum opus, quod aliquot iam annos cum præcipuis agebat, minimè ſibi relinquendum eſſe rectè iudicabat: acceſſit populi fauor, qui eum dimittendum non ſolum tali tempore, ſed virum tam benè meritum non putabant, tamen cum in vrbe eſſent ſedatiora omnia, & non quidem optato, ſed multo certè meliore loco, quàm paullò antè fuerant, ita facilius dux Iulius obtinuit, vt Borcholdus lubens, concedente republica, migraret in academiam Iuliam. Lis enim pendebat, quæ pluribus annis duratura crederetur: etſi id ſecus accidit, vt multa in rebus mortalium alium euentum ſortiuntur, quàm quem ipſi præuiderint ſuſpicatiúe fuerint. In hunc locum etiam conferam, quod omittendum non eſt, etſi tempore aliquando poſterius. Cum enim annis interiectis pauculis Fridericus II. rex Daniæ grauiter ferret controuerſiam, quæ Roſtochienſibus erat cum duce Vlrico ſocero ſuo, ipſe vltrò plus, quàm auctoritatem ſuam interpoſuit, & Roſtochienſes, bono tamen ſuo ipſorum & totius Megapoleos, pænè coëgit, vt nouam rationem inirent, & iuris ſui, & principum gratiæ retinendæ. Non poterat ciuitas in

tam

tam ardua deliberatione carere Borcholdi consilio, etsi pridem abierat. Advenit igitur ille rogatus ad tractationem negotii, quæ instituta fuerat in aula Gustrouiana. Quid multis? & huius, & sapientium plurium, quibus pax, & salus publica curæ esset, illæ lites non tàm compositæ, quàm penitus sublatæ fuerunt. Ciuitas cum ducibus suis in gratiam rediit, eadem apud regem gratiosior esse cœpit: rex ipse è vestigio suæ erga illos ciues benignitatis non dubia signa edidit. Borcholdus autem, quod hic præcipuè dicendum erat, non solum veteres amicos sibi multò arctius deuinxit, sed etiam sapientiæ laudem ab iis reportauit, quibus, quod aduersæ partis res administraret, carus admodum esse non potuerat. Nunc ad institutum redeo. Magna fuit in hac academia Borcholdi exspectatio, cuius etiam magno bono aduenit. Ad eius enim famam multò plures aduolabant: atque ipse omnium exspectationi facilè satisfecit, docendo, scribendo, consulendo: quæ munera academica etsi sola se gesturum credidit, tamen & ad principis negotia accersitus fuit. Quî autem benignissimo & humanissimo principi eam quoque operam is negaret, qui familiari vix aliquid negaret? Ita

ſemper habuit negotiorum & laborum ſatis, quorum & fuit tolerantiſſimus, fretus viribus corporis, & firmitate ingenii. Quin cum aliquando à me moneretur, vt ſibi nonnihil parceret: ſubridens inquit, ſatius eſt in officio concidere, quàm ignauia & voluptatibus turpiter perire. Vt autem, quæ ſibi onera imponi pateretur, toleraret rectius; tractationem rei domeſticæ, quamuis amplæ, & multis partibus difficilis, à ſe remouit, quantum potuit. Cui autem rem familiarem potius crederet, quam uxori prudentiſſimæ, ipſi in re lauta, & laboribus domeſticis probè educatæ? Quod igitur marito erat neceſſarium, eidem in tantis occupationibus, à quibus aliò reſpicere vix vmquam poterat, percommodum accidit. Eidem vero etiam omnem curam educandarum filiarum reliquit. Earum duas maturè viris præſtantibus in matrimonium collocauit, primam patricio Brunſuicenſi Burcardo Napio: ſecundam Gottingenſi patricio, populari meo iurisconſulto Ieremiæ Richelmio. Educationem autem filiorum ſibi reſeruauit, deque ea ſapienter conſtituit, quod & res ipſa loquitur. Namque de impubere bona magnaque ſpes eſt, alter, poſtquam de ſententia patris in litteris

& le-

& legibus educatus & eruditus fuit à paruo puero in multam iuuentam, paternis vestigiis feliciter & singulari cum laude insistit, nec se ab instituto vllo umquam tempore vllis rationibus dimoueri patietur. Cum Borcholdus huc Rostochio primùm veniret, splendidè, vt homo magnificus ædificauit: cumque splendidè habitaret, statim ab initio ferè ad vltimum vitæ tempus illustres hospites domi habuit. Erat igitur illa domus tum musæum atque Themisteum iurisconsulti doctissimi & clarissimi, tùm aula semper plurium principum: vtrumque magnum, sed maius alterum, quod minus admiratur populus. Animos atque oculos commovet celebritas, sed in eadem re molestiæ inesse & laboris plurimum, testis ipse sum locuples: cujus domi semper quoque primatum & fortunatorum hominum filii vixere litterarum gratia. Ex iis, quæ antè exposui videre est, fuisse Borcholdum gratiosum admodum apud ducem Iulium: maius est, nec id prætereundum censeo, quòd singulari illa gratia non abusus ad auaritiam, sed usus fuit ad beneficentiam. Auctoritate enim sua sæpè multos commendabat principi, vir, vt initio quoque dixi, ad humanitatem natus, & doctus ad beneficentiam.

In

In quo beneficentiæ genere, etsi me magno studio cautissime gessi, tamen periculi esse non parum, deprehendi aliquoties: non solum quia interdum specie fallimur, sed multò magis, quia, quem commendauerimus, eum ab omni parte integrum præstare etiam debemus. Fuerat à me ille olim verè laudatus ad ducem Iulium, & ipse apud illum ipsum mihi gratiam retulit, cum semper sedulò id ageret cum paucis aliis, vt tandem ego quoque migrarem in academiam Iuliam. Diu obstitit aliud ex alio, ac sanè ab annis pluribus. Quàm autem ipse princeps idem vellet, tùm litteris testatum fecit perbenignis, tùm oratione, qua voluntatem mei ornandi prolixè item declarabat, cum me iterum non alia de caussa vocaret in arcem Guelfiam: vrsit tamen imprimis, à quo ego profectò non abhorrebam, anno abhinc quinto: ac futurum erat quod euenit, sed sub id tempus dux Iulius rebus humanis exemtus fuit. Patri successit filius Henricus Iulius, magnus heros ut vno verbo dicam, quæ longa oratione explicare arduum foret. Is initio imperii sui, accersito mihi ad docendum in academia Iulia, non minus præmii, quàm patri visum fuerat, liberaliter attribuit. Ab eo tem-

tempore hic quoque vſus fui Borcholdo, collega amiciſſimo, ita vt olim Roſtochii: nec ſolum mihi nihil officii negauit, ſed multa ſæpè obtulit, quibus uti quoque non dubitaui. Nec alius erga cæteros collegas fuit: nec cuiquam eorum vllo loco defuit: & inprimis in eo laborauit, vt, ſi quid inter quos diſcordiæ oriretur, id vel auctoritate, vel ratione tolleret: indignum ratus, homines doctos, qui exemplo cæteris mortalibus eſſe debeant, ob cauſas vel leuiculas, vel etiam grauiſſimas, animis inter ſe diſſidere. Offenſæ enim nullius momenti, ſi ſapimus, aut, quod profitemur, ſapientiæ operam damus, nihil nos mouebunt: graues autem iniurias in alios moliri minimè, inter nos verò beneuolentia & beneficentia maximè certare debemus. Id cum ille ſentiret, ſi quis contra faceret, eum ridere absque acerbitate, vel ſi opus eſſe putaret, acriter reprehendere non dubitauit. Biennio poſt in morbum ille grauem incidit, quo omnes ipſius vires tentatæ multùm labefactari ceperunt. Tamen quoties ſeſe nonnihil collegit, ad docendum rediit, & quibus potuit negotiis, præſtò fuit. Domi denique plures ſcholas habuit: ſed duos ille annos, proh dolor, morbo morbisúe obnoxius

noxius fuit. Quo suo tempore animum fortem gessit: id quod magis & agnosco & prædico, quoniam in hoc bimestri morbo, cui tertius mensis accedit, in me parem animi magnitudinem magnoperè desideraui: siue tam exquisiti fuerunt dolores, quod ipse dixerim, siue præstantiam tantæ virtutis ego minimè adeptus fui, de quo neque pugnauerim. Borcholdus igitur & morbi tantos impetus, & ipsum denique fatum, ut vir & miles Christianus & pertulit, & superauit transacta vita, eo quo tenore diximus, vt semper dignum ipsius conditione & loco fuerat, relicto non solum liberis, sed aliis quoque exemplo perquam nobili, & in nostro eruditorum ordine sane illustri. Vixit annos duodesexaginta, M. IIX. D. V. & viuet ingenii monumentis deinceps passim gentium. Cum enim ipse iuris scientissimus docere ceperit ab annis pænè triginta, & docendo semper plurimum profecerit, habuit in promptu haud vulgaria, quæ cum auditoribus communicaret, & hoc sedulò egit, vt & recta, nec quidquam triuiale ex editiore loco traderet. Quare minimè mirum, si talia eius familiares non audire solum, sed & in commentarios referre desiderarint: nec mirum, si eadem ab

aliis

aliis visa, valdè expeterentur & flagitarentur sæpius. Fortè enim vir ille longissimè ab inani gloria rèmotus, suorum nihil edidisset: idem tamen amicis morem gerendum censuit, & quia sibi solidæ scientiæ, certè recti studii conscius erat, non extimescebat quorumque censuras, maleuolorum verò (quoniam absque inuidia nihil publicari intelligebat) iudicia siue calumnias magno animo contemnendas iudicabat. Sunt in manibus iuuentutis eius commentarii in quædam præcipua iuris capita: vt de pactis, de vsuris, de feudis, de gradibus, de acquirenda possessione, de transactionibus, de iureiurando, de in litem iurando. Idem verò etiam elementa iuris illustravit post tot earum institutionum interpretes, & veteres, & recentiores. Cum enim illi in litterarum tenebris multa videre nequiuissent, rectè nostro & patrum nostrorum sæculo exorta luce litterarum, posteriores homines eleganter docti subsidii attulerunt, quantum in ipsis fuit. Cum autem non pauca ab vtrisque relicta fuerint, & fortè in nonnullis aberratum, rectè fieri ab aliis indicandum est, qui & ipsi studio suo iuri ciuili eiusque cultoribus subueniunt. Non attulisse autem paruam sym-

bolam

bolam Borcholdum, res ipſa loquitur, nec æquus lector inficiabitur. Sunt præterea ejuſdem aliæ vigiliæ priorum ſimiles, & luce lectioneque dignæ: quarum & publicatio promittitur: de verborum obligationibus commentarii, de rebus creditis, de compenſationibus, de nautico fœnore, de obligationibus & actionibus. Accedent, credo, & diſputationum libri. Qui doctoris noſtri laudem deterere volent, in illis grande nullum opus ſe videre inquient: quaſi in mole præſtantia vel virtus ſit, non verò in bonitate, ut probi iudices ſentiunt. Ipſi ſtudio non fuit, vt comportaret grandia volumina: quod indoctiorum & compilatorum proprium eſt. Quid autem facilius, quàm quæ tot ſæculis ſexcenties ſcripta ſunt, ex iis, quaſi magnos etiam aceruos voluminum, in quibus tuum pænè nihil ſit, ante pedes exſtruere. Id vilis etiam ingenii eſt, & potius ad opus ruſticum nati, quàm cultum aliquem ſapientiæ. Igitur quod improbabat, & omninò improbandum eſt, ſtudiosè etiam fugiebat: quo nomine & laudem meretur meo iudicio. Studuit, vt ex fundamentis doceret, res dilucidè exponeret, idque pura oratione, quouſque materia ferret. Cum enim tot ſæculis multa

noua

noua accesserint, vt in qualibet ciuitate fieri solet, multo magis in imperio fieri necessum est, peregrinis vti, quæ vetustas etiam ignorauerit, adeo falsum non est, vt, qui contrà eadem Latinius affari affectet, longissime mihi aberrare videatur, vt qui negotiis tenebras inducat, quæ lucem desiderent. Porro cum ad dignitatem doctoris augendam non parum faciat, si quid de eius auditoribus memoratu dignum adferas; multa haberem, quæ de eius familiaribus verè dicerem, nisi id declinandæ inuidiæ gratia omittendum iudicarem. Non libet enim mihi, nec licet homini pudenti, præsentes quasi in os laudare, quod & ipsis, & aliis auditoribus graue sit, & in aliam partem, atque à me fieret, possit accipi. Non dissimulabo de quo constat plurimis, prodiisse ex Borcholdi disciplina; qui in academiis, in ciuitatibus, in aulis principum cum bono publico floreant: qui, etsi in eadem disciplina & alios nobiles doctores audierunt, tamen se ad hunc magistrum cum summa eius veneratione, & suæ felicitatis gratulatione, lubentes vltrò referunt: ita ut fortissimi quique milites bellicosissimos duces suos sæpè in ore habent, & iactant gloriosius, sub quorum signis ipsi

aliquando militarint. Hæc in graui meo morbo, & ex eo ipſo (libet enim mihi iisdem verbis orationem terminare, quibus vt ordirer, hoc tempus meum me monebat) apud animum meditata dictaui: quibus ſi lectori minus ſatisfecero, nonnulla tamen accepturus ſpero, quæ, ſi minus jucunditatis, rerum aliquid in ſe habeant. Officium, quod amicitiæ debui, quodque veritati & virtuti ſemper debeo, ut rectè præſtarem, dedi operam, etiamſi lumina verborum, quæ requirerentur, non acceſſerint.

ME-

MEMORIAE
JOANNIS BORCHOLDI
ICti. CLmi.

ERgo iterum lumen, quo non illustrius ullum
Impositum nostris promicuit cathedris:
Quod fulgore suo radiantia sidera vicit:
Quod noctis dubias dissoluit tenebras:
Vnde minora suam repetebant lumina lucem:
Multorum gressus quod poterat regere:
Qualis ad Oceani scopulos, Syrtesue dolosas,
Stat Pharos, & nautis utile monstrat iter:
Hoc, inquam, lumen cœlesti fomite plenum,
Flatibus insani turbinis occubuit.
Heu cathedram infelicem! heu pulpita deploranda!
Vester honos vestrum eheu diadema iacet!
Impendent tenebræ & tempestas nigra propinquat,
Obnubet nitidam fors etiam umbra diem.
Ni lucis sator ætherius, fulgore corusco
Irradians, viduas clarificet cathedras:
Ni patriæ Pater eximius vacua atria lustret,
Exstinctæ æqualem substituatque faci.
Fata utrumque velint. Tu verò, ô nobile lumen,
Sydus Olympiacis ignibus adde nouum.
Non prius absistes iubar orbi ostendere purum:
Quam vultus Titan occulat auricomos.

Henricus Meibomius, Poëta Cæsarius,
academiæ Iuliæ professor publicus, f.

MEMORIÆ EJUSDEM.

Borcboldi celebro laudes: ignoſcite manes,
Quæſo, viri, nunc o cœli inter clara Quirites
Vmbra; mea ſi quid forſan tibi detraho culpa.
Sed nec de patria, nec de gentilibus vllum
Heic verbum facio; quamquam illa & robore Martis,
Et virtute viris præſtantibus ingenioque,
Et iuſtis legum imperiis & diuite opum vi,
Oppida, quotquot habet Germania, pleraque vincit:
Iſti, interque ſuos interque alios, & honore
Et meritis clari æternùm fama alite viuunt.
Queis nil præterea indulſit natura, quibuſue
Ipſorum vitiis, ſi quid dedit illa periuit;
Hæc omni varioque ſolent ornata colore
Ferre palam, & ſpeciem informi prætexere monſtro.
Qui noras (ſeu quis ſolus non noveris, ex me
Diſce) animum ſpecta ipſum hominis, quàm candidus, & quàm
Labe omni vacuus; qualis nix æthere ab alto
Lapſa recèns, qualisvel pellucens Hyacinthus.
Non tantùm inuidiæ ſubter præcordia nidum
Non dare; quin, ſi quos ventis Fors læta ſecundis
Aequore tranquillo veheret; multò magè, ſi quos
Efferret virtus, aut ars bona, conſpiciendos
Præ reliquis; gaudere, optare hæc perpetua illis;
Hos etiam colere, admirari; imò ipſe, beatos
Vt faceret, magnosque, alios, non parcere ſumtu
Non operæ, notos ſimul ignotosque iuuare,
Qua poſſet; dignos cunctos & ducere gratos:
Vt ſit; ut optimus es, ſic ſuſpicionē laboras
Quàm minimùm: contrà malus ex ſeſe æſtimat omnes:
Si quis amans veri fuit, hic fuit; omnia ab imo
Pectore erant, quæcumque ageret, vel verba ſonarent.
Sic mens inter ſe ſic dicta & facta coibant:
Certa fides illi; neque quemquam terræ alit orbis,
Illo deceptum qui ſeſe autore queratur.

Quem

Quem non aut populi ſtudio, plebiſue fauore,
Deflexit quòquam ambitio de tramite recto;
Gratia nec regum, vel præſidia ampla potentum
Impulerunt certos animi mutare tenores:
Tanti adeo imperia & titulos faciebat inanes,
Tanti, poſſe palam metui, miſeriſque nocere.
Sed nec opum cumulos alius contemſerit æquè:
Quas ſi tam inſanè tua mens prægeſtit apiſci,
Quàm plerique hominum; ſi aurum non feceris bili;
Ecquem adeo ſeruum, quàm te, fore rere? quid à te
Exſpectare iubes patriam, ciues & amicos;
Quid matrem, prolem, cognatos, denique te ipſum?
Qui tibi cuncta rapis; defendens acriùs illa,
Quàm cui ſemeſus caper hæret fauce, Leæna.
Interea ſatis argentique aurique reliquit,
Et locupletis agri; quamquam his etiam vſus abundè eſt.
Spernentem ſæpiſſimè honor ſectatur, & altè
Supra alios omnes tollit pernicibus alis:
Idem præcipitet ſubſellia ad infima, niſu
Si quis contendat nimio importuniùs illuc,
Vnde procul viles deſpectat purpura floccos.
Borcholdo, licet hæc minimè illum cura fatiget,
Ex quo firma virum iam primùm fecerat ætas,
Gloria, virtutiſque pediſſequa grata laboriſque,
Vltro fit comes, atque acceptum regibus atque
Dilectum populis, etiam primoribus horum,
Fecit, latè eius diffundens vndique laudes.
Et quod Borcholdi non perſonat ante tribunal
Cauſſidicus nomen, repetitum ſæpe? quis illum
Non celebrat legum interpres, monimentaque docta
Et legit & magni facit, ingenueque fatetur,
Multa antè ignorata hoc ſe didiciſſe magiſtro?
Palladi id imprimis debet, tot dotibus aucto
Quæ à Superis animo mentem addidit, ac bene finxit
Et doctis dictis, & longi temporis vſu.
Ergo, quid patriæ, quid priuatim vtile cuique,
Scire & conſulere in medium doctuſque catuſque:
Siue qua principibus morit febricula bilem;

Siue furens in perniciem sese ipsa ruat plebs;
Siue malo patres cum intercute conflictentur;
Posse adhibere manum & ratione occurrere morbo.
Partem Astræa etiam laudis sibi vindicat huius;
Totam imò putat esse suam; cui deditus vni
Et soli visus fuerit, dum in Gallia abesset,
(Pergama quot Græcos oppugnauisse per annos
Fama est) illius sacris detentus in hortis
Assiduè & Diuæ pictas operatus ad aras;
Antistes quando magnus Cuiacius esset,
Certatim Pallas, Charites, pulcræque Camenæ
Quem petiere sacris; sed tandem Astræa potita est:
Baltica dum audirent ciuilia iura docentem
Litora: dum posthac germana Iulia templo
Præficeret; cùm multa huc est conspecta iuuentus
Omnibus affluere ex terris; famamque secuta
Ingeniumque viri doctumque ante omnia pectus.
Fallor, an, vt quondam, sic nunc ausculto loquentem.
Aureaque excipio calamo dictantis ab ore
Verba quibus legum perplexa ænigmata soluit;
Ponè latus Sophia assistente hinc; inde Suada,
Magna discentum turba circum vndique septo.
Frustra est; & luctus tantùm integrat hæc mihi imago.
Et iam vix chartam teneo; ægre & littera dextra.
Ducitur; atque animi frigent ad carmina sensus.

Theodorus Adamius.



III.

III.

IRENÆI BIBLIOPHILI (†) OBSERVATIO,

qua præfationem, quam V. Cl. Christ. Aug. HEUMANNUS Symposio Lactantii a se edito, præmisit, in nonnullis locis illustrat, in admodum paucis emendat.

FIniit nuper harum Amœnitatum literariarum auctor (††) J. G. Schelhornius, partem earum primam recensione vetustæ cujus-

(†) Quis hoc sub nomine, quod jam dudum orbi literato ex Bibliotheca Bremensi & Celeb. Heumanni Poecile innotuit, lateat, equidem me fugit. Hoc tamen novi, virum esse lectionis copia, ingenii elegantia ac eruditionis edecumatæ opibus instructissimum. Maximo igitur perfusus fui gaudio, cum nuper humanissimæ Ejus literæ, eleganti hac observatione stipatæ, mihi traderentur. Perjucundum quoque mihi erit, aliquando Ejus annotationes ad hanc meam opellam, quarum lætam spem mihi benevole fecit, videre, easque partibus forte subsecuturis inserere. Pace viri præstantissimi illas laudes, quas immerenti mihi tribuit, resecui.

(††) Non est, quod amplius celem nomen meum, cum in Novis liter. German. me quidem inscio & invito a fautore quodam hactenus mihi incognito istud jam sit expressum. Ego certe, imbecillitatis meæ gnarus, nondum detecta facie in conspectum orbis eruditi prodire ausus fuissem.

cujusdam & adhuc fere incognitæ editionis Lactantii, quam in Bibliotheca Memmingensi publica, cujus cura ipsi haud ita pridem demandata est, extare, ipse in Miscell. Lipsiens. T. XII. p. 67. indicaverat. Qua re haud sane parvam a multis iniit gratiam, ex quo ejusmodi bonæ notæ vetustis editionibus suum statuere pretium merito cœperunt eruditi. Cumque hæc ipsius opera illustrationi appendicis secundæ, quam VIR celeberrimi in orbe literario nominis, C. A. HEVMANNVS, Lactantii Symposio a se edito, adjecit, inserviat: videbar mihi à Schelhornio facile impetraturus, ut partem suarum Amœnitatum alteram observatione hac, præfationem dicti libri, alicubi dilucidantem, saltim clauderet. Tantum enim abest, ut hujus VIRI humanissimi offensam verear: ut ipsi potius, ac fortasse & aliis, vel sola recensio, brevis quidem illa, editionis Symposii Romanæ per Joh. Castalionem A. 1581. splendide adornatæ, quam sibi non visam esse fatebatur, cum eruditissimæ huic præfationi scribendæ intentus esset, haud ingrata videatur futura; tametsi nonnulla horum, quæ hic sisto, ante hoc ipsum fere biennium cum eodem per literas me communicare memini, aliorum

quo-

quoque lectorum oculis, pace ipsius, in supplementum laudatæ præfationis verbosissimæ nunc subjicienda.

Ad præfat. Heumannianæ Lactantii Symposio præmissæ §. VII. p. 17.

Occasione nominis *Achelini*, quod in fine hujus §. occurrit, non pœnitebit legisse ea, quæ *Vossius Lib. III. Cap. III. de Historicis Latinis, p. m.* 753. *edit. Lugd. Bat.* 1651. 4. annotavit.

ad §. *VIII. p. 17.*

Producitur hic in not (*i*) locus ex *Fabric. Bibl. Gr. Lib. V. cap.* 6. *p.* 821. *Vol. VI.* ubi literarum *Theod. Canteri* ad *Jo. Meursium* fit mentio, occasione interpretis Historiæ Apollonii Tyrii. Has literas exhibet *fascic. III. Collect. libr. rariorum Groschuff. p.* 569. id quod ad hunc *Fabricii* locum, itemque ad ejusdem viri celeb. *Bibl. Lat. Vol. III.* indicem voce *Symposius*, notari potest.

P. 18. *Falli enim puto & P. Scriverium, & Casp. Barthium*) Addere his licet Jo. Meursium. vid. *Fabr. Bibl. Lat.* in indice Vol. III. voc. *Symposius*, & *coll. libr. rar. Grosch. Fasc. III. p.* 570. Ad *Barthii* prolata loca, quæ Cl. Editor eadem hac pag. not (*l*) profert, adjiciatur alius ex Lib. XIV. c. IX. *Vossio* quo-

que memoratus, qui &: *Non alienus est*, inquit, (de Barthio loquens) *ab eorum opinione, quibus videtur vitæ bujus auctor vel interpres Symposius, centum ænigmatum conditor, ex quibus ænigmatis sapientum suorum doctrinam efformavit Apollonii vitæ scriptor.* Hæc Vossius. Quæ verba velim conferri cum iis, quæ in *Placcii Theatr. Pseud.* n. 207. p. 66. col. 2. habentur. (*a*)

ad

(*a*) Miror, in præfat. Apollonii Tyrii vitæ præfixa (*in Marci Velseri operibus edit. Christ. Arnoldi*) nihil prorsus adduci conjecturarum de interprete latino, quem *Symposium* esse errore ridiculo, recte hic *Cl. Heumannus* pernegat. Ceterum conf. *Vossius de Histor. Lat. p. m.* 729. ubi de Anonymis ætatis incertæ agit, nominatim de falso sic dicto *symposio interprete bistoriæ eroticæ Apollonii Tyrii. Jonsii* conjecturam in *de Scriptor. Hist. Phil. Lib. II. cap. 18. p. m. 208. edit. Francof.* falsam esse ostendit præstantissimus *J. A. Fabricius Bibl. Gr. Vol. II. p. 389.* Unde in recenti editione Jonsii Dorniana L. II. c. 18. p. 251. hæc observatio Cl. Fabricii, si quidem memoriæ succurrisset, annotanda fuisset in notula quapiam, simili ei, cujus in hac ipsa pagina à Cl. Dornio allatæ, mentio fit *in Actis Philos. Tom. III. p. 118.* ubi *Cel. Heumannus* ad *Catalogum Stoicorum à J. A. Fabricio in Bibl. Gr. L. III. cap. XV. contextum* animadversiones adjicit. Qua occasione recordor, in *Actis Erud. Lips. Suppl. Tom. VIII. Sect. X. p. 429.* in nota (r) nuper, *P. Egnatium Celerem* illi Catalogo inserendum, monitum fuisse, qui nec in Supplemento ejus Heumanniano reperiatur: quod cum nondum, quoad sciam, apparuerit, & in

con-

ad §. *XXV*. *p.* 37. 38.

Jo. Nobletum, Monachum Gallum, ex Carmelitarum ordine, Sec. XV. Symposium sub titulo *Centiloquii ænigmatum* è longi temporis tenebris rursus protraxisse, hic memorat, vel suspicatur potius Cl. editor; (Conf. *Fabr. Bibl. Lat. Vol. III. p.* 277.) idque ex *Trithem. de Script. Eccles. cap.* 783. probat. Quando tamen in nota (*c*) adjecta, *Conr. Gesnerum in Bibliotheca, totam hanc Trithemii narrationem, tacito ejus nomine, ad verbum repetiisse*, ait; non possum, quin Gesnerum hic excusem. Is enim & in voce: *Jo. Trithem.* & in *elencho auctorum*, quibus ad hanc suam Bibl. usus est, post præfat. repetiundo, expresse meminit, *se Trithemii Cat. Script. Eccles. suo semper loco integrum exhibere.* Quid? quod in art. *Jo. Noblet* fol. 442. a. Sigla: *Trith.* in margine appareat, per quam istum Trithemii librum indigitari, ipse in laudato elencho indicavit. In editionis operum *Jo. Bapt. Mantuani*

continuatione ejus diss. à Cl. Heumanno demum expectetur, ultima ejus notæ in Act. erud. verba fortasse ex ἀβλεψίᾳ perperam scripta, sic mutamus: *Quem fortè in supplemento ejus Heumanniano reperiemus.*

tuani Carmelitæ, quæ *Antwerpiæ* 1576. 8. prodiit, quamque diu a me requisitam, tandem nactus sum, Tomo IV. continentur quædam ejus opuscula, quæ in prosa scripsit, quibus addita sunt nonnulla alia aliorum auctorum. p. 232. sqq. extat *Mantuani pro Carmelitis apologia*, quam p. 244. sqq. excipit *Jo. Trithemii de laudibus ordinis Carmelitarum Liber. I. Ejusdemque de viris illustribus ejusdem ordinis Liber II.* In hoc posteriore p. 282. *Jo. Nobleti* vitam recenset, quam, quia brevis est, integram huc transferre placet, etsi in plerisque cum ejus de eodem narratione, quam in Catal. Script. Eccles. exhibet, eadem est. *Joannes Nobleth*, inquit, *natione Gallus conventus Parisiensis, vir in divinis scripturis studiosus & eruditus, & in secularibus literis egregie doctus, philosophus & medicus insignis, scripsit ingenii sui quædam præclara opuscula, quibus nomen suum cum gloria transmisit ad posteros, de eo quorum numero subjecta feruntur; opus insigne quod prænotavit Centilogium Lib. I. In Evangelium Joannis Lib. 1. In multos quoque alios Bibliæ libros commentarios & lecturas compilasse dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt.* Hæc Trith. Ceterum ex utraq; hujus Abbatis narratione, tum hac, tum ea quam *Catal. Script. Eccles.* inseruit

ſeruit de *Nobleto*, facile eſſet ad conjiciendum, *Nobletum* ipſum ex ſuo ingenio compoſuiſſe memoratum *Centiloquium*. Quodſi cui nimium hic ſcripſiſſe videtur *Tritbemius*, is recordetur moniti Geſneriani, in citato *elencbo Bibliotbecæ* ſuæ præmiſſo, dati, ubi ait, *ſe audire, bunc Tritbemium, ut favorem monacborum quorundam, præſertim Carmelitarum, ſibi conciliaret, omnes ex eorum familiis qualescunque tandem Rbapſodos ſuo Catalogo dignatum eſſe.*

ad §. XXVI. p. 39.

Non videtur Bartbius eam (Editionem Sympoſ. Pariſ. per Joacb. Perionium procuratam) manibus atque oculis uſurpaſſe ſuis) Caſp. *Bartbius* in animadv. ad Claudianum, Hanoviæ 1612. 8. editis (ſcripſit vero præf. Kal. Sept. 1612.) pag. 469. *Sympoſius*, inquit, *duobus elegantiſſimis ænigmatis Phœnicem celebravit, quorum alterum ſolum in Joacb. Perionii editione reperio. Primum:*

Vita mibi mors eſt, morior, ſi cœpero naſci,
Sed prius eſt fatum letbi, quam lucis origo,
Sic ſolos manes ipſos mibi dico parentes.

Alterum boc eſt:

Nec ſum, nec non ſum, morior ſimul atque renaſcor,

Pra-

Præbet & interitus teneræ primordia vitæ,
Sumque mihi lethi, & redeuntis originis auctor.

Hæc Barthius: Quanquam ipsius verba non tam clare scripta sint; quam *Besselii* (*b*) in nota ad ænigma centesimum, p. 202. edit. Cl. Heumanni, fruatur tamen & *Barthius*, ille veterum librorum & editionum Nobilissimus ac diligentissimus lector & collector, gloria usurpatæ editionis gallicæ Perionianæ. Idem *Barthius* p. 469. aliud ænigma ita producit:

Simposius. Tigris.

A fluvio dicor fluvius vel dicitur ex me,
Junctaque sum vento, vento velocior ipso,
Et mihi dat natos ventus, nec quæro maritum.

Ceterum allegat ibidem *Symposium* p. 15. 19. 55. 161. 164. 234. 296. 299. 443. 469.

Ibid.

(*b*) Hunc *Perionii* editionem evolvisse, traditur in §. XXVI. p. 39. præf. Heum. conf. p. 202. ubi eam vidisse se, ipse testatur *Besselius*. Mirari tamen subit, nomen editoris *Perionii* fugisse notitiam Besselii, quando in not. ad ænigma 17. p. 173. ait: *Omnium optime vetus editio Parisiensis nescio cujus &c.* simili enim ferè expressione utitur & in nota ad ænigma 100. ubi eum *Perionii* editionem innuere *Cl. Heumanno* Præfat. §. 26. persuasum est.

Ibid. *Habemus igitur primam Symposii editionem prodiisse Lutetiæ* 1538. *nisi forte & hic typographicum subest mendum.)* Recte conjecit præstantissimus editor, annum editionis falso esse inscriptum. Eam enim αὐτόπτης Cel. *Mich. Maittaire* in *Annal. Typogr.* T. II. p. 791. ad an. 1533. refert, additque, Parisiis hoc anno in 8. prodiisse, huncque profetre titulum:

> *SYMPHOSII veteris Poëtæ Ænigmata, nunc primum inventa & excusa, cum sententiis septem Græciæ sapientum emendatioribus & auctioribus: apud Ludov. Cyaneum sub duobus Gallis in via Jacobæa.*

In not. (*b*) subjecta maximam partem dedicat. *Perionii* excerpsit, quam §. XXVIII. præf. integram ex *Ænigmatographia Reusneriana* sistit *Heumannus. Fabricius* in Bibl. Lat. Vol. III. in indice, sub lemmate: *Symposius* eandem editionem ex Maitt. Ann. Typogr. adduxit.

ad §. XXVII. p. 40. sq.

Ex eo tempore in Ge. Draudii Bibl. Class. reperi traditum, primam Ænigmatographiæ Reusnerianæ editionem prodiisse 1589. *in* 8.) Forsan divinare mihi licet fontem, ex quo *Draudius* hæc hausit. Notum est, eum maxima

xima ex parte ex Catalogis librorum suam Bibliothecam consarcinasse. Jam est penes me collectio, etsi manca, Catalogorum qui singulis Nundinis Francof. olim prodiére, & olim paulo rarius conspiciuntur. In Catalogo autumnali Villeriano Francof. de A. 1588. inter libros poëticos, observo aliquem hoc titulo præscriptum: *Ænigmata Jo. Lauterbachii, poëtæ nobilis & lauro coronati, additis Symphosii veteris poëtæ ænigmatis. Item & Jul. Cæs. Scalig. H. Eob. Hessi. Joach. Camer. Hadr. Junii & quorundam aliorum; omnia simul edita studio Nic. Reusneri, JC. & P. C. Argentorati apud Ant. Bertramum,* 8. *an.* 1588. In Catalogo verno Anni 1589. iterum occurrit liber hic: *Joh. Lauterbachii Ænigmata, additis Symphosii veteris poëtæ ænigmatis &c. Argent. ap. Ant. Bertramum.* Eundem librum p. m. 1115. (Cl. Heumannus habet p. 1505.) edit. 1611. Draudianæ Bibl. reperire licet, qui tamen ad an. 1589. hic refertur. Difficile est dubitare de hac editione 1588. vel 1589. (id enim parum refert) procusa, quæ A. 1599. 12. Francof. iterum impressa, & *Ænigmatographiæ* titulo ornata videtur, An. 1602. ibid. in 12. tertium excusa.

Ibid.

Ibid. *Primam Ænigmatographiæ editionem prodiisse Francof.* 1599. *in* 12.) In Catal. Francof. verno de A. 1599. hoc titulo hæc editio producitur: *Ænigmatographia, h. e. sylloge enigmatum convivalium, Nic. Reusneri, JCti, in* 12. *Francof. ap. Draut.* Fuit quoque in Bibliotheca locupletissima *Adami Christoph. Jacobi*, JCti, cujus Catalogus 1693. Lipsiæ 8. editus, & à M. *Guttierio*, sed ex judicio viri cujusdam in his literis summi, nunc cœlo recepti, minus accurate, conscriptus, eam P. II. p. 240. n. 2788. refert. Huic editioni præmissâ forte epist. *Nic. Reusneri* dedicatoria subscriptum quidem & ipsa habere videtur annum post millesimum undesexcentesimum, quem sequentem editionem de A. 1602. referre testatur §. 28. p. 41. præf. suæ *Heumannus*. Sed hoc non obstat, quo minus antiquior Argentoratensis extare possit; fortassis enim *Reusnerus* libro suo 1599. recuso præter novum titulum, novam quoque epistolam nuncupatoriam adjecit, id quod fieri quotidie videmus. *Symposium* autem in edit. Argent. cum aliis aliorum ænigmatibus, itidem ex exemplo Perioniano expressum esse, dubium prorsus est nullum; quia & tituli priora verba eadem sunt, in Catal. Francof. & ap. Maittaire; & in *Ænigmatographia* edit. Fran-

 cof.

coſ. illa ænigmata ex edit. *Perionii* exhibentur; quam 1602. recuſam, ipſe poſſideo, neque vero jam ad manum habere, doleo.

ad §. XXVIII. p. 42.

Ut integram Perionii præfationem exhibeam) Tantum non integram quoque eam tranſcriptam legi in Ann. Typogr. *Maittaire*, paulo ſupra ad §. 26. annotavimus, ubi ſequentem quoque præfert inſcriptionem:

Joach. Perionius Benedictinus Joanni Ganerio Præſulis Maclovienſis (c) *Secretario S. P. D.*

P. 44. *In quo ſemper mea hæc fuit ſententia, ut contenderem, ſi ſibi quisque cœnobiorum omnium omnes Bibliothecas terendas eſſe ac evolvendas quaſi ſuſcepta religione putaret, omnium ſcripta erui e tenebris aliquando poſſe.)* Quod hic doctiſſimus ſuo tempore Benedictinus *(Perionius)* ante ducentos prope annos recte optavit, id hodie vel ab ipſis potiſſimum

(c) Eſt in manibus meis liber, cui tit. *Ariſtotelis Ethicorum, ſive de moribus ad Nicomachum filium, libri decem, a Joach. Perionio primum converſi, ac Nic. Grouchii opera denuo-editi.* His præfixa eſt *Perionii Dedicatio* Lutetiæ prid. non. Maj. M. D. XL. ſcripta ad D. *Franciſcum Bonerum* Epiſcopum *Maclovienſem*, cujus multa in ſe beneficia prædicat. Hujus dedicationis excerpta dat *Geſnerus in Biblioth.* vid. *Joach. Perionius*, fol. 376. a. cui tamen iſte Epiſcopus *Franc. Boberus* audit.

mum ſui ordinis viris ſtrenue perfici, ut ipſe coram ſpectaret, optandum ei eſſet, qui tam bene de *Lactantiano Sympoſio* olim meritus eſt. Noſtra certe Germania impenſe ſibi gratulator celeberrimis Fratribus *Peziis, Hieronymo* & *Bernardo*, quem in hac ipſa, cui lucem quandam alicubi affundere nunc cupimus, præfatione §. XXXIX. p. 56. *Benedictinorum ſodalium in Germania doctiſſimum* ipſe iure appellavit Cl. *Heumannus*. Utrumque, poſt bene multos rerum ab ipſis in orbe literario præclare geſtarum præcones, ex merito poſtquam laudaſſet, & votis eruditi orbis pro longævitate ipſorum ad perficiendos bono publico egregios conatus, ſuum quoque addidiſſet celeb. in Aldorfinâ Academiâ Hiſtor. & Polit. Profeſſor & Univ. Bibliothecarius, *Jo. Dav. Kœlerus*, in præfat. luci iterum reddito à ſe & aucto *Directorio Freberiano* præmiſſa: tandem addit: *Debemus ſane illuſtri ac vetuſtæ D. Benedicti familiæ, uti bene jam olim obſervavit Aub. Miræus, ſcriptionem a multis retro ſeculis, itemque conſervationem melioris doctrinæ in hiſtoria felicemque eam prædicamus, quod etiam hac noſtra tempeſtate in ea non deſint felices veterum monumentorum indices & vindices, quorum curam & laborem in iis conſervandis & publicandis merito omnes magni fa-*

ciunt & prædicant, qui flagrant cupiditate excolendi perficiendique historiam Germanicam. Hactenus Cl. Kœlerus. (*d*)

P. 45. *Tibi vero optime Ganeri, sub cujus nomine &c.*) Memini in *Reusneri Ænigmatographia* (ex qua accuratissime Perionii dedicationem exprimendam curavit Cl. editor) hic quidem loci legi: *optime Garneri;* sed typothetarum incuriam hic arguendam esse, inspectio Ann. Typogr. Cl. *Maittaire* suadet, ubi nomen ejus *Secretarii* exscriptum quoque legitur, *Ganerius.*

ad §. XXXI. p. 47. (qui numerus ita corrigi debet)

Anno 1545. tres libros ænigmatum Francofurti in octavo — edidit Jo. Lorichius Hadamarius) Prima hujus libri editio lucem vidit Marpurgi A. 1540. 8. foliis constans 76. Dedicationem scripsit Martisburgi (i. e. Marpurgi) eodem anno, Kal. Sept. In titulo libri extat: *per Joh. Loricbium Hadamarium, Marpurgi bonis literis incumbentem.* (*e*) In fine fol. 73. sqq. exhibetur carmen, quod

(*d*) Ad eos vero hujus ordinis viros hæc non extendi volumus, quos notant *Acta Philos.* T. II. p. 8.

(*e*) Pater ejus *Gerhardus Lorichius Hadamarius*, & *Reinhardus Lorichius Hadamarius*, (qui nostrum ex fratre suo Nepotem vocat) carmina gratulatoria præfixerunt.

quod inscribitur: *Prognosticon verissimum in annum XLI. per M. Oedipum ex Vtopia.* ibid. *credere cogor, a Lorichio ea* (ænigmata) *exscripta hinc* (ex Camerarii Elementis Rhetoricæ) *fuisse, etsi id ipse Lorichius præteriit silentio.*) Id quidem & ipsi facile credimus; neque enim in prima dicti libri editione, quam modo descripsimus, eorum quicquam habetur, prodiit quippe iste eodem anno 1540. quo *Camerarii Elementa Rhetoricæ* primum lucem adspexisse §. 30. not. (*n*) traduntur ab *Heumanno*, adeoque eo quidem tempore nondum in manus *Lorichii* pervenere. Unde in alteram demum editionem hinc ea transtulisse videtur, quando in prima, fol. 70. b. aliud jam *Camerarii* ænigma reperitur, inter ea, quæ ex monumentis virorum doctissimorum desumpsisse se, professus est. (*)

ad §. XXXII. p. 48.

Secundæ Symposii editionis laus tribuenda utique est Petro Pithœo.) Dubito, an hæc

Hh 3 ver-

(*) Inserenda hic est, cujus notitia debetur Cel. *Frabricio* (vid. Bibl. Lat. Vol. III. p. 274. sqq. coll. *Heumanni* Poecil. Tomi I. Lib. II. Ep. X. p. 258.) *editio Symposii à Francisco Basvelo, Basileæ 1563.* 8. *curata*, quæ ænigmatibus tantum XLVII. constat, quamque l. c. describit, excerptis scripturis discrepantibus, *Fabricius.*

verba deſtinato conſilio, à Cl. editore exarata ſint: videntur enim ἁμάρτημα ſapere μνημονικόν. *Joſ. Caſtalioni* iſta potius laus relinquenda eſt, cujus editionem, mox a nobis breviter recenſendam, ipſe §. XXXIII. adducit, quæ A. 1581. Romæ, adeoque novem annis ante Pithœanam, 1590. in lucem prolatam, ex codice MS. adornata ab eo eſt.

ad §. XXXIII. p. 48.

Tertius igitur Sympoſii noſtri editor fuit Joſephus Caſtalio) Secundum potius appellandum, & jure, eſſe, paulo ante oſtendimus. (*f*)

Ibid. p. 49. *Nec vero non ſolum Sympoſium e codice quodam MS. edidit Caſtalio A.* 1581. *ſed*

cius. Obiter obſervo, in *Jac. Cujacii Obſervationum Juris* Lib. XXI. cap. V. p. 994. (edit. Colon. Agripp. 1651. 8.) produci ſequens *Sympoſii de milite podagrico* ænigma

Belli potens olim ſævis metuendus in armis
Quinque pedes habui, quos nunquam nemo negavit a
Nunc mihi vix duo ſunt, inopem me copia fecit.

Quod cum non reſpondeat Perionianæ lectioni; ceteræ verò editiones mutilæ (nam *Caſtalionis* tum nondum nata erat, cum hæc *Cuiacius* ſcriberet) illud non habere videantur; ſuſpicor, *Cuiacium* forſan uſum eſſe iſto codice MSC. quem ex *Dufreſnii* teſtimonio, extare in Bibliotheca Gallicana S. Germani, obſervat Cl. *Heumannus* §. LVI. p. 81. doctiſſimæ ſuæ præfationis.

(*f*) Imo primum ſe eſſe editorem, ipſe ſibi perſuaſum habuit *Caſtalio* in Dedicat. à nobis excerpta.

sed postea quoque adjunxit scholia &c.) Atvero eadem fere, quæ secundæ editioni adjecit scholia, in prima quoque comparere mox demonstrabitur. Cumque neutram *Castalionis* editionem Romæ impressam, oculis se usurpasse, fateatur Cl. *Heumannus*, gratum ei, forte & aliis, me præstiturum spero officium, si, quam mihi, beneficio Illustris alicujus viri, multorumque in Rempublicam literariam meritorum, (cujus nomen gratissimis mihi semper laudibus celebrandum, nunc quidem præter voluntatem meam silere cogor) perlustrare licuit, editionem illius *Symposii* Romanam primam, splendide excusam, paucis descripsero, ipsiusque inclutæ famæ & eruditionis summæ Possessoris judicio, eam maximæ esse raritatis, confirmavero. Ea vero hanc in fronte gerit inscriptionem:

> *Ænigmata Symposii Poëtæ cum scholiis Josephi Castalionis Anconitani. Romæ apud Franciscum Zannettum. M.D.LXXXI.* 4. *maj. chartis sex.*

Ex dedicatione ad Illustriss. D. D. *Thomam Avalum*, Marchionis Piscariæ filium, hæc verba, ex parte jam ab *Heumanno* excerpta, transcribo: *Siquidem*, inquit, *erat apud me in postremo Venantii Fortunati codice MS. Symposii veteris poëtæ carmen ejus generis antiquum*

tiquum, lepidum, eruditum, venustum, quod & ipse, &, quam ego sum, in his literis homines magis exercitati nunquam excusum sciebant. (**) *Itaque illud statim venit in mentem mihi, præclare me operam positurum, si se ad festivum sane Symposii convivium invitarem, quo subamara literarum rudimenta ea dulcedine quasi condires, &c.* Commendat deinde hoc munus inter alia ab auctoris antiquitate. Scripsit hæc prid. Idus Octob. 1581. In hac editione exhibentur XCIX. ænigmata, quorum *ancora* titulo est inscriptum. Centesimum edit. Heum. *Olla* insignitum hic non extat, neque, cum liber mihi non amplius ad manus sit, dicere habeo, an forte alibi inter antecedentia occurrat. Ænigma XLII. sic ibi legitur:

BETA.

Beta vocor græce, sed non sum tota latina,
Pauperibus semper proponor namque tabernis,
†*Ante tamen mediam cauponis scripta tabernam,*
In terris nascor, lympha lavor, unguor olivo.

Hujus variationis fons fortè in statim subsequente *Castalionis* annotatione, se prodet. Licèat nunc mihi quodammodo scholia quæ-

(**) Facile credimus, nec *Perionii* Gallicam, nec ceteras mancas Editiones, *Castalioni*, cæterisque quorum testimonio nititur, viris doctis, innotuisse.

quædam, huic editioni adjecta cum iis conferre, quæ Cel. *Heumannus* p. 168. sqq. exhibet, ut animadverti possit, quid post visam sibi *Pithœi* editionem in his scholiis mutaverit *Castalio*, quidque omiserit vel addiderit.

p. 170. edit Heum. ad n. 2. post verba: *Actu, mente, gradu &c.* Castalionis editio prior hæc adjecta adhuc habet p. 24. *Quod Fortunati opus bis jam impressum, nos emendatum atque auctum quattuor prope libris propediem emittemus ex fide libri MSCti, quo utor jam diu permittente ornatissimo viro Antonio Maria Gratiano, Secretario Cardinalis Commendoni, ob singularem virtutem, sapientiam & pietatem omnium sermonibus conlaudandi, itaque Symposium imprimi volebam, sed typographus plerasque castigationes, quas ipse in ora libri annotaveram, operi sublatis suspectis inseruit, ne quid marginem occuparet.*

ibid. n. 3. *Et Macrobius Lib. 1. Saturnal.*) hæc verba omissa sunt in Edit. 1581.

p. 173. n. 17. *Quid non capit ebria Musa?*) Sic legimus cum interrogationis nota, ut *Horat. Quid non ebrietas designat?* Cetera desunt in prima Edit. Cast.

p. 177. ad Ænigma VI. 2. *Hic versus spurius est*) Hæc & in meo exemplo extant; reliqua ex Edit. *Pithœi* postea demum adjecit.

p. 179. Hic passim in recentiori *Castal.* edit. aucta animadvertas scholia.

p. 183. XXXI. 3. *Sic solos manes*) *Mares* habet vetus exemplar, nos *Cineres* legi oportere arbitramur. *Claudianus* quoque &c. usque: laborat.

NB. *Castalio* in textu ipso ænig. 31. sic legit: *Sic solos † mares ipsos mihi dico parentes.*

p. 184. XXXIII. 2. *Victusque cruentas*} 3. *Multaque cum rabie*} discrepat hic editio Rom. 1581. in nonnullis.

p. 190. LVII. *Spectanturque - Romæ*) hæc verba Scholii postrema in recentiori demum edit. addidit.

p. 197. LXXXII. 4. *Hoc volo &c.*) Et hic versus addiditius est; ita vetus editio.

p. 198. LXXXVI. *Titulus hujus ænigmatis desideratur.*) cetera quæ hic sequuntur desunt in edit. 1581.

ibid. XCII. *Luscus*) nihil quicquam hic notavit *Castalio* in exemplo, quod nos recensemus, totaque hæc nota posteriori demum editioni accessit.

p. 202. XCIX. *mordeo terras.*) Sic fibula mordere dicitur apud *Virgilium*. Plura non habet Edit. prima, cum cetera annotandi occasionem Pithoeana postmodum excusa ipsi præbuerit.

Sed

Sed satis est horum! Scholia enim reliqua consentiunt fere cum iis, quæ *Heumannus* exhibet. Additus est quoque index ænigmatum secundum alphabeti ordinem. Id unum adhuc monere liceat, post Dedicationem duo reperiri *Jos. Castalionis* carmina elegiaca, quorum posterius quidem perbreve est; primum pertinet ad Illustriss. & Excell. D. D. *Alfonsum Felicem Avalum Vasti Marchionem* (fratrem *Thomæ*, ut in præfat. vel dedicat. potius *Castalio* dicit) alterum ad admodum illustrem D. D. *Alfonsum Avalum* equitem Hierosolymitanum, cujus initium est:

Tu quoque Crux, Alfonse minor, cui candida sume
Ludicra Symposii scripta reperta mihi.

ad eund. §. XXXIII. p. 50. *Illud vero facile est colligere, quod Castalio primæ suæ editioni nulla adjunxerit Scholia &c.*) Imo vero eam instructam esse iisdem fere Scholiis, quæ recentior habet editio, quæ occasione codicis Pithoeani deinceps nonnihil modo aucta, modo immutata sunt, satis opinor, probatum dedimus. Judicio Cl. *Heumanni* de his Scholiis, quod §. XLII. fert, toti subscribentes. (***)

ad

(***) *Jacobus Pontanus* Soc. Jes. Voluminis tertii *Progymnasmatum Latinitatis* parte priore, quæ prodiit

ad §. XXXV. p. 52. sq.

ad notam (*u*) *Eadem extare comperi in Causiniani operis edit. Coloniensi* 1623. *in* 8.) Coloniæ Agripp. quoque triennio ante, 1620. nimirum, prodiere. *Itinerarii Italiæ Germaniaeque libri IIII. per Franc. Schottum,* qui-

diit Ingolstadii 1592. in 8. (scripta quoque est Dedic. Pontani eodem anno, Kal. Sextil.) p. 779. sqq. unum habet, quod inscripsit *Ænigmata*, observoque ibi aliquod *Symposii* nostri *Lactantiani* exhiberi, tacito tamen & auctoris eorum nomine, & fonte unde illa hauserit; nominatim p. 783. *de Clave, de Tinea*, p. 784. *de Fumo*, p. 785. *de Somno, de Mure, de Papavere*, p. 786. aliquod sine titulo, itemque aliud p. 787. absque lemmate profert, in annotationibus tamen ad hoc progymnasma p. 790. clavem horum etiam duorum suppeditat, docetque per prius *Rotam*, per posterius *Nebulam* intelligi. Non satis conjicere possum, ex qua editione illa mutuatus sit; neque etiam mihi præsto est amplius *Castalionis* Romanum de Anno 1581. exemplum, quo mihi usus videtur; (nam altera Romæ 1597. procusa *Castal.* editio tum nondum extitit.) Qui enim verba *Pontani*, quæ subtilioris plagii notam vix effugient, quæque p. 785. ænigmati *de Mure*, subjecit, contulerit cum illo Scholio, quod *Castalio* illi ænigmati addidit (p. 181. Edit. Heum.) is haud a se impetrare poterit, ut dubitet, *Pontano* ista scribenti ob oculos versatam esse dictam editionem. Age! excerpemus ejus verba: *Quod ait suum nomen fuisse consuli Romano, id verum est. Nam Mus, Deciæ gentis cognomen fuit, ut testantur Fasti Capitolini, in quibus est:* P. DECIVS. Q. F. MVS. & P. DECIVS Q. F. Q. N. MVS. *Inest ergo in hoc ænigmate antiquitatis peritia.* Hæc ille; cujus fuisset in annotationibus fontem suum indicare.

qui liber alius est ab illo, quem idem sub tit. *Itinerarii Italiæ A.* 1600. edidit. Ibi p. 338. sqq. inserta leges Ænigmata quædam & Griphos, (ut ipse scribit,) ex *Symphosio & Althelmo.* Ex illo quidem proferuntur duodecim, *de Clave, Vulpe, Fumo, Testudine, Grure, Ericio, Mula, Beta, Talpa, Farina, Pila & Spongia;* ex hoc quatuor, *de Nube, de Salamandra, de Myrmicolo,* & *de Gallo gallinaceo.* p. 366. scribit: *Plura Symposius & Athelmus versibus collegere ænigmata.* Si fides habenda est *Cat. Bibl. Thuan.* de Duacensi *Symposii* edit. 1604. 8. (vid. Heum. præfat. §. XXXV. ineunte) suspicari liceret, *Schottum* ex hac sua ænigmata deprompsisse, quam conjecturam, levem quidem illam, verba hæc *Schotti* p. 362. legenda: *(Plura de numeris, itemque Exempla Centuria 3. & 4. Exemplorum FRANC. SCHOTTI Duaci edit: anno Dom. M.DC.VII.)* mihi suppeditarunt: nam idem forte bibliopola Duacensis, qui sumtus huic *Schotti* libro edendo tulit, triennio ante *Symposii* editionem procurasse mihi videtur.

ad §. LII. p. 74.

Ceterum utrumque codicem in istam bibliothecam delatum fuisse e bibliotheca Isaaci Vossii, ideo non dubito &c.) Cum ex *Colomesii* operibus p. 883. edit. Hamb. pateat, in illo

volu-

volumine MSC. quo *Symphosii ænigmata* continentur, XXIX. varii generis opuſcula conſtipata eſſe, (†) inter quæ & *ænigmata Adhelmi* ſunt, facile ex collatione diſcere liceret, utrum iſte codex MSC. *Symposii*, imo & alter, quibus Lugdunenſis Academiæ Bibliotheca gaudet, olim fuerit *Iſaaci Voſſii*, nec ne? Imo ex §. LIV. præf. hujus liquet, Lugdunenſibus Codicibus *Adelmi ænigmata* adjecta eſſe.

ad §. *LV. p. 77. ſqq.*

Dum hic quinque alia alius auctoris ænigmata producit ornatiſſimus editor, memini in *Job. Textoris Feriarum Hageranarum libro*, Herbornæ Naſſov. 1616. 8. impreſſo, cap. XLV. p. 217. primum quidem proferri, (ut ſuſpicor, ex *Ænigmatographia Nic. Reuſneri*) ænigma, quod num. XCII. inedit. Heum. extat, in *Textoris* opuſculo autem: *Luſcus alios vendens* inſcribitur, cujusque ſcripturæ Perionianæ reſpondet, auctor in margine fontem ſuum manifeſtavit his verbis: *Symphoſ. ænigm.* Sed hoc quidem haud dubie

(†) Obiter hic dicere liceat, abhinc aliquo tempore ex inſtructiſſimæ cujusdam Bibliothecæ libris MSS. volumen aliquod & me perluſtraſſe, in quo *plus centum tractatus MSS. græci variorum autorum*, ſimul compacti erant, quorum ſcriptura quoque varia eſt.

dubie genuinum est. Quando vero p. 218. aliud in *Cœcum natum* exhibet, & in ora libri *Symphosii* nomen iterum apponit, mihi quidem causa videtur esse de eo dubitandi. En illud, sex hexametris constans:

Cœcus natus.

Jam referam verbis tibi, quod vix credere possis,
Cum constet verum, fallant nec frivola mentem.
Nam dudum dederam soboli munuscula grata,
Tradere quæ nunquam poterat mihi quislibet alter,
Dum Deus ex alto fraudaret lumine claro,
In quo cunctorum gaudent præcordia dono.

Ad hunc ipsum locum observo, me, dum *Reusneri Ænigmat.* (quam nunc non præsto esse, mihi dolet,) aliquando perlustrarem, abscripsisse, hoc ænigma ibidem p. 238. edit. Francof. 1602. ex B. *Aldhelmi*, ita legitur ibi, ænigmatum libro translatum, reperiri, unde nescio, quomodo *Textor*, Reusneri opusculo sine dubio usus, id *Symphosio* attribuerit, nisi forte instructus fuit editione quadam, forte *Perionii* ipsius, quæ illud ad Symphosium refert. Quid? in mea Reusneriani libri editione in margine signum a quopiam (††) ad id ipsum ænigma additum esse, a me annotatum video; quasi ad *Symphosii* ænigmata referendum esset. Ceterum num illi versus, quos doctissimus *Vrsinus* in sua *Phædri* editione

(††) Docto certe possessore, id quod ex multis MS. ipsius vestigiis observo.

tione Ratisbonæ 1657. luci exposita, p. 86. sub titulo: *Cælii Firmiani Symposii* affert, & ipsi genuini sint, aliis relinquo dijudicandum; confer tamen quæ p. 6. annotavit *Heumannus* ad Symposii prologum.

ad §. *LVI. p.* 81.

Extare & in Bibliotheca Gallicana S. Germani MS. codicem Symposii ænigmatum.) Hoc codice forsan usum esse olim *Jac. Cuiacium*, frustra suspicatus sum in nota (*x*) ad §. XXXI.

Tantum ad præfationem Cl. *Heumanni*. Nunc paucissima liceat adhuc annotare ad nonnulla loca ipsius *animadversionum in Symposium*.

ad p. 4. *Symposiacas exhibere quæstiunculas*) Conf. quæ §. IV. sq. suæ præf. notavit Cl. editor; neque pœnitebit legisse eruditam *Andr. Christ. Eschenbachii*, Profess. & verbi divini Ministri Noriberg. qui abhinc paucis annis rebus humanis interesse desiit, *Diss. de Symposiis Sapientum*, quæ sexta est in volum. diss. ipsius Norib. 1705. 8. junctim editarum. Hanc ipsam Syllogen esse, credo, quæ Roterodami 1710. sub tit. *Fasciculi Diss. Philol. Eschenbach.* quoque prodiit, & infra p. 132. in notis à Cl. *Heumanno* adducitur.

ad p. 20. Exhibentur hic *figuræ styli scriptorii.* Juvat illis adjicere descriptionem, quam vir doctiss. *Georg. Longus* quondam Mediolan. Bibliothecæ Custos primarius in suo *de annulis signatoriis antiquorum* tractatu, Cap. IX. p. 63. (editionis, à M. C. F. *Rubeo*, Franc. & Lipſ. 1709. 8. adornatæ) tradit: *Erat*, inquit, *stylus, quo in certis tabellis literas faciebant, vel pangebant potius; cujus adeo styli cuspis (id, quod a Turnebo eruditissimo viro observatum est) qua æquor illud cereum inarabatur, acumen cluebat, unde & M. Tullius, omnia sub acumen styli subeant, necesse est: altera pars retusa erat, qua veluti transverso calamo inducebant, eradebantque obliterantes, si qua (si qua* latinè scribendum erat) *minus ex sententia videbantur, ipsamque ceram denuo complanabant, sartam (uti prius) æquabilemque concinnantes ad novam scripturam supponendam, quasi succidaneam, veteri, ac fugitiva illa expuncta.* His adde, quæ Vir à reconditâ, doctrinâ & elegantissimis moribus commendandus *Joh. Matthias Gesnerus*, Gymn. Vinar. Con-Rector nuper annotavit in *Chrestomathia Pliniana* ad Sect. XV. n. 20. p. 154. adducto hoc epigrammate ex *Symposio nostro.*

ad p. 92. Ænigma hoc LVII. ordine

versuum tamen immutato, profert *Gesnerus*, libro modò allegato, n. XX. 20. p. 209. ubi vide, quæ ipse docte annotavit.

ad p. 150. *per digitos supputandi ratio.*) In Catalago MSS. Codicum, qui olim in Bibliotheca *Isaaci Vossii* fuerunt, a *Colomesio* concinnato, & hujus operibus in Edit. Hamb. adjecto, inter libros latinos n. 310. p. 884. aliquis occurrit, cui tit. *Ars computatoria per digitos incerti auctoris.*

Plura addere spatii forte angustia prohibet. Fruatur interim his lector benevolus, & si qua occurrent, minus forsan rectè dicta, ea æquo ut emendare animo haud gravetur, ad extremum ab ipso contendo.

IV. Epi-

IV.

Epistolæ aliquot ineditæ. (†)

A.

Medicæ facultatis peritissimo viro doctori Wolfgango Rychardo Ulmensi Domino & amico suo integerrimo Joannes Bohemus. (*a*)

S. D. Legi his diebus suavissime doctor schedam sub nomine tuo emissam de horrendis quibusdam inundationibus, (*b*) terræ motibus & peste narrantem, de qua non

(†) Has itidem descripsi ex Volumine manu exarato, quod Virum Plur. Vener. Christianum, Ehrhartum olim Pærceptorem, nunc Fautorem meum honoratissimum benevole mecum communicasse P. I. p. 296. gratus sum professus.

(*a*) Joannes Boëmus Aubanus, natione Teutonicus, cujus habemus Libros tres de omnium gentium moribus, legibus & ritibus, sæpenumero recusos. vid. Conr. Gesneri Bibliothecam f. 391. edit. Tigur. A. 1545. Minus gratum esse potuit opus hoc, alias non prorsus ineptum, nobilibus & clericis Germanis, de quibus satis libere judicat autor L. III. C. XII. p. 255. & 257. editionis Francisci Perrini A. 1570. in 12.

(*b*) Videtur digitum intendere in imaginarium istud diluvium, quo orbi perniciem A. 1524. impendere Astrologi quidam, interque hos præcipue Joann. Stöfflerus

ſatis admirari potui: quo authore motus nugis his nugaciſſimis atque apertiſſimis ſubſcripſiſti. Acceſſiſti forſan Joanni Hasfurdiano (quem mihi nunciaſti diem obiiſſe extremum) qui in judiciis ſuis hoc ſuper anno ſatis horrenda, ſatis temere & mendaciter prædicat: inſigniterque reluctatur aliis aſtronomicæ artis peritiſſiis: quibus nequàquam ipſe calceamenta ſolveret. Lege conſilium quod doctiſſimus Niphus (c) Carolo Cæſari ſuperioribus diebus de diluvio hoc ſignificavit: & quod ego Joanni Heybler apothecario in linguam noſtram vulgarem traduxi:

---

lerus, Mathematicus famigeratiſſimus ex conventu omnium planetarum in piſcibus nunciaverant, & univerſæ Europæ eum injecerant terrorem, ut ipſi etiam Reges & Principes tremebundi haud exiguis ſumtibus de mediis jam ſollicite proſpicerent, quibus generali iſti inundatione reſiſti poſſet. Eruditorum tum ea in re ſtudia in partes ſciſſa erant. Lectu digniſſima ſunt, quæ hoc de argumento divite manu exhibet Vir Summus, Petrus Bailius in Diction. Artic. Stofler, not. (B) ſq. Boëmus igitur noſter haud fuit ex meticuloſorum numero.

(c) Auguſtinus Niphus Philotheus Sueſſanus, celeberrimus ſui tempori Philoſophus, ut orbem a gravi timore liberaret, A. 1520. in 4. Auguſtæ Vindelicorum Libros tres de falſa diluvii prognoſticatione edidit & Carolo V. dicavit. vid. de hoc Viro ejusque ſcriptis Conr. Geſneri Biblioth. f. 105. ſqq. & Naudæum in Judicio, de eo vulgato.

traduxi: lege quæ Epiſcopus Italus (*d*) Sempronius (ſi bene memini) Romano pontifici ea de re practicavit. Nihil me omnino portentoſa, inconſulta, ſed efficta mendacia movent. Sed ſperandum & fortiter credendum Dei Opt. Max. Oraculo: Non perdam ultra aquis diluvii omnem carnem. Eſt omnis caro humanum genus: ne conjectoris veritas probetur. Tuum igitur erit perſpectis aliorum doctorum virorum veridicis teſtimoniis puſillamines confortare, erigere: ne talia formident unquam atque maximis illis expenſis parcant in obſtruenda inundatione: quæ neque ſic (etiam ſi veniat) compeſci poterit. Vale mi Vulcane (*e*) mulciber Neptuni adverſator belliſſime. Ex Ulma Die Dorotheæ.

B.

Docto & humano Viro & Domino Wolfgango Rychardo Medicinæ Doctori, amico ſuo chariſſimo. Johannes Bohemus tuus ille vetus amicus.

S. D. Admiraris ne dubio chariſſime Doctor: quam ob cauſam tam diu ad te

(*d*) Forte Paulus de Middelburgo, Foro ſempronienſis Epiſcopus. vid. Baile l. c.

(*e*) Sæpius per jocum in literis ſeipſum Vulcanum pro Wolfgango nominat Rychardus. Qua vero de cauſa hic ingenioſe eo nomine illum apellet Bohemus, facille me non monente vides.

scripserim nihil, inimicitiam aut odium fortassis aliquod me perperam fovere, otiumve sectari æstimare potes: Sed neutrum est. Tabellariorum me Hercules inopia fecit. Dedi omnem operam, ut ad literas quas M. Martii dieculis ad me dedisti responderem, commodum nuntium semper habere nequivi: aut enim iis qui ab Ulma ad nos venere alio eundum fuit: aut si qui à nobis hinc mittebantur me inscio iverunt: sic spe mea semper frustratus rescripsi ad hunc diem plane nihil; verum ut de conditione statuque meo certior fias: incolumem me & integrum esse Dei beneficio scias: atque (quod mihi desit nihil) beatum totum; contentus sorte mea, nihil percupio extra. Accessere mihi ex vicino aliquot amici: sed quia pro more suo aut fastu tument, aut lucro inhiant, mihi non conveniunt. Privatus itaque agens earum amicitiarum potius spectator sum quam admirator. Scripsi diu nemini: ob id præsertim, quod tam contraria sint hominum studia. Lutheranus (*f*) ipse totus factus sacerdotulis aliis fabula

(*f*) Eam ipsam ob rationem hanc epistolam inserui, ut exin Bohemum tandem in Lutheri partes concessisse, victasque manus, ipsius forte Rychardi argumentis

fabula sum: admirari possum, quod olim tantopere renitebar; non mentior tamen: mihi multa Lutherana opuscula comparavi: quibus perdius & pernox incumbo, alias nihil agens, genio studeo: sumque ob id robustior vegetiorque quam olim eram. Scire abs te & tuam & omnium nostrorum amicorum conditionem cupio: rescribe. Vale & salve doctissime Doctor ex Capffenburg: fratres nostros Elchingenses Dierlinum atque Philerемum charissimos meo nomine salvere feliciter jubeas.

C.

Clarissimo Medico Vulcano Rychardo amico suo non postremo Philomusus (g)
εὐπράττειν.

UTriusque Apollinis mysta: arte medica famigerabilis: & plectro non inamoenus:

mentis persuasum, dedisse pateret. Ex aliis enim ejus epistolis & carminibus manuscriptis illum a Megalandri nostri dogmatibus animo prius fuisse alieno novi, vide epistolam Rychardi ad Hegendorfium, quam inferius exhibeo.

(g) Jacobus Locher Philomusus, Poëta & Professor Ingolstadiensis, pro ejus aevi genio non ineruditus, qui praeter varia carmina, aliaque opuscula Fulgentii Mythologiam, commentario illustratam, luci

nus: cum meam importunam podagram, cœcam, rabiosulam malagmatis, turundis & pharmacis salutaribus levare nequeas: quem morbum noster Plinius in multis curatum ac expulsum scribit: me interim dulcissimis verbis oblectas: quibus & pondus & gravitas elegàntiaquè comes adhæret. Frustra in tuam Classem excandescis, quam Barbaralexibus ulcerosam esse putas. Si verum admittitur in hac literaria censura, in hoc quoqué verborum æquilibrio, præstantiores, tersiores cultioresque ipsis Jureconsultis, theologastris, sophistis, & leguleis archiatri, dogmaticique medici, & numero siquidem plures extiterunt. Ut paucos tamen in præsenti scheda explicem, non inconveniens esse reor: dabis veniam temerario præconi: qui lapidi insistens, non potest non proclamare excellentis ingenii viros, quorum monumenta oculis (ut aiunt) milvinis emissitiisque sæpius inspexi. Stephanus Bononiensis medicus à Philippo Beroaldo præce-

luci exposuit. Alio tempore de ejus vita & scriptis disseram, cum ejus memoria perquam obscura sit. Quædam hujus viri opuscula enarrantur in Conr. Gesneri Bibliotheca. f. 357. Plura illius epistolia & carmina in eo ipso volumine, ex quo has hausi literas, latent adhuc anecdota.

præceptore dulcissimo in sermonis puritate, inaffectataque ellegantia, Ciceroni oratorum principi subinde comparatus: cujus libri in Bibliotheca divi Jacobi chalybiis nodis & annulis vincti cum blattis luctantur. Petrum Racobonellam, Hieronymum ac Alexandrum, Veronenses Medicos, ore Latino melleos, charactere Romano togatis patribus haud absimiles: quis non ad astra lucida vehit? Invidum justa lance judicares: si meos synchronios ex medica classe doctissimos, comissimos, facundissimosque tibi non recenserem: Audi quæso, quos in album recipiam. Thomasius, Mediolanensis totius Insubriæ lux: cum Professoribus Musæ elegantioris pro palma sæpius certavit. Auantius Hieronymus eruditissimis annotationibus medicam philosophiam castigavit. Bartholomeus Bologninus Felsinensium archiatrus non aphorismis tantum sed versibus, oratione soluta, extemporalique facundia saxa movet, feras allicit, & flumina sistit. Germanos non prætereo. Quos nam? Joannem Canterem & Theodoricum Vlsenium Phrysios, quorum alter in Galenum: alter in aphorismos Hippocratis non salebrosas, non barbaras non denique chimerinas comentatus

est annotationes. Joannus Nellus & Joannes Vuindeckius tam prosa quam vorsa oratione candidi fuerunt. Forte dicis, ubi sunt ingenii monumenta? ibi latent, ubi regnat invidia: Barbaries Scythica hæc omnia obruit: & ne in lucem veniant, cruce, furca, gabalo, pistrinis, ergastulo, hostimento, carcere prohibentur. Sine dulcissime Vulcane, me in tuis medicis luxuriari. Patavii medicinæ initiatum matricula me continet, meo voto non nullos rectores elegi, & candidatos foui; tunc medicum audivi, colui, observaui, nomine Petrum Leonem: qui non bisquinque scholasticis, sed ducentis legebat: cujus salarium excedebat (*b*) quadringentos mille florenos; qui Græcam, Arabicam, Hebræam, Latinam adamussim callebat. Quem meus Hermolaus Barbarus omnibus philosophis, magis, gymnosophistis, medicis præferebat. Proh dolor illius incomparabilis librorum suppellex duobus millibus Philippeis æstimata in momento periit. Væ tibi Florentia, quæ tantum virum necasti! Ab æmulis (ut fama fert) in puteum

(*b*) Hoc omnem superat fidem. Forsan Philomusus scribere voluit quater mille, vel quadringentos & mille florenos.

teum noctu productus & dejectus misere interiit (*i*). Reliquum est quod reticere non possum: quod & doctissimi quidam ex Italis monuerunt me: quod & quotidie fieri cernimus, tralatoribus nostris impossibile esse in libris Græcis transferendis eundem colorem, eandem syntaxin eandemque speciem præstare posse: dum ipsi quasi aliud agentes, verborum elegantiæ student: sententiarum gravitatem, veritatem materiæ & sylvam rerum amittunt. Hoc Cicero ante multa lustra testatus: hoc in vitis Plutarchi experimur hoc in Sophocle Philelphi: hoc in Euripide Erasmi: nunquam obtinebis, ut lingua Græca in Latinam traducta, eundem quem prius saporem teneat, nativamque germanitatem conseruet. E contrario factum est in Ouidiana meta-

(*i*) De hoc Petro Leone & infelici ejus fato vide, quæ ex Reusneri elogiis notavi in P. I. p. 43. e quibus etiam hic adjicere juvat Jani Vitalis in eum epigramma:

Dum timet astrologus, sua fata, Leonius undas,
Et fugit e ripis magne Timave tuis:
Illa eadem frustra fugientem adversa sequuntur,
Qua rapitur tacita nobilis Arnus aqua.
Hic tu florentem medicis Florentia curis
Præruptum (o facinus) corripis in puteum.
Astra repræsentat sic, funera dum fugit ille:
Tutius hunc poterant quam latuisse poli!

metamorphosi, quam Chalcidensis quidam natione, Venetiis Græcas literas publice docens in Linguam transmarinam traduxit: docte nimirum, sed infeliciter. Græca enim Syntaxis Ovidianam ac togatam eloquentiam referre non potuit; quære idiomatis etymon: facile colliges: quid etiam candidissimi in hac commutatione assequi possunt. Balbus balbum intelligit: hinc tuis Doctoribus faue, qui in propria lingua nec soloecissant, nec barbarissant. Podagricus sum, & consequenter insanus: non sanos licet esse poëtas. Accipe proinde in bonam partem nugamenta mea, quæ in foro teruntii non veneunt.

Me vocat Auripolis: retinet male sana podagra:
Dulce malum vini, terra Süeva polus.
Me vocat Auripolis, linquam mea crura pedesque,
Jucundos latices: Ulmea prata solum &.
Me vocat Auripolis: seiungor corpore tantum:
Mens addita Manet: Doctor amice vale.

Dii bene vortant.

D. Wolf.

D.

Wolfgangus Rychardus artium & medicinæ Doctor, humano & sane docto Christophero Hegendorfino (k) Lypsiæ bonis literis addicto amico suo speratissimo.

S. D. P. utraque & Ebrietatis & sobrietatis Encomia ex tuis scriniis edita doctissime Hegendorfine, obuiis manibus apud Bibliopolas novitate illecti conciliavimus atque pellegimus: pellectáque talia offendimus, quæ felicis ingenii sane sunt locupletissima testimonia, fragrantibus flosculis decentissime cæsariata: & delicatis salibus laute condita. Itaque cum nuper apud humanissimum poëtam Joannem Bohemum fraternum amicum de classicis vatibus varias inter colloquendum mentiones faceremus, tu vel imprimis ex Bohemi bucca prosiliebas. Protinus ego gaudio attonitus audito tuo nomine & cum Bohemo familiaritate: qui meam in te admirationem olfaciens: statim obtulit epistolia tua ad se data: quibus lectis adeo tuæ amicitiæ nanciscundæ feruore æstuavi: mihi non potui, non hoc moro-

(k) De Christophori Hegendorfini, J. U. Doctoris, scriptis vid. C. Gesneri Biblioth. f. 165. sq.

moroſitatis indulgere, tibiqué aliis amicis tua ſorte digniſſimis cumulatiſſime ornato novam meam obſervantiam conſarcinare: quæ etſi nec honori, nec utilitati forſan tibi futura eſt, ne tamen noxia & detrimentoſa fiat pro viribus curabo. Porro ne Aphricanum me monſtrum alere ſuſpiceris: intelligas me Apollinem vna cum Luthero cernuum ſuſpicere & adorare. Poſtquam autem ex literis tuis liquido cognoveram phœbeas tuas diuitias: & pariter Lutheri partes ex corde te fovere: tantam mihi addidiſti amandi tui flammam: quantam alias nunquam. Nocturnos tamen Bohemi oculos in hac re, frontemque obduratam ſuſpiritus deploro, qui hactenus nobiſcum Lutheri ſententiæ ſubſcribere noluit. Tu tamen mi chariſſime Hegendorfine velut Baryphonus Stentoreus quidam tuis literis clamoſe intona: & crebriter Bohemi aures obtunde. Si quid vnctius & delicatius de Luthero conquiſiueris, ad nos ocyus transſcribas: quo athletice pugilicéque tandem adamata Bohemi pectora remolliamus: & fratrem fratres lucrifaciamus. Ego enim hoc ſuffragio apud me Lutherum deuoveo: quod Chriſtum ſpernere exiſtimem, quisquis Lutherum ſpernat. Quare tuum illud

dyſtichon

dyſtichon totum bracteatum, totum ad palatum & ſtomachum mihi opipare conducens, quo canis:

Hæreſibus ſi dignus erit Lutherus in vllis
Et Chriſtus dignus criminis hujus erit.

Ita enim nos reddidimus, quoniam ſiç perplacuit, quod te non potuimus reddentem operiri moræ impatientes: nam taliter ad nos venerat.

Si cadit in doctum Lutherum forſan hereſis
Et Chriſtus dignus criminis hujus erit.

Hoc dyſtichon vicatim tanquam panegyricum ſpectaculum & velut mare in concha coram omnibus amicis circumferam: hoc dyſticho meum de Lutheranis ſcriptis captum: & tuum Apollineum furorem primo calculo digniſſimum comprobabo. Præterea ſi qua carmina vel ex aliorum vel ex tua officina apud vos hoſpitemini: fac ad nos perferantur: hac una re, nec mihi, nec aliis bonarum literarum myſtis qui hic ſunt gratius præſtare queas nihil. Tota Suevia Lutherum Evangelii tympanotribam: & ſyncera fontanalia celebrantem admiratur & ſuccollat: ejusque nomine nihil apud nos ſpectatius emergit. Eſt autem olidus hirquitalus quidam Luthero Zoilus

lus psoram suam scalpens: susque in Palladem glaucommata oculis nostris objicit, nasumquo nostrum ozenam & polypum occupare ratus: putida & nugalia quædam deblaterat, per theutonicos libellos mendacia purpurissata cerussataque divulgavit, nisus spurcissimis Lutherum maculis aspergere. Sed nauseam ad vomitum usque omnibus dextris commovit. Sunt tamen sontici & contagiosi libelli per cuticularem sententiam immatura plebeculæ ingeniá illudentes: quapropter Lutheri discerniculo opus erit. Hosce libellos si Lutherus dignis carbonibus depinxerit: nos per literas certiores redde: quo exemplaria nobis ex Noriberga comparemus: & interea ægriores mentes consolemur. Tu vale & me commendatum habe.

Ad vos Lypsicos illud meum Carmen subjeci in Lutheri partes vos ad hortans, quo manus manum fricet: dans muscas, ut vestros olim Elephantes recipiam.

Ecce novum capiunt nostratia secula vultum,
Et novus in nostris claret Apollo scholis.
Nunc iterum rigidi scandunt ad rostra Catones
Justitiæ cultus cœpit habere locum.

Exul

Exul erat pietas: terràsque Aſtrea reliquit:
Qui verum auderet dicere, nemo fuit.
Sed jam Lutherus multa comitante caterua
Felici niſu vera docere jubet.
Et ſteriles ſulcos Chriſti peraravit aratro:
Et Paulina ſua ſemina ſevit humo.
Lypſenſes vates modo vos æquate cylindro
Horrea: quod veſtri muneris eſſe reor.
Neu dum triticeæ veniant cum fœnore meſſes,
Scrupus trituræ noxius eſſe queat.
Lætas Aonio ſegetes aſpergite rore,
Et viridi totus gramine creſcet ager.
Carduus & lolium veſtro ſubverſa ligone
Marceſcant: mordax eruta lappa cadat.
Si quoque vel corui: vel turba nociua volucrum
Vel malus anſer adit, ſtrymoniæve grues.
Aucupio pereant veſtro, prætendite ſepem
Quo minus infeſtet, ſordidus urſus agros.

Reſcribe per amanuenſem: nam tui characteres ſunt lectu adeo difficiles, & quaſi lituræ. Vale ex Ulma quinto Calend. Februarias A. 1521.

Hiſce epiſtolis ἐπιμέτρου loco ſubjungere placet aliquot epigrammata non inelegantia, forte ad huc inedita, ex eodem volumine

MSto, quod præterea plurima alia hujus generis continet.

I.

De Leone Papa.

Dum Leo conatur falso pessundare pacto
Lutherum sancta relligione virum.
Irrita fecerunt superi mala vota Leonis,
Et pro Luthero mortuus ipse Leo.

2.

Lutherus de se ipso.

Quæsitus toties, toties tibi Roma, petitus
En ego per Christum vivo Lutherus adhuc.
Una mihi spes est, qua non fraudabor, Jesus:
Hunc mihi dum teneam, perfida Roma vale.

3.

De imagine Lutheri.

Explicat hæc facies Martinum picta Lutherum,
Qui veram Christi scit docuisse fidem.
Hactenus ingenium sua per monimenta Lutherus
Præbuit: ast faciem picta figura refert.

4.

Aliud.

Nosse satis fuerat sua per monimenta Lutherum,
Atque loco lucri picta figura venit.
Cernite formosam formoso in corpore mentem:
Degenerem mentem vix caro pulchra tegit.

V. Obser-

V.

Observatio.

De Libro Henrici Cornelii Agrippæ de Incertitudine & vanitate omnium scientiarum & artium.

ANimus est peculiari observatione fraudes illas & latrocinia, *(a)*, quæ infamossissi-

(a) Plura librorum maligne corruptorum exempla suppeditant Dan. Francus in Disquisitione de Papistarum Indicibus Librorum Prohibitorum & Expurgand.

mosissimum *Henrici Cornelii Agrippa librum de Incertitudine & Vanitate Scientiarum & artium ac excellentia verbi divini* editores Lugdunenses maligne commiserunt, detegere, atque adeo opus hoc suæ restituere integritati. Si quid judico, inter omnia Agrippæ scripta hoc præstantissimum est, & caput effert, exquisita eruditione & gravissimis contra illius ætatis errores atque vitia testimoniis refertum. Non serio ubique rem suam agere mihi videtur autor *(b)* sed animi saltim gratia scientias & artes, etiam noblissimas, ipse πολυμαθεϛατος, impugnare, pari fere ratione,

gand. C. Lœscherus in Diss. de Latrociniis, quæ in Scriptores publicos ab hæreticis solent committi, & J. C. Wendlerus in Tract. de Libris a Pontificiis aliisque hæreticis in præjudicium doctrinæ purioris suppressis & corruptis, quam demum adeptus sum cum Dissertatio mea de libris rarioribus sub prælo jam sudaret, alias ejus supra meminissem.

(b) cf. Casauboniana p. 4. & Celeb. Wolfii notas, nec non Eruditissimi Gottlieb Stollii, e cujus lectionibus litterariis me olim in Academia Jenensi profecisse gratus profiteor, Historie der Gelahrheit Prolegom. §. LVI. Hunc vero Agrippæ librum erroribus non vacare lubens concedo.

tione, qua nuper Petrus Burmannus in humanitatis literas, ipse iis instructissimus, invectus est. Seculi vero sui mores ubique data occasione libere & acerbe satis carpens, non potuit non irritare crabrones, multorumque, cumprimis monachorum, in se odia convertere. Audiamus ipsum, ea de re sic conquerentem (*c*): *cum nuper edidissem declamationem illam de vanitate scientiarum atque excellentia verbi Dei, quam in hoc ipsum scripsi, partim ut segniora ingenia ad defendenda bonarum literarum studia excitarem, partim ut monachis istis concionatoribus arguendorum in omni exercitii genere vitiorum non frigida argumenta conferrem, illi hoc beneficium meum ingrato pensantes animo, pariter omnes communem hostilitatem mihi indixerunt, jamque passim a suggestis, a pulpitis, in publicis concionibus, apud promiscuam plebem magnis vociferationibus adversum me clamabant irascebanturque, atque nullam impietatem, nullam haeresin, nullum cotumeliae probrum in me non transferebant, mirisque gesticulationibus, puta illisis digitis, jactatis manibus raptimque retractis, collisis dentibus, fremendo, conspuendo, vicissimque scal-*

(*c*) Lib. VII. Epistol. XXXV. p. 379.

ſcalpendo caput & rodendo ungues, & calcitrando pedibus inſanientes, nullum penitus amentiæ genus omittebant, quo Principis & populi odium iracundiamque in me excitarent. Nec miror ego, tantopere propterea multorum in Agrippam arſiſſe odia: hoc potius miror, ignem illum effugiſſe, eumque hac de cauſa felicem prædico. Prima hujus libri editio A. 1530. prodiit: eo enim anno menſe Decembr. ex Mechlinia ita ad amicum ſcribit (*d*): *Quodſi rudem non dedigneris calamum, & vacat tibi legere, quod ego aliquando in variis diſciplinis profecerim, in hac ipſa declamatione noſtra, de vanitate ſcientiarum inſcripta, quam ad te mittimus, conſpicies, in qua tamen innumeros, typographi errores excuſabis.* Parum abeſt, quin ejus lectionem & venditionem a cenſoribus vetitam mox fuiſſe credam. Sic enim amicus quidam A. 1531. noſtrum in literis (*e*) compellat: *Heri ſub noctem amicus quidam meus, cui nonnihil apud dominum Hoſtratum fuerat negotii, mihi retulit, ſeſe illic cognoviſſe ex ore, ni fallor, ipſius domini Hoſtrati parari adverſus tuos de vanitate*

(*d*) Lib. VI. Epiſt. VIII, p. 286.
(*e*) Lib. VI. Epiſt. XXX. p. 319.

tate scientiarum libros nescio quod mandatum sive edictum prohibitorium, ne quis illos vel vendere posthac vel legere audeat. Id quoniam tua referre, ut scias, existimavi, non potui, quin statim tibi indicarem, quo posses, re adhuc aliquo modo integra vel mature occurrere commoda apud D. Dominum insinuatione, vel aliter tua existimationi, ut commodissimum videbitur, prospicere. Unde vero hæc turba veniat, ab Lovaniensibusne, an aliunde, deprehendere nondum certo potui. Id interim liquet, in Indice prohibitorio Concilii Tridentini Agrippam primæ classis hæreticis accenseri, ejusque opera omnia proscribi: quod in Elencho librorum prohibitorum omnium per Franc. Magdalenum digesto, & prima vice Romæ in typographia Cameræ Apostolicæ A. 1632. in 12. excuso, nec non in Indice prohibitorio Clementis XI. itidem Romæ A. 1711. in 8. vulgato repetitum esse vidi. Nec forte injuria: si audias Hieronymi Hirnhaim judicium, sed iniquum satis, in præfatione, Typho generis humani præmissa ita declamantis: *Titulum de vanitate scientiarum præsenti opusculo præfixurus eram, sed veritus fui, ne si a fronte signum hoc præferret, timorati lectoris animum statim a se averteret;*

tanquam ea interius propinaret, quæ simili sub hedera exitiose propinat liber Cornelii Agrippæ, qui de vanitate scientiarum volumen pariter exaravit, dignum meo quoque arbitratu, in quod ingeniorum omnium scientiis excultorum acies & aculei stringantur, dignum tenebris, dignum infernali cum probrosis authoris sui manibus addici Vulcano &c. Hoc tamen non obstante, plus simplici vice liber iste, quem ego potius dignum esse censeo, qui in omnium literatorum versetur manibus, recusus fuit, & A. 1713. in Germanicum quoque sermonem, sed inepte, translatus. Quin imo Lugduni per Beringos fratres A. 1600. non hic solum liber, sed & reliqua ejus opera omnia, Summorum Pontificum decretis susque deque habitis, in forma octipertita prelo iterum subjecta fuere. Qua vero fide (ea scilicet, quam Punicam & Græcam merito dixeris) illud factum sit, pluribus jam demonstratum dare, operæ pretium esse duco. Contuli enim aliquando ex amussi rarissimam libri de vanitate scientiarum editionem, A. 1532. in 8. absque loci indicio publicatam, cum ea, quam Lugdunenses dederunt, ac deprehendi, haud pauca in hac vafre & malitiose resecta esse. Hunc labo-

laborem eo lubentius in me ſuſcepi, quod in ipſa recentiſſima illius operis editione Francofurti & Lipſiæ, vel verius Stetini, A. 1714. ſumtibus hæredum Pleneriano-rum in 12. vulgata, quæ omnium teritur manibus, cuncta ea quoque deeſſe animadverti, quæ in Lugdunenſi deſiderantur, ut adeo illa ad hanc expreſſa fuiſſe videatur. Hac occaſione mirari ſubiit, Lugdunenſes editores, in iſto libro mutilando tam ſtudioſos, non ſuperſtitioſiſſimum duntaxat librum quartum de occulta philoſophia ſeu de ceremoniis magicis, Agrippæ perperam affictum, ſed & alia opuſcula inſipida, æterniſque tenebris digna, v. g. Petri de Abano Elementa magica, G. Pictorii Villingani de ſpeciebus magiæ ceremonialis, quam Goëtiam vocant, epitomen &c. luci exponere publicæ veritos haud fuiſſe. Hoc tamen ingenue etiam profitendum eſt, non omnia veritatis teſtimonia, ab Agrippa prolata, atroces editorum manus eſſe paſſa, ſed haud pauca, eaque graviſſima, in ipſa illa manca editione extare adhuc integra & illæſa. Cæterum perſpicaciſſimus Bailius poſt Th. Crenium jam editionem Lugdunenſem mutilitam eſſe annotavit. Ita enim ille (f):

(f) in Diction. artic. Agrippa. f. uo.

Disons aussi que l'Edition de ses Oeuvres, faite a Lion, en deux volumes in 8. est mutilée dans un endroit qui pouvoit déplaire aux gens d'Eglise. Idem in observationibus, textui subjectis, post alia hæc habet: *Voilà un passage qui ne paroit pas dans l'Edition de Lion. Mr. Crenius, qui a fait cette découverte, s'est bien plaint de cette supercherie. Voice ses paroles: Mala fide per Beringos fratres Lugduni A. MDC. in 8: edita sunt Henrici Corn. Agrippæ .... Opera; utpote in qua multa omissa sunt editione, quæ in prioribus erant. Atque ne hoc gratis dixisse videar, capias exemplum e tractatu de Incertitudine & Vanitate Scientiarum atque artium, in cujus CLXIV. p. m. 189. de Lenonia sequentia hæc, quæ ex optima, recognita, plena & scholiis marginariis (retineo vocem in titulo libri positam) illustrata editione, sine loci adjectione, A. MDXXXVI. in 8. excusa, admodum rara, daturus sum, in Lugdunensi plane dempta sunt:* Jam vero etiam lenociniis militant leges atque canones, cum in potentum favorem pro iniquis nuptiis pugnant, & justa matrimonia dirimunt: sacerdotesque sublatis honestis nuptiis turpiter scortari compellunt: malueruntque illi legislatores sacerdotes suos cum infamia habere

con-

concubinas, quam cum honesta fama uxores, forte quia ex concubinis illis proventus est amplior. De quo legimus gloriatum in convivio quendam episcopum; habere se undecim millia sacerdotum concubinariorum, qui in singulos annos illi aureum pendant. *Hæc omnia, & alia forte plura, neque enim integrum hactenus contuli, pro more eraserunt adversarii, clarum relinquentes documentum, illorum quid editionibus tribuendum* (*g*). Miror, ne hunc quidem locum in novissima editione Stetinensi restitutum esse. Haud vero vanam fuisse diligentissimi Crenii suspicionem, ex dicendis mox patebit. Cum enim cætera loca quæ in recentioribus editionibus desiderantur; ab aliis, quod ego sciam, annotata non sint, ea fideliter hic adscribam, ut Agrippæ sic postliminio sua vindicentur: Videlicet hæc deficiunt *Cap: LXII. de sectis monasticis* in edit. Lugdun. p. 114. lin. 32. in editione vero Stetinensi p. 273. lin. 14. post verba *sed hodie* pauci inter eos boni, *ingens autem. Cap. XCII. de Jure Canonico* edit. Lugd. p. 208. l. 25. Stet. p. 500. l. 7. post v. *compilavit* tyrannus ille Pontificum *Bonifacius*

(*g*) Animadverf. Hist. Phil. Theol. P. II. p. 13. 14.

cius VIII. Cap. XCVI. de arte Inquisitorum ed. Lugd. p. 213. lin. 40. Stet. p. 513. l. 10. post v. *ignem evasere.* Possem hoc loco referre famosi illus Hoochstrati cæterorumque Coloniensium meorum subtile admodum & plusquam scotisticum inventum de inquirendis Judæis, omnemque illam Capnionis tragœdiam, & decennale bellum, in quo omnis Coloniensium magistrorum nostrorum nomen & fama & doctrina irreparabile naufragium fecerunt, nisi hæc omnibus notissima essent, & Capnionis triumpho omnibus seculis clara historia. *Fuit mihi olim.* *Cap. XCVII. de Theologia Scholastica* ed. Lugd. p. 216. l. 14. Stet. p. 519. l. 5. post. v. *atque hi tunc* subtiles, angelici, seraphici & divini *doctores vocantur.* eod. cap. ed. Lugd. p. ead. l. 42. Stet. p. 520. l. 18. post. v. *attendentes.* Hinc nullus theologorum nunc vere doctus habetur, qui non in sectam aliquam juraverit, illamque mordicus teneat pertinaciterque defendat, illiusque nomen & stigmata nusquam non ostentet, & in ore habeat, & ejus titulo se salutari & præferri glorietur, ut Thomistam, Albertistam, Scotistam, Occamistam. Nam purum Christianum dici tantis magistris nostris non est honestum, cum

cogno-

cognomentum illud quilibet lanii, coci, pistores, sutores, tonsores, lixæ, sed & mulierculæ quæque indoctaque plebecula cum illis habere queant commune. *Atque hi sectatores.* eod. cap. edit. Lugd. p. 217. l. 15. Stet. p. 521. l. 17. post. v. *idololatria.* Transeo cæteras eorum hæreses contentionesque de sacramentis, de purgatorio, de primatu pontificum, de præceptis & eorundem obligationibus, de indulgentiis, deque futuro Antichristo, & multis aliis, in quibus suam ostendunt insanam sapientiam, cujus præsumtione tumidi & inflati, velut qui fabulis referuntur gigantes, quæstiones quæstionibus, argumenta argumentis adgenerantes, extollunt sententias suas adversus Deum, super quorum impietatem ira Dei de cœlis revelatur. *Cæteri vero.* eod. cap. edit. Lugd. p. 218. l. 11. Stet. p. 523. l. 23. post v. *sed* de istis satis: neque enim tutum est eos liberiori loquendi ratione redarguere; solent siquidem quoties exacerbantur conspirare, & redarguentes eos coram inquisitoribus suis in jus rapere, & ad palinodiam adigere, nonnunquam faciſculis tradere aut oblato toxico secrete e medio auferre. Habent enim & hoc inter arcana religionis symbola, si quis scandalum moliatur religioni,

gioni, fas piumque esse, illum clam dato veneno tollere; ne diffametur ordo, si quis illorum publice puniretur, quare *dimissis istis. Cap. XCVIII. de Theologia interpretativa.* edit. Lugd. p. 220. l. 24. Stet. p. 529. l. 12. post. v. *voluminibus*, sed non etiam sine multis erroribus *tractatam.* ibid. ed. Lugd. lin. ead. Stet. lin. 13. post v. *neque vero* vos seducat illorum sanctitas autoritasque, ut *illis. Cap. XCIX. de Theologia prophetica.* ed. Lugd. p. 221. l. 12. Stet. p. 531. l. 6. post. v. *quod verbum* non ad magistros nostros, *non ad contentiosos theosophistas*, non ad indulgentiarum cauponatores *dictum est. Cap. C. de Verbo Dei.* edit. Lugd. p. 227. l. 8. Stet. p. 545. l. 13. post v. *judicare*, nec ullorum quorumcumque doctissimorum aut sanctissimorum dogmatibus, glossis, commentis cæterisque dictis alligari, quicunque citra vel ultra divini verbi authoritatem loquuntur. *Quodcunque.* ibid. edit. Lugd. l. 11. Stet. l. 17. post v. *Philosophorum* nulla theologorum Sorbona, *nec.* eod. cap. ed. Lugd. p. 229. l. 28. Stet. p. 551. l. 11. post v. *amatores:* atque utinam non etiam multi illorum sub prætextu theologiæ defenderent doctrinam Satanæ, veritatem verbi Dei conculcantes atque damnantes.

tes. *Nunc igitur.* cod. cap. edit. Lugd. p. 230. l. 7. Stet. p. 552. l. 18. post v. *tragœdias*, Sorbonicas contentiones, cucullionum hypocrises, *& sanctorum.* cod. cap. ed. Lugd. p. 232. l. 6. Stet. p. 557. l. 9. post v. *pertineat*: quodve sic concreditum sit istis sesquipedalibus magistris nostris, ut id Christianum populum debeant possintve celare: *quibus tota. Cap. CI. de Scientiarum magistris.* ed. Lugd. p. 233. l. 28. Stet. p. 560. l. 25. post v. *inquinati*, & in quorum corde tanquam in tabula rasa nihil adhuc depictum est humanarum traditionum: *qui sunt.* ibid. ed. Lugd. l. 31. Stet. p. 561. l. 3. post v. *justitiam* ab illis contentiosis sophistis, ac pro beanis & assinis ridentur, & traducuntur in scholis, prohibentur a pulpitis, ejiciuntur gymnasiis, nonnunquam calumniantur hæretici: etiam periculum capitale in eos statuitur, & diris suppliciis vita privantur. *Sic Athenis.* Præterea editio Lugdunensis p. 213. lin. 5. pro *rapacium luporum tribunal*, quod vetus editio habet, data, ni fallor, opera, sed nullo sensu *rapacium authorum tribunal* exhibet, quod spahlma etiam expressit Stetinensis edtio p. 511. lin. 12. Plura forsan hujus generis supersunt, quæ meam effugerunt industriam.

Cæte-

Cæterum ea, quibus in calce vetustæ editionis ab illo, qui ejus curam gessit, compellantur Lectores, digna nobis visa sunt, quæ heic quoque adscriberemus, cum in recentioribus frustra quærantur. „Si verum est, quod Oratius ait: Omne tulit „punctum, qui miscuit utile dulci, multis „sane nominibus hic liber Agrippæ vobis „gratissimus esse debet: nimirum in quo „dubites, plusne sit frugis an jucunditatis. „Ita vera dicendo delectat, & delectando „veritatem in Democriti puteo demersam „velut postliminio in lucem revocat: dum „omnes omnium scientias ad sacram illam „scripturam, divinitus (ut inquit Apostolus) inspiratam, velut ad Lydium aliquem „lapidem examinat, tam apposite sciteque „rem ipsam citra circuitionem aliquam explicans, ut nullus Apelles penicillo melius „exprimere potuisset: Verum si quibus forte tam tenellæ sunt aures, ut mordacem „hanc veritatem ferre æquo animo nequeant, atque ob id lingua viperina obloqui cœperint, nimirum quod in suam „professionem quippiam minus pro dignitate dictum putent, ii meminerint, se nihil „adversus auctorem dicere, sed suam ipsorum sceleratam conscientiam prodere.

„Nihil

Nihil enim peculiariter in facultatem ali- „
quam scriptum est, sed generatim in omnes. „
Qui vitia sua agnoverit, cuique conscien- „
tia secretam in aurem obganniverit, ut „
Persius inquit, illum summa ope adniti de- „
cet, ut sese corrigat: sin minus, nihil in „
se dictum putet. Contra si quis meliora „
candide ac citra invidentiam in medium „
adferre poterit, is non solum apud studio- „
sos omnes, verum etiam apud ipsum au- „
ctorem se summam gratiam initurum, „
nihil ambigat. Bene vale, Parisiis apud „
Sorbonam." Præmissum est huic editioni privilegium Caroli V. Imp. Gallico idiomate Mechlinii A. 1529. d. 12. Januar. datum, quo Agrippæ libri de occulta philosophia, de vanitate scientiarum, in artem brevem Raymundi Lullii commentaria & Tabula abbreviata, nec non quædam orationes & epistolæ muniuntur, aque Georgio de Themseke & Hermanno Sunderhuisen jussu Cæsaris examinata hæc opera & approbata dicuntur. Tandem uno verbo hoc etiam monendum est, in margine veteris illius editionis passim notulas quasdam comparere.

Cæterum duo adhuc, ad hujus libri historiam pertinentia, quæ supra suo loco præ-

termisi, heic mihi adjicienda sunt. Primum, quod jam (Lib. IV. Epist. 44. p. 189.) An. 1526. d. 16. Sept. Capellanum Noster certiorem fecerit, se opus hoc elaborasse: *Scripsi his diebus volumen satis amplum, cui de incertitudine & vanitate Scientiarum atque excellentia verbi DEI titulum feci. Tu, si aliquando videbis, credo, laudabis argumentum, admiraberis tractationem, & judicabis Regia Celsitudine non indignum: sed ego illud Regi dedicaturus non sum. Invenit namque opus illud Patronum sui cupidissimum, & de me optime meritum.* Nulla tamen vestigia deprehendo e quibus librum hunc, tum quidem compositum, ante Annum 1530. in lucem prodiisse appareret. Alterum fata adversa, quæ opus hoc vix natum expertum est, ipsius Agrippæ calamo sic depingit: *Ego, quanto fuerim in periculo, jam primum rescivi. Tantum enim, dictum est mihi, prævaluerant cuculliones illi apud Dominam* (Margaretam intelligit) *sed muliebriter religiosam principem, ut, nisi illa mox periisset, jam ego, quod maximum crimen est, monachalis majestatis sacræque cucullæ reus, tanquam in religionem Christianam impius, periturus fuissem: sed & nunc audio, illos adversum me multo crudelius instare apud Cæsares; & librum nostrum*

strum de Vanitate magnis calumniis onustum tradidisse Ferdinando Cæsari primum, qui illum tradiderit Carolo Augusto, graviter indignato, suas literas suaque sigilla ipsi præfixa, mihique comminato nescio quas Cantharidum minas. Itaque jam non aliud expecto, nisi ut verificentur omnia illa, quorum ego in præfatione ad lectorem mihi vates fui. Hæc scripsit Mechliniæ An. 1531. d. 19. Januarii.

Vid. Lib. VI. Epist. 15.
p. 294.

VI.

ELIÆ EHINGERI

VIRI QUONDAM CELEBERRIMI

DE FIDELITATE SERVANDA

In AUTORIBUS CITANDIS

DISSERTATIO

nunc primum e Schedis Ejus edita (*a*).

ILiacos intra muros peccatur & extra, vetus & verus est versiculus, quo declaratur tam Trojanorum quam exterorum profligata malitia. *Injusti sunt Barbari*, Testimonio Salviani de Gubernatione DEI lib. 4. p. 137. *& nos*

(*a*) Debeo hanc dissertationem benevolentiæ Viri Clarissimi, & eximia eruditione ornatissimi, Jacobi Brukeri, nunc Rectoris Scholæ Kaufbyrensis, & Rever. Ministerii Evangel. ibidem adjuncti, optime merentis, qui non hanc solum, sed & plures ejusgeneris ex beati viri Schedis autographis, quarum dignissimus possessor ipse factus est, liberaliter mecum communicavit. Quicquid ergo utilitatis ac voluptatis cum ex hac, tum ex aliis, in posterum a me vulgandis, capies, id omne Præstantissimi Brukeri, humanitati acceptum feres. Hac ratione bene mereri, perget de manibus B. Ehingeri, cujus vitam, elegantissima commentatione descriptam, non ita pridem luci dedit publicæ.

& nos hoc sumus: avari sunt barbari, & nos hoc sumus: cupidi sunt barbari, & nos hoc sumus: impudici sunt barbari, & nos hoc sumus, omnium denique improbitatum pleni sunt barbari, & nos hoc sumus.

Jam de FIDELITATE servanda in citandis auctoribus agam, absque respectu personarum: vestrum erit, benignè legere, benignius judicare, benignissime a falsis citationibus abstinere.

Et primo quidem Scriptores Pontificios fidem historicam non semper servasse, adduco vobis GRATIANUM, qui Augustinum Tom. 9. Tract. 30. in Johannem scribentem p. 168. *Sursum est Dominus, sed etiam hic est veritas Domini, corpus enim Domini in quo surrexit, IN UNO LOCO ESSE POTEST*, Augustinum, inquam, corrupit, quod scripserit, *in uno loco esse potest*, Gratianus ait, *in uno loco esse OPORTET*.

De hoc Gratiano Possevinus Appar. tom. I. p. 560. inquit: *sciendum est, eum sæpe errasse, tribuentem iis autoribus opera, quorum non essent:* insuper monet, *eum circumspecte legendum.*

GRETSERUS de Cruce l. 1. c. 63. p. 225. *nec est, quod moveatur autoritate Gratiani, quippe cui potius cura fuit veterum*

sententiam in unum colligere, quam accuratiore disquisitione, quænam genuina, & quæ notha seu commentitia essent, indagare.

D. JACOB KELLER Tom. 2. Catholici papatus p. 650. Gratianus hat der Fablen mehr in seinen Codicem hinein geflickt, zwar gut gemeynt, aber nicht gut gemacht, Uns binden keine Canones, sie seyen dann ex responsis Pontificum oder Conciliis genommen, oder von solchen approbirt, gut geheissen in üblichem Gebrauch der Kirchen halben, andere gelten nicht mehr, als die, so es geredt haben.

Bellarminus Ambrosium corrupit, de Sacramento Eucharistiæ l. 4. c. 13. p. 274. Ambrosii verba sunt in libro de initiandis mysteriis, c. 9. *ipse clamat Dominus Jesus, hoc est corpus meum: ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi SIGNIFICATUR.* Bellarminus ita citat: *ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur; post consecrationem corpus Christi EST.*

Anne Bellarmine, omne quod significatur, EST? ita circumcisio EST Baptismus; ita agnus paschalis EST corpus Christi?

In Concilio Aphricano ex PETENTIBUS faciunt POTENTES. Episcopi præsentes

sentes re cognita & penitus explorata ad Cœlestinum Episcopum tum Romanum hoc modo rescripserunt. *Decreta Nicena sive inferioris gradus Clericos sive Episcopos suis Metropolitanis apertissime commiserunt: prudentissime justissimeque providerunt, quecunque negotia in suis locis ubi orta sunt, finienda: nec unicuique provinciæ gratiam Sancti Spiritus defuturam, qua æquitas a Christi Sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissime teneatur; maxime, quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum ad concilia suæ provinciæ, vel etiam universale provocare, nisi forte quispiam est, qui credat unicuilibet DEum nostrum posse examinis inspirare justitiam & innumeris congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare: aut quomodo ipsum TRANSMARINUM JUDICIUM ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ vel propter sexus vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis intercurrentibus impedimentis adduci non poterunt? Nam ut aliqui tanquam a tua Sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo constitutum: quia illud quod pridem per eundem Coepiscopum nostrum Faustinum, tanquam ex parte Niceni Concilii exinde transmisistis, in Conciliis verioribus, que accipiuntur Nicææ a S. Cyrillo Coepi-*

 sco-

scopo nostro Ecclesiæ Alexandrinæ, & a Venerabili Attico Constantinopolitanæ antistite ex authentico missis: tale aliquid, non potuimus reperire. Executores etiam Clericos vestros, quibusque PETENTIBUS, nolite mittere, ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi videamur inducere.

Huc usque Concilii verba.

Adhæc Pontificii concilium Laodicenum corruperunt. Nam in hoc Concilio Canone 35. exerte *cultus angelorum* fuit *prohibitus*, *quod non oporteat Christianos Ecclesiam DEI relinquere, & ire atque angelos nominare, & congregationes facere, quæ interdicta noscuntur, si quis igitur inventus fuerit huic Idololatriæ serviens, sit anathema, quia dereliquit Dominum nostrum Jesum Christum, filium DEI & se Idololatriæ tradidit.*

Hinc Origenes contra Celsum lib. I. *ubi nam invenis in Mose tradi cultum angelorum*, σεβεῖν τοὺς ἀγγέλους. Et lib. 5. p. 237. *Hos Spiritus angelos ex officio suo nominari docti invenimus propter divinitatem quandam, interdum Deos vocari a Sacra Scriptura, sed non sic ut jubeamur eos adorare aut divinis honoribus colere, quamvis dona Dei afferant. Omnia enim vota, omnes interpellationes, deprecationes, & gratiarum actiones destinandæ sunt*

sunt ad DEUm rerum omnium Dominum per majorem omnibus angelis summum Pontificem, vivum Verbum & DEUM. Gratias agemus etiam ipsi verbo, interpellabimus, vota & preces ei offeremus, modò intelligamus, quomodo hæc accipiantur vel abusivè vel propriè. Angelos enim invocare absque illorum cognitione, cujus homo capax non est, non videtur rationi consentaneum. Atque ut demus ab homine comprehendi, miram quandam & arcanam eorum notitiam officiorumque, quibus funguntur singuli, hoc ipsum cohibetur, ne quis audeat preces offerre, nisi soli Domino DEO, qui unus omnibus abundè sufficit, per servatorem Dominum nostrum, DEI filium, Verbum, sapientiam, veritatem, & quicquid de hoc prophetarum Apostolorumque Jesu literæ prædicant. Idem Origenes l. 5. contra Celsum p. 241. ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐν τῷ οὐρανῷ ἀγγέλους οὐδεὶς τῶν δουλευόντων τῷ Μωυσέως νόμῳ προσκυνεῖ· *Quia & cœlestes angelos nemo adorat, qui se legi Mosis subdidit.*

Bartholomæus Carranza in summa Conciliorum pag. 97. ex imperitia Græcæ linguæ (*b*) legit:

(*b*) Græcæ linguæ imperitiam, quam Ehingerus hic Carranzæ objicit, probare etiam posset hæc inscriptio Canonis XVI. Concilii VI. Constantinop. p. 240.

legit: QUI ANGULOS COLUNT. Ex angelis facit ANGULOS.

Invocatio Angelorum à S. Johanne repudiata, à Concilio Laodiceno condemnata, ab Origene explosa est. Ergo neque nobis admittenda.

In antiquitatibus Britannicis p. 85. rex Eadgarus AD NOS SPECTAT EXAMEN DE MORIBUS CLERICORUM. Pontificii corrumpentes textum invertunt quasi Rex Eadgarus dixerit: *de quorum omnium moribus AD VOS spectat examen. Quoniam magnificavit misericordiam suam Dominus facere nobiscum dignum est ô Pater reverendissime, ut innumeris illius beneficiis dignis respondeamus operibus. Neque enim in gladio nostro possidemus terram, & brachium nostrum non servavit nos, sed dextra ejus, & brachium sanctum ejus, quoniam complacuit illi in nobis. Justum proinde est; ut qui omnia subjecit sub pedibus nostris, subjiciamus illi & nos & animas nostras, ut hi, quos nobis subdidit, ejus subdantur legibus, non segni-*

p. 240. edit. Antverp. 1564. in 8. *De quibus DIACONIBUS loquatur liber Act. Apostolorum.* Sed facile concedo, esse heic mendum typographicum. Nam ex ipso hoc Canone & aliunde perspicimus, Carranzam recte voce *Diaçonus* in secunda declinatione usum esse.

segniter elaboremus. ET MEA QUIDEM INTEREST *laicos cum æquitate jure tractare, inter virum & proximum suum justum judicium facere, punere sacrilegos, rebelles comprimere, eripere de manu inopem fortiorem ejus, egenum & pauperem à diripientibus eum, sed* ET MEÆ SOLLICITUDINIS EST *Ecclesiarum ministris, gregibus monachorum, choris virginum & necessaria eorum procurare, ac saluti & quieti vel paci consulere.* DE QUORUM OMNIUM MORIBUS AD NOS SPECTAT EXAMEN, *si vixerint continenter, si honeste se habeant ad eos, qui foris sunt, si divinis officiis solliciti, si ad docendum populum assidui, si victu sobrii, si habitu moderati, si in judiciis sint discreti (pace vestra loquor, reverendi Patres) si ista solerti scrutinio curassetis, non tam horrenda & abominanda ad aures vestras de clericis pervenissent. Taceo quod non est illis corona patens, nec tonsura conveniens. Ac ne in vestra lascivia, insolentia in gestu, in verbis, turpitudo interni hominis produnt insaniam. Præterea in divinis officiis, quanta sit negligentia cum sacris vigiliis vix interesse dignentur, cum ad sacra Missarum solennia ad ludendum, subridendum magis quam ad psallendum congregati, videantur. Dicam quod*

boni

boni lugent, mali rident, dicam dolens (si tamen dici potest) quomodo diffluant in comissationibus, ut jam domus, Clericorum putentur PROSTIBULA MERETRICUM, Conciliabulum histrionum, ibi alea, ibi saltus, & cantus, ibi usque ad medium noctis spatium protractæ in clamore & horrore vigiliæ. Sic patrimonia regum, eleemosynæ pauperum, imo, (quod magis est) illius pretiosi sanguinis pretium profligatur. Ad hoc ergo exhauserunt Patres nostri thesauros suos? Ad hoc Fiscus Regius, detractis reditibus, multis elargitus est? ad hoc Ecclesiis Christi agros & pastiones regalis munificentia contulit, ut deliciis Clericorum meretrices ornentur, luxuriosa convivæ præparent carnes & aves, & talia judicia comparentur? Hoc milites clamant, plebs submurmurat, mimi cantant & saltant, & vos negligitis, vos parcitis, vos dissimulatis? &c.

Vidimus hactenus Pontificios autores, Gratianum Bellarminum, tempore Concilii Aphricani Legatos Pontificis Romani, Carranzam, Cardinalem Perronium contra Isaacum Casaubonum in Epistola Regis Britanniæ Eadgari, mala fide citasse. Iliacos intra mures peccatur & extra Ecclesiam Pontificiam quandoque fides labascit, veritatem hanc verbis GEORGII CASSANDRI

DRI effero, qui in Consultatione sua gloriosissims Imperatoribus Romanis, Ferdinando I. patri & Maximiliano II. filio p. 145. exhibita, ita scribit: *nolo*, inquit, *commemorare, quam mala fide nonnulli in hac sanctorum interpretatione convellenda versati sint. Nam cum sciant religiosis animis reverentiam veneranda illius vetustatis insitam esse, ipsi ni animis quoque suis fulgore autoritatis illorum percellantur, ipsa patrum testimonia contra manifestam ipsorum Patrum Sententiam obtorto collo trahant, & ut fucum imperitioribus faciant, ipsas non modo sententias non modò falsò torquent, sed verba etiam ipsa immutant, ut in celebri quodam Volumine Germanico* (*A*), *quo recusata Synodi & defectionis Romanæ Ecclesiæ redduntur, haud ita pridem edito, & multis utraque lingua veterum & recentium testimoniis referto esse constat. Nam quod Ambrosius in Epistolam ad Romanos adversus gentilium deos scripsit: Misera*

(*A*) Tübingen A. 1583. p. 104. in 8. Causa recusatæ synodi. Abfertigung und wahrhaffte gründliche Widerlegung 2. Jesuitischer Schmach-Schrifften, Bellarmini und Petri Hausoni, durch die Würtembergische Theologen, Tübingen A. 1587. p. 188. PER ISTOS, im Teutschen, das man durch diese (heilige Menschen) könne zu GOtt kommen.

Misera uti solent excusatione PER ISTOS (*intellige minoris ordinis Deos*) IRI AD DEUM, *sicut per comites itur ad Regem. Autores hujus præclari voluminis vocem* ISTOS *in* JUSTOS *commutant; idque in Germanica quoque versione secuti sunt, durch die Heiligen convertentes, ut videlicet imperitis, & minus in veterum lectione versatis, ab Ambrosio sanctorum & justorum spirituum interpellationes damnari persuadeant.* Non minor impostura committitur

ADDENDO

aliquid textui, præter mentem autoris. Ita corruptus est S. Cyprianus à Stapletono cum in Cypriano de simplicitate Prælatorum Princ. doct. l. 6. c. 7. fol. 113. hæc verba diserta sint: *Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur.* Romanus Cyprianus infarcit: *ET PRIMATUS PETRO DATUR*, cum Cyprianus dicat, *unitatis ejusdem originem, ab uno incipientem, Christus sua autoritate disposuit.* Romanus Cyprianus invexit, *unam cathedram constituit.* Et rursus, cum Cyprianus, *ut una Christi Ecclesia monstretur*, inserit Romanus *ET CATHEDRA UNA.*

Quemadmodum Pontificius Stapletonus

Cypria-

Cyprianum ADDENDO corrupit: ita etiam Gregorium Magnum, qui lib. 4. epistolarum ad Johannem Episcopum, Constantinopolitanum ita scribit p. 146. *Certe Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est; Paulus, Andreas, Johannes, quid aliud quam singularium plebium sunt capita, & tamen sub uno capite omnes membra sunt Ecclesiæ.*

Gregorius ait; *sub uno capite omnes membra sunt Ecclesiæ:* Stapletonus citat *sub uno CAPITE PETRO, omnes membra Ecclesiæ.*

Quam fidelitatem Pontificii in BERTRAMO ediderint, libet Marcum Antonium, de Dominis audire, de Repub. Ecclesiastica ita scribentè lib. 5. §. 165. p. 177. *Initio igitur materia hæc fuit disputabilis & in utramque partem habet suos patronos. Bertramus vero Patres secutus, & continuatam usque ad illa tempora Ecclesiæ universalis doctrinam retinens, scripsit adversus novellos tum realistas. Libellus ipsius fuit in Ecclesia admissus, & plurimum laudatus. Trithemius ad an.* 830. *eum in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum recenset, illumque in divinis scripturis valde peritum & in literis secularium disciplinarum, egregiè doctum, ingenioque subtilem & clarum eloquio, nec minus vita, quàm doctri-*

na

na insignem fuisse testatur, atque hoc ipsum ejus opusculum commendabile, post alterum de Prædestinatione prædicat. Quis ergo stomachetur sive Genebrardi de scriptoribus noni seculi lib. 4. chronol. censuram, dum Bertramum & Fredevardum Equitem inter hæreticos scriptores numerat sive Margarinum in præfat. suæ Bibliothecæ, dum opusculum Bertrami hoc ex sua Bibliotheca extrudendum ut hæreticum censet. Bellarmini quoque de Eucharistia l. 1. c. 1. qui similiter inter hæreticos Bertramum reponit, non sine lapsu in Chronologia: eum enim sub Carolo Crasso ponit ad annum 886. reliqui cum Trithemio Carolum, ad quem scripsit Bertramus, agnoscunt Carolum Calvum, Lotharii fratrem, dum esset Rex Franciæ, post pacem initam inter fratres Ludovici pii filios. Ea verò secuta est anno Domini 842. vel 843. Pejor verò est Bellarmini lapsus, quod in suo tractatu de scriptoribus Ecclesiasticis Paschasium Ratbertum, Abbatem Corbeiensem ponit sub Ludovico pio, ad annum 820. & illum scribit Bertramum confutasse. Scripserat ergo Bertramus, si vera est Bellarmini chronologia, ante annum 820. & tamen priori loco asserit, eum sub Carolo Crasso scripsisse, circa annum 886. In hoc ergò dormitavit Illustrissimus Bellarminus in

suis

suis Chronologiis parum felix. Ecce itaque per octingentos pene annos pius & Catholicus autor, pro tali perpetuo habitus, a privatis hominibus, ut hareticus, damnatus, & opusculum ejus Catholicum, quia ipse vanis judicibus non nisi a Clemente VIII. insertus, ita in suo Apparatu testatur Possevinus, tanquam hareticum supprimitur, & tamen neque autorem neque librum severi librorum Expurgatores Belga Theologi cum suo Duce ALBANO, & Hispaniarum rege Catholico totaque Inquisitione ausi sunt reprobare, sed artificium aperiunt, quo dicta catholicorum veterum jam soleant illi eludere, ne novis ipsorum commentis obsint. Expurgatores audiamus ex ipsamet prima Antverpiensi, & a me visa editione, cui ea apposita est cautela; Ducis ALBÆ jussu ac decreto cavetur, ne qui prater prototypographum Regium hunc indicem imprimat, neve ille aut quis alius publice vel private vendat, aut citra Ordinariorum facultatem aut permissionem habeat. Cavetur etiam, ne quis hunc Indicem parte aliqua augeat, vel minuat, neque ex impressis manuscriptum exprimat, citra Gubernatoris & Consilii autoritatem. In hoc igitur Indice Belg. in B. hac habentur:

Quanquam librum istum (Bertrami) magni non æstimemus, itaque non magnopere la-

boraturi simus, vel nusquam sit vel intercidat: tamen cum jam sæpe recusus sit & electus a plurimis & per interdictum nomen omnibus innotuerit, hæreticis constet de ejus probibitione per varios catalogos, fuerit catholicus presbyter, & Monachus Corbeiensis Cœnobii, Carolo non tam magno, quam Calvo charus & venerabilis juvet historiam ætatis illius in Catholicis veteribus aliis, plurimos feramus errores, & extenuemus, excusemus, excogitato commento persæpè negemus, & commodum iis sensum affingamus, dum opponuntur in disputationibus, aut in conflictionibus cum adversariis non videmus, cur non eandem æquitatem & diligentem recognitionem mereatur Bertramus, ne hæretici oggamniant, nos antiquitatem pro ipsis facientem exurere & probibere. Itaque mirum non esse, pauca pro ipsis videri facere nobis catholicis, tam irreverenter antiquitatem vel in speciem a nobis dissentientem exsibilantibus ac perdentibus, quin & illud metuimus, ne liber iste non solum ab hæreticis, verum immorigeris quoque Catholicis, ob interdictum avidius legatur, odiosius allegetur, & plus vetitus quam permissus noceat. Hæc illi.

At certe hoc non est candidè, neque bona fide agere. Veterum scriptorum catholicorum nulli possunt esse errores præsertim in fide, quos prio-

priores ætates non agnoverint & reprehenderint. Nunc vero post multa secula, ubi nos novam doctrinam, veteri contrariam excogitamus & evulgamus, velle veterem ipsam doctrinam nostris novitatibus & erroribus adversam, errores condemnare, & libros in Ecclesia per plura secula approbatos, nunc tandem prohibere: proscribere, est intolerabile, intolerabilius adhuc velle mala fide, dolo malo, astu diabolico dedita opera & ex astuto consilio contra scientiam extenuare, excusare, excogitato commento negare, commodos sensus affingere. Hi vero nostri scilicet patres, nostri Doctores, nostri magistri, artificia sua aperiunt, fidis suis alumnis, eosdem iisque armant, & instruunt, ut melius sit in novis commentis futilibus se per dolos etiam stabilire, quam a veteribus discere, & nudam arripere ab eis veritatem. Tantum M. Antonius de Dominis.

JOHANNES BUSÆUS Soc. Jes. edidit Moguntiæ anno 1602. HINCMARI Rhemensis Archiepiscopi in Galliis Epistolas, ex Bibliotheca Ecclesiæ Spirensis, in Præfatione ad Episcopum Spirensem ita scribit: *Eadem causa a septima epistola, quia mutila est & manca, ac potius appendix superioris epistolæ videtur, NONNULLA RESECUI.* Ita Busæus fuit Hincmari RESE-

CTOR. Hunc Hincmarum, teste Possevino, tom. 2. Appar. fol. 52. Nicolaus I. papa divinitus valde doctum fuisse testatur in Cap. Excellentissimus. Apud Anastasium Bibliothecarium in Nicolao I. p. 322. Papa agit contra Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum, Rhotardus ab Hincmaro depositus, restituitur.

DE JONA AVRELIANENSI Episcopo ita scribit Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Hic autor* (Jonas) *caute legendus est, quoniam laborat eodem errore, quo Agobardus & reliqui ejus ætatis Galli, qui negabant sacris imaginibus deberi cultum religiosum.*

Hinc illæ lachrymæ, & quivis odorari potest, cur Busæus RESECTOR fuerit epistolarum Hincmari Galli, cum Archiepiscopi rite depositos Episcopos a Romanis Pontificibus restitui recusarint, & Ecclesia Gallicana cultum latriæ imaginibus penitus denegarit.

Apud Clarissimum Doctorem GERARDUM articulo sexto Phosphori de Purgatorio, disputatione septima, Jenæ 1629. litera P. 3. Respondente M. Johanne Gabriele Mullero, Alfeldo-Norico ita legitur. *Ad hanc expositionem digitum Chrysostomus homil.*

41.

41. *Cap.* 12. *Matthæi intendit; sic scribens: Diversorum hominum alii & hic & ibi supplicia dabunt ut Sodomitæ: alii in præsenti solummodo vita, ut fornicator Corinthius: alii in futura vita, ut Prophetæ & Apostoli.*

Manifestam autem factam fuisse injuriam S. Chrysostomo, falsa citatione, ex ipso fonte liquet, quem Commelinus ostendit in Cap. 12. Matthæi homil. 42. p. 391. editionis Commelinianæ Græco-Latinæ an. 1603. *Universorum hominum alii & hic & ibi supplicia dabunt: alii in præsenti solummodo vita, alii in futura tantum: alii nec in præsenti nec in futura. Hic quidem & ille, ut illi ipsi, de quibus nunc agitur. Nam & hic ipsos ultus est, quoniam intolerabilia passi sunt, urbe ipsorum vi a Romanis expugnata: ubi autem acerbissima eos expectant tormenta ut Gomorrhæ ac Sodomorum cives, aliique complures. Ibi vero solummodo, ut dives ille, qui in flamma cruciatus, nec guttæ unius aquæ dominus est. Hic autem tantum, ut qui apud Corinthios fornicabatur. Neque hic vero, neque ibi, sicut Apostoli & Prophetæ. Sic beatus ille Job, cæterique bujusmodi* οὔτε δὲ ἐνταῦθα, οὔτε ἐκεῖ, ὡς οἱ ἀπόστολοι, ὥσοι προφῆται, ὡς ὁ μακάριος Ἰώβ.

Si de fidelitate D. THVMMII in citatione Concilii Chalcedonensis scriberem:

Dicere conarer quot fulgeat ignibus æther
Et quota in Oceani bellua mole natet,

Ita autem sonat Canon Concilii 16. *Si qua Virgo se dedicaverit DEO, similiter Monachus, non licet eis nuptiis jungi. Si vero inventi fuerint hoc facientes maneant excommunicati. Ostendendæ autem in eos humanitatis autoritatem habere statuimus Episcopum ejus loci.*

D. THUMMIUS in Matth. p. 77. sic sensum Concilii explicat. *Concilium Chalcedonense can.* 16. *statuit, conjugium inter Monachos & Monialem FIRMUM esse, & SI EXCOMMUNICATI FUERINT, VULT STATIM ABSOLVI.*

M. Antonius de Dominis l. 2. c. 11. p. 222. mentem concilii ita interpretatur. *Hoc est confitentibus se peccasse, tollat ab eis excommunicationem & patiatur eos, sine illa suo frui matrimonio. Non enim ponit conditionem ullam separationis, & aperte vocat nuptias: fornicaria vero conjunctio non potest in publico generali Concilio nuptiarum nomine honestari.*

Augu-

Augustinus de peccatorum meritis l. 3. c. 7. p. 725. *Ante paucos Annos Romæ quidam extitit, Jovianus nomine, qui Sanctimonialibus etiam ætate provectioribus, nuptias persuasisse dicitur, non illiciendo quo caram aliquam ducere vellet uxorem, sed disputando nihil amplius fidelibus conjugatis apud Deum habere meritorum.*

D. GEORGIUS ZEÆMANNUS Campidono 28. Julii 1625. ita scribit ad me: *Novo me beneficio afficis, Cl. vir, amice dilectissime, quod nullis parcis laboribus ut eorum allegatorum fidem eruas, ubi libri me deficiunt, quos plerosque ipse antehac Lavingæ legi, ubi instructissima Bibliotheca Palatina tum Gymnasii, tum Synedrii mihi ad manus erat. De Aranea* (c) *à Francisco hausta adhuc anxie laboro.*

(c) Liceat huc quædam transferre ex Celeb. Wendleri Diss. de Libris a Pontificiis aliisque hæreticis suppressis & corruptis p. 43. sq. *Notus est eruditis liber Conformitatum S. Francisci cum vita Jesu Christi.* —— *Mentio hic quoque injicitur aranea, quam inter celebrationem missæ in calice Franciscus imbibisse dicitur, & quæ postmodum post pruritum cruris ad scalpturam ejusdem e crure illæso prodiisse traditur. Lis seculo superiori de hoc ficto miraculo inter Theologum Lutheranum & Pontificium in Suevia exorta fuit: ille in publico aliquo scripto contineri hoc de aranea miraculum in conformitatibus Francisci asserebat, hic negabat. Strenue, criminis falsi nostrum non sine tripudio accusans. Devolveba-*

Mirum quo infelici sidere ejus meminerim. Nam cætera de Francisco miracula omnia ex ipso libro conformitatum, qui Lavingæ mihi ad manus erat, bona fide descripsi, vel potius ex Carnificina mea Esauitica Witebergæ edita repetii. Unum hoc de ARANEA nunc addidi, quia illud ipsum a DD. Gerardo Tom. 5. Locorum pag. 1265. Johanne Wolfio tom. 1. Lectionum memorabilium p. 622. (ubi fol. 72. ex lib. Conformitat. citatur) D. Lottero & aliis allegatum vidi & legi. SED NUNC ME DECEPTUM DEPREHENDO A TANTIS VIRIS; quamvis adhuc sperem de Fr. Andrea, Francisci individuo Comite, miraculum ipsum de Aranea inveniri posse, cum M. Rauscherus Cent. III. P. III. diserte alleget (Giessen *an.* 1614.) *quem ego in legendis fabularum Papisticarum sutoribus diligentem fuisse arbitror.* Tantum Zeæmannus.

In

vebatur lis ad Ephorum Ulmensium Conradum Dietericum. Conformitatum liber, quem Bibliotheca Ulmensis asservabat, sedulo evolvebatur, tale quid de aranea in eodem non inveniebatur. —— Quærebantur undique vetusta exemplaria conatu tamen frustraneo; tandem Augustanus quidam Theologus Christmannus antiquissimum aliquod exemplar afferendum Mediolano curavit, in quo locus integer repertus fuit. —— Observat Ebingerus in Hist. Eccles. Sec. XV. in exemplari Mediolanensi An. MDX. (sic enim legendum videtur) *d. 18. Sept. impresso fol. 72. pag. 1. col. 1. integrum locum legi.*

In vita S. Nortberti, Antwerpiæ anno 1630. hæc leguntur: *Araneam grandem, in calicem consecratum illapsam, fide sua solita & magna, miraculose illæsus exhaurit.*

Sanguine vivifico læthalem exhaurit Arachnen
Sed nare excutitur virus inane mali
Quid sibi non voluit pietas divina licere?
Fecerunt vitæ pocula virus iners.

AUREA LEGENDA.

Im Wintertheil von S. Conrad. p. 117. b.

Einsmahls an einem Ostertag, da hett S. Conrad Mess, und da er unsers Herrn Fronleichnam empfangen hett und das Heilig Sacrament von dem Kelch empfachen wolt, und als er in aufdecket, da sahe er eine Spinne was darein gefallen, davon der ausser Mensch stirbet: aber der inner Mensch tröstet sich des untödtlichen kräncken, und hett ein festen Glauben, und getrauet Gott, es wär nichts tödtlich oder schädlich da, und verzehret das Sacrament begierlich mit dem Gifft, und gedacht daran, das die Gifft der alten Schlangen

überwunden hett, mit der Gab des Leidens unsers Herren Jesu Christi, da nun seine Diener sahen, das er also davon erblichen was, da forchten sie, er starb darvon, und waren sehr betrübt, und nach der Meß, da gieng S. Conrad zu Tisch, und sass ein weil, und aß nichts, da fraget man Ihn heimlichen, was er ton wolt? da sprach er: ich wart eines Gasts! der komt bald, und neiget sich mit dem Haupt auf dem Tisch, und tet seinen Mund auf, da gieng ihm die Spinne wider heraus, wann sie mocht ihm keinen Schaden ton. Das Wunder sahen seine Diener, und wurden dessen zumal fro.

VII.

ANNALECTA

de

Vita, fatis, moribus & scriptis Henrici Cornelii Agrippæ ab Nettesheym.

PRolixam satis & copiosam de Henrici Cornelii Agrippæ vita & meritis publici juris facere commentationem constitutum mihi erat. Cum igitur in finem jam omnia ejus opera, præsertim vero epistolas, cum cura perlegeram, ac plurimis inde congestis memorabilibus aliunde etiam, quicquid illius viri historiam illustrare poterat, sedulo conquisiveram. Mereri enim nostrum hoc studium videbatur vasta Agrippæ eruditio, & fama, tot licet inustis maculis conspersa. Nactus autem deinde Dictionarium Bailianum, quod thesaurum potius quam librum jure vocaveris, pleraque jam ab eo occupata esse comperi. Ne igitur post Homerum Iliada scriberem, isto consilio abjecto, post opimam messem spicilegium saltim tenue instituere decrevi, ea, quæ a Bailio vel prorsus omissa, vel summis tantum digitis tacta fuerunt, memoraturus.

I.

Agrippæ Patria.

AGrippam An. 1486. d. 14. Sept. Coloniæ Agrippinæ prima vitæ suæ incunabula cœpisse, recte id ex ipsis ejus epistolis evincente Bailio, uti extra omnem dubitationis aleam penes me positum est: ita non possum, quin moneam, quendam illius amicum Belgicam ipsi in iisdem epistolis assignare patriam. His enim verbis nostrum is (*a*) compellat: *Illud imprimis mihi fuit gratissimum, quod te intelligam haud quaquam abhorrere, a nostra Antverpia, quod si adveneris, crede mihi, longe gratissimus advenies. —— Nec video causam, cur mavelis manere in Gallia Lugdunensi, quam tua Belgica, quæ te produxit. Consentaneum enim est, ut patriam illustres, & spartam, quam nactus es, ornes.* Imo ipse Agrippa id in responsoriis (*b*) fatari videtur, scribens: *Ingratissimus ego sum omnium, qui vivunt, hominum, si tuum in me amorem, si tua in me studia, si tua optima monita atque consilia non obviis mani-*

(*a*) Lib. V. Epist. 15. p. 231.
(*b*) Ibid. Epist. 18. p. 234. & Ep. 21. p. 236.

manibus acceptem, si non agnoscam, si non etiam sequar —— qui ad meam me felicitatem vocas, & ad patriæ gloriam hortaris. Exin Agrippam equidem Coloniæ natales debuisse suos, sed parentes majoresque ejus Belgicam agnovisse patriam colligo. Pater, matre tum adhuc superstite, A. 1518. ad plures abiit (*c*).

2.

Agrippæ πολυμαθεια *& ingenium capacissimum.*

AD omnia indolis bonitas Nostrum armaverat. Hinc fertile ejus & amplum ingenium unius aut alterius scientiæ angustis carceribus includi noluit, sed omne literarum genus familiare sibi reddere gestiit, abditis etiam & abstrusissimis scrutandis capax: ut adeo in Agrippam conveniat, quod Franciscus Irenicus (*d*) de magno Erasmo Roterodamo pronunciavit: *Tot uni illi viro disciplinarum divitiæ, & singulari huic tot scientiarum species exuperant, quot diversæ hominibus diversis concessæ fuerunt, ut plures homi-*

(*c*) L. II. Ep. 19. p. 60.
(*d*) In Exegesi Germaniæ L. II. C. XXXVIII. f. 42. edit. Hagen. 1518.

homines unus Agrippa ob pluralitatem curarum subiisse videatur. Et quod longe pulcherrimum est, nullius disciplinæ præstantia ob felicitatem alterius in illo inclinatur, nec quod uni impenditur, alteri derogatur: verum pari semper trutina libratum, per se unum quodque, ac si homini singulari contigisset, valet ac meretur. Suopte exemplo comprobavit consilium, quod aliquando amico (*e*) suggessit, a nobis heic adscribendum: *Hoc unum te admoneo, ut consideres, neminem posse veraciter doctum evadere, qui in unius duntaxat facultatis rudimenta juraverit: de quo vere dictum est: Bos lassus fortiter figit pedem. Neque vero magnum est, in uno solo artificio doctum esse, vel quantumcunque etiam excellere, quum illud fere quilibet lanii, fartores, coci commune habeant; sed tanto quisque doctior erit, quanto nescierit pauciora. Hortorque quo te divinitas ingenio donavit & amplo & sublimi, id ipsum tibi non paucis, nec humilibus, sed omnibus & altissimis quibusque disciplinis viriliter esse occupandum. Nec te retrahat ab hoc proposito quorumcunque contradicentium nugax garrulitas, quibus semper in ore est: Vita brevis, ars longa, experimentum fallax,*

(*e*) Lib. II. Epist. XII. p. 53.

fallax, inquisitio difficilis, temporis angusti negotiosa inopia, & quod vix ad unius bonarum artium facultatem, nedum ad multarum notitiam consequendam suppetat, & quæ his similia blaterant, naturam inculpantes & de ingenio suo diffidentes, sat esse ratiocinantur in una aliqua facultate egregiam sibi palmam vendicare: non coalescere ingenia, quæ huc & illuc in diversis studiis præcipitanter vagantur, sed multitudine scibilium confundi, corrumpi & (veluti vicino splendore occæcantur oculi) caliginosa fieri, ut contingat illis, dum plura scire cupiant, singula ignorare. Hæ sunt rationes illorum, quibus multa præclara ingenia deterrent. Illis igitur respondemus, naturam eos injuria accusare, quam nullis in rebus producendis errasse, nihilque plus aut minus, quam satis esset, effecisse constat. Satis superque nobis vitæ superesse ad omnium quantumcunque magnarum difficiliumque rerum notitiam consequendam, si non ad supervacuas & vanas actiones illam per otium & ignaviam consumpserimus: nullam temporis indigentiam sive inopiam fore, si illius nulla nobis jactura exeat: ingenium autem nostrum sic natura condidit, quod, quo magis applicatur ad diversa, quo pluribus oneratur, eo magis excitatur, acuitur, augescit, illustratur: neque vero

quem-

quemadmodum solis radius fulgore nimio corrumpit oculos caliginososque reddit, sic ipsius intelligentiæ radius. Illustrat enim, & eo magis ingenii lumen exauget, quo quis capere magis potest intelligibilis splendoris influxum. Non ergo circa unam facultatem tibi arbitraberis esse morandum, sed variis studiorum & linguarum generibus, & iis semper melioribus te exerce, etiam abstrusissima quæque, & quæ adhuc in tenebris delitescunt, pro viribus explorare stude. Quin confide ingenio, & aggredere omnia, sic namque omnia apprebendes, si non diffidas de te ipso. Hæc, de quibus judicium cuilibet relinquo liberum, licet prolixiora, appingere haud piguit, quod, quæ eruditorum de studiorum ratione mens fuerit & sententia, nosse nec inutile nec injucundum sit. Immensam Agrippæ lectionem testantur ejus scripta, libri præsertim de occulta philosophia, reconditis veterum sapientiæ ne dicam an superstitionis mysteriis referti, & de vanitate ac incertitudine omnium scientiarum & artium. Hujus igitur loci esse arbitror, ejus de legendis libris judicium producere. *Ita* autem is ad amicum (*f*): *Nullus autor, nul-*

(*f*) Lib. III. Ep. 1. p. 127.

nullus liber lectu dignus erit negligendus. Quodsi hoc non placeat consilium, vel quia difficile sit omnes pretio redimere, vel quia vix hominis ætas sufficiat omnes percurrere, & juxta Senecæ sententiam: non tibi curæ sit, quam plures autores legas, sed quam bonos: en duos tibi potissime legendos dabo, unum Latinum, Plinium, alterum Græcum, Plutarchum. Hi duo (crede mihi) præ cæteris sufficiunt ad reddendum hominem in omni scientiarum genere utraque lingua doctissimum: nisi quod sacras literas tibi consulo omnibus anteponendas, sine quibus omne reliquum studium tuum vanum erit, & forte etiam noxium. Omne enim, quod ex fide non est, peccatum est, & quod cum Christo non est, contra illum est. Cæterum hoc præcipue in Agrippa maxima me percellit admiratione, tantum ei fuisse otii, tantum ingenii, tantum industriæ, ut, cruenta Martis signa & castra per aliquod tempus secutus, variis adversantis fortunæ circumactus discriminibus, per omnem fere Europam itinere vagatus, tot inimicorum odiis & persecutionibus pressus, desultorio semper vitæ genere usus, nullibi diu pedem figens, gravissimis, se invicem excipientibus, functus muneribus, utpote Mediomatricum Reip. Syndicus & Orator,

matris Francisci I. Galliarum Regis Archiater, Caroli V. Imp. Consiliarius & Historiographus, docens etiam aliquando in Academiis, pauper plerumque & æris inops, eos in quovis literarum genere progressus facere, tot linguarum usum sibi parare, frequenti epistolarum commercio incumbere & libris, lucernam olentibus, vacare scribendis potuerit: idque non adeo longævus, cum non prorsus decem integra lustra vivendo peregerit. Præterea excellens & singulare ejus ingenium ignota antehac proferre, resque in bello ac pace utiles sagaciter excogitare valuit. Ita, si fidem ipsi adhibeas, novas invenit machinas bellicas. Sic enim A. 1526. d. 16. Sept. Lugduno ad Capellanum (g): *Scribo nunc pyromachiam, & non tam scribo, quam ipsa experientia ostendo, jamque habeo apud me non modicis sumtibus paratos architecturæ & bellicarum machinarum meæ inventionis modulos admodum utiles simul & perniciosos, & quales hactenus, quod sciam nostra non viderit ætas. Hæc fortasse Regi ipsi & cognitione gratiora, & usu adversus hostes multo utiliora futura essent: sed adhuc hæreo animo, ambiguus, quid facturus sim,*

(g) Lib. IV. Ep. 44. p. 189.

sim, planeque academicon illud accidit, ut nihil adhuc statuere queam, multis adhuc ingratitudinis exemplis, simul ac Periclis mercede Phalaridisque præmiis deterritus. Sed nondum nosti omnia, mi Capellane, quæ & quanta lateant sub Agrippæ tui pallio. Quodsi aliquando Silanum meum explicare liceret, tunc visurus esses, quantum poterit Agrippa tuus præstare principi atque regi. Eodem anno d. 19. Nov. ad alium amicum hæc perscribit (*b*): *Inveni tandem projiciendorum igneorum globorum machinam, cui in velocitate, in facilitate & in compendio non est par: quin & alia his similia plura.* Anno autem 1527. Lugduno d. 4. Decembr. ita ad quendam familiarem (*i*): *Mittimus tibi cum residuis machinis pontem nostrum, opus quidem rude & abortivum ac proportione carens, ingenio tamen & industria facilitateque haud contemnendum. Sed ubi Antverpiam venerimus, ego hanc machinam novam omnibus numeris denuo absolvam.* Hæc Marti propria. Nunc ipsis Nostri verbis artem nobilissimam, ab eo, si ipsi credas, inventam, pacisque etiam tempore maxime proficuam ejus itidem

 ver-

(*b*) Lib. IV. Ep. 68. p. 214.
(*i*) Lib. V. Ep. 20. p. 236.

verbis memorabimus. *Habeo*, ſcribit A. 1527. d. 10. Oct. (*k*) *jam nuper per me excogitatos modos aliquos, quibus poſſum regio ærario quotannis non modica pecuniarum talenta applicare, etiam absque populi gravamine, ſed & magno cum Reip: commodo plebisque congratulatione: ſed non ſum illa dicturus, niſi ipſius ego primum de bujus inventionis meæ præfectura certus ſim.* Forte tamen jactantius hæc ab eo ſcripta ſunt. Illo enim tempore has exaravit literas, quo in anguſtias adductus, aulicum aliquod munus ſibi deferri, ac vel propter eas inventiones Galliarum Regi a patrono de meliori nota commendari voluit.

3.
Agrippa Alchemiſta.

ALchemiſticam etiam artem Noſter exercuit, & præparando lapidi philoſophico operam dedit. Imo ſingulare propterea fovit ſodalitium (*l*), cujus ſocii per varias regias diſperſi erant: quod ex his verbis epiſtolæ, ex Avenione A. 1508. d. 13. Kal. Jan.

(*k*) L. IV. E. 53. p. 199.
(*l*) Addendum igitur hoc ſodalitium collegiis ſecretis, quæ Morhofius enumerat Polyhiſt. Tom. I. Lib. I. C. XIII. p. 133.

Jan. ad Landulphum datæ (*m*), auguror: *Non aliud superest, nisi ut post tot errores inquisitioni commilitonum insistamus, nostræque conjurationis renovemus sacramenta, ut nostri sodalitii restauretur integritas. Est hic mecum longinquæ peregrinationis meæ comes senex quidam, multæ experientiæ, qui olim Zizimo Turcæ (n) in Galliis captivo interpres extitit: qui etsi careat literis & philosophia, tamen senectutis prolixæ longævæque peregrinationis beneficio multarum rerum notitia eruditus est, homo præterea fidelis & taciturnus, & conversatione nostra dignus, quem ego jam comprobatum instructumque in nostri sodalitii sacramentum adscivi. Cæterum ego (o) Bonittum & Clarocampensem in Aquitaniis admonebo nostræ apud Avenionem & Lugdunum præsentiæ. Brixianum, cui cum Adamo Burgundia delegata fuerat, tu admoneto. Poteris etiam facile commonere Falcium & Wigandum, qui apud Parisios sunt.* Alibi quoque (*p*) ejus sacramenti, quo sodalitati suæ se obstrinxerat,

(*m*) Lib. I. Epist. VIII. p. 7.

(*n*) Fratri Bajazethi, Turcarum Imperatoris, in cujus gratiam, pecunia corruptus, Alexander VI. Pont. max. veneno eum sustulit. vid. Jo. Burchardi Anecdota de Vita Alex. VI. P. 14. sqq.

(*o*) En collegii secreti socios!

(*p*) Lib. de Vanit. Scient. c. 90. p. 201.

xerat, his meminit: *Permulta adhuc de hac arte,* (Alchemistica scil.) *mihi non admodum inimica, dicere possem, nisi juratum esset (quod facere solent qui mysteriis initiantur) de silentio, eoque praeterea a veteribus philosophis atque scriptoribus tam constantissime religioseque observato, ut nullus uspiam probatae authoritatis philosophus ac fidus scriptor comperiatur, qui hujus artis alicubi vel solo verbo meminisset, quae res plerosque induxit, ut crederent, omnes ejus artis libros recentiori aevo jampridem confictos &c.* Ibidem tamen (q) paulo post de artis hujus mysteriis disserit, sed circumlocutione eaque obscuriore, ut nimirum nonnisi artis filii & initiati intelligerent. Ita enim *unicum illud solum, praeter quod non est aliud, ubique tamen reperibile* (ipsa ejus verba legis) *benedictum sacratissimi philosophorum lapidis subjectum* describit: *Res est, quae substantiam habet nec igneam nimis, nec prorsus terream, nec simpliciter aqueam, nec acutissimam, nec obtusissimam qualitatem, sed mediocrem & tactu levem, & quodammodo mollem vel saltem non duram, non asperam, quin & gustu quodammodo dulcem, olfactu suavem, visu gratam, auditu blandam atque jucun-*

(q) l. c. p. 202.

jucundam, cogitatu latam: plura dicere non conceditur, atque sunt tamen iis majora. Bina adhuc loca proferam in medium, in quibus de arte hac sermonem instituit. Nempe L. I. de Occulta Philos. Cap. XIV. p. 23. ita fatur: *Alchemistæ nituntur eum spiritum ex auro secernere, quem rite segregatum & extractum, si postea illum cuivis ejusdem generis materiæ, hoc est, cuivis metallorum adhibuerint, aurum statim argentumve conficiant. Et nos illud facere novimus, & aliquando vidimus, sed non plus auri fabricare potuimus, nisi quantum erat illud auri pondus, de quo spiritum extraximus. Nam cum sit ille spiritus forma extensa, & non intensa, non potest ultra suam mensuram imperfectum corpus in perfectum permutare: quod tamen fieri posse alio artificio non inficior.* Anno autem 1526. d. 21. Octobr. hæc ad Joannem Capellanum, Francisci I. Physicum (*r*) perscribit: *Valeant principes, valeant reges, valeant Nini, valeant Semiramides, valeat omnis robusta improbitas. Benedictus Dominus! Divites facti sumus, modo vera sit fabula. Vir quidam gentilicius, mihi a multis annis amicus, auri semina ad nos detulit, eaque in ob-*

(*r*) Lib. IV. Ep. 56. p. 204.

longi colli cucurbitula in forniculam nostram, cæparum in agris instar, plantavit, igniculoque, ceu phœbeo calore, atque, ut gallinæ solent ova incubantes, die noctuque fovemus, expectamusque propediem nascituros ingentes fœtus aureos, qui si rite excludantur, Midam ipsum vel auro superabimus vel saltem auriculis, illisque giganteis Ninis ac Semiramidibus (*s*) *longum valere dicemus. Et tu nunc ditissime felicissimeque vale. Ex Lugduno, abs tuo auratissimo vel AVRICVLATISSIMO futuro Agrippa.* Nec certe hoc postremum omen fefellit nostrum: corvum enim hiantem delusum esse hinc concludo, quod per omnem vitam de pauperie conqueri necessum habuerit: & hæ querelæ in ejus epistolis utramque faciunt paginam, ac ubique regnant. Hoc forsan sensu AVRATUS dici posset Agrippa, quod inter aurei velleris equites fuerit receptus. Sed & eo tempore non nisi splendidam in ipso deprehendo miseriam. Ære enim tandem alieno oppressus, & a creditoribus male habitus, ipse de se argute (*t*) A. 1531. Bruxellis 12. Kalend. Aug. scribit: *Cardinalis Campegius unicus*

(*s*) In Franciscum I. ejusque matrem digitum intendere videtur.

(*t*) L. VI. Ep. 20. p. 301.

unicus meus Mecenas: sine quo ego sub isto inanimi pecore (*aureo vellere dicere volui*) *rapacissimorum luporum* (creditores indigitare eum arbitror, a quibus postmodum in carcerem fuit conjectus) *preda factus fuissem.* Vere de Agrippa F. G. Menapius (*u*): *An ihm ist das Sprichwort wahr worden: Neun Handwerk, zehen Unglük. Er war ein Soldat, Ritter, graduirter Doctor in Jure, Medicina und Philosophia, und liess sich einen Theologum Trismegistum tituliren, aber er vermochte sich dabey dess Bettels zum öffternmal nicht zu erwehren.* Suo igitur exemplo docuit, haud prosus vanum esse Joannis XXII. Pont. max. in Jure Canonici effatum: *Spondent, quas non exhibent, divitias pauperes alchemistæ.* Quod ipse demum, sero sapiens, agnovit (*x*)

4.

Agrippæ Fata.

NOn facile fuit inter eruditos, qui ancipites fortunæ vices variamque ejus lubricitatem per omnem vitam sæpius senserit,

Nn 5

(*u*) In Epistola ad Fratres Roseæ Crucis, quæ annexa est Thesauro Fidei. p. 33.

(*x*) In Libr. de Vanit. Scient. C. XC.

ſerit, quam noſter Agrippa, ex aliis in alia fata vocatus, quæ licet diligentiſſime, uti ſolet, perſecutus ſit Bailius, unum tamen, memoratu meo quidem judicio haud indignum, pene intactum prætermiſit. Cum vero ſingularia eruditorum fata penitius noſſe magnam habeat delectationem, & ipſi Agrippæ in epiſtola ad Landulphum (y) omnem eam rem luculenter curatiſſimeque exponere viſum fuerit, illam integram in gratiam eorum, qui omnia ejus opera, haud ubivis obvia, non poſſident, huc transferre juvat, adjectis etiam binis ſcholiis, quæ in Lugdunenſis editionis ora comparent. Eam, etſi ſatis verboſam, pellegiſſe, nemini fore tædio, perſuaſiſſimum mihi eſt.

Agrippa Landulpho.

VEniremus (†) ad te Lugdunum, fidiſſime Landulphe: ſed pecunias omnes, quoniam tam longæ & moleſtæ terra marique

(y) Lib. I. Epiſt. X. p. 8.

(†) Hoc loco fateri videtur apertiſſime, Chryſopœam ſe exercuiſſe cum ſociis fœdere ſibi adjunctis: ob quem ſæpius apud Principes libertatis jacturam ferme feciſſet, captiuumque fuiſſe hanc ob rem detentum in Valle-rotunda: ex præcedentibus liquet.

que peregrinationis attenuarunt impensæ, sumptuum tenuitate coacti Avenione nos, instructa solita nostra chrysotoci officina, tantisper manere, & in opere perseverare oportebit, quoad usque longioris itineris nova fomenta excubemus. Interea quam tantopere cognoscere cupis nostræ fortunæ tragico comœdiam, nunc accipe. Scis etenim initiò quum post expugnatam nostris artibus Arcem-nigram, tandem dimissi ad præsidia Vallis-rotundæ, ibi cum Janoto versaremur, quanta rerum nostrarum jactura vitæque periculo, totum id temporis inter perfidissimos populos perdiderimus. Sed cum serò tandem cœpissemus sapere, tu (quò rebus nostris consuleremus, quemadmodum inter nos convenerat) profectus per Peniacum, exinde retrouersus Geronam, nuntiasti te Barcinonem petiturum, quo nuntio illectus Janotus, etiam ipse Barcinonem iter instituit, ob causas tibi mihique satis constantes. Itaque relicto me super præsidiis, arripit iter quinto Idus Junias rediturus, ut falsò opinabatur, ad festum divi Joannis Baptistæ, convivium eo die exhibiturus; ad quod Priorem cœnobii sancti Georgii, & Franciscum presbyterum, illum affinem suum, cum plerisque aliis,

jam

jam nuper invitaverat. Verùm si te apud Barcinonem convenerit, si quid tecum egerit, aut statuerit; hactenus semper ignoravi: sed eras tu, hercle, beatus, qui remotior à periculo: sed ego spe sola fœlix, & futuri mali ignorantia tutus, agebam inter medios hostes, incuriosus periculi mei, Janoti reditum propinquum expectans: jamque proximè aderat dies destinatus convivio, sol occiduus ultimam terræ metam deflexerat, cùm illius expectatione frustratus, quid Ianotum remoraretur, anxius suspiciosusque, quid potissimùm agerem incertus, imminentisque mali præsagio turbatus animo & contiguæ noctis metu formidolosus, varias in corde meo voluebam sententias: tandem vespertinæ me trado quieti. Nondum provecta nocte somnus oppresserat oculos, ubi venit ad arcem nostram Oeconomus abbatis, qui, dato signo excubiis, mox, demisso ponticulo, intromissus, convocatis me atque Perotto, cum reliquis duobus Janoti affinibus, triste nobis horrendumque exposuit malum, omnia videlicet atrocissimo rusticorum furore misceri, Janotum in reditu interceptum vinctumque servari in montibus, duos ex suis trucidatos, reliquos secum teneri captivos: nobis

vero

verò, videtiſne, inquit, quantum vos manet periculum eminus, niſi fortiter & repente præcaveritis? mox cominus congredietur. Nunc ergo feſtinate, & rebus veſtris unà cum vita ſapienter conſulite. Attoniti eramus omnes, & expectatione deterrimæ formidinis trepidi: obſtupuit animus, lababant genua, tremebant membra ſteteruntque comæ & vox faucibus hæſit, quid facturi, quo conſilio uſuri, penitus neſcii præ repentina iſta perturbatione: cum videremus nos, aut ſæva morte, aut graviſſimo periculo involvendos, conſternati, & ob anguſtiam temporis, cogitandi deliberandique ſpatio privati, omni eramus conſilio vacui. Sed & ego ille egregius tantorum facinorum conſiliator, qui paulo ante tantas res turbavi, qui tantas commovi machinas, tunc ipſe mihi conſilio meo defeci. Itaque adorabamus Oeconomum illum, ut qui admonuiſſet periculi, ſimul afferret etiam aliquid conſilii. Ait ille, aut exquiſito aliquo eruptionis genere utendum fore, aut arcem ipſam munire oportere, fortiterque ſeditioſis ruſticis reſiſtere, fore enim, ut intra paucos dies, aut nullo fulciti imperio, a ſe diſceſſuri ſint, aut brevi manu regis cohibeantur. Verum ut

erum-

erumpere per armatorum rusticorum custodias impossibile erat, ita illos intra dirutam arcem oppugnatores opperiri & contrapugnare, plenum periculi, & certa mors erat, cum non possemus multitudinem pauci superare, nec invalidæ munitionis arcem adversus innumeros hostes paucorum præsidio tueri. Verum erat ad tria millia passuum propinqua turris quædam vetusta, & semidiruta: pariter etiam inculta & deserta, nescio, si aliquando advertens animum videris: sita enim est in lacunosa cavaque convalle, non procul ab Arcona, ubi montes abrupti in amplum quendam sinum aquis stagnantibus irriguum aperiuntur, saxis asperrimis, & propterea inaccessis, cinctum: ad cujus fauces turris hæc in eminentiore tumulo sita, hinc quidem stagnantibus paludibus & lacunis piscariis, inde verò asperrimis saxis & altissimis rupibus clausa, præter unicum inter lacunas arcto admodum aggere glebarum acervo, cespitum compagine coacto: aditum non admittebat alium, nec aliud, nisi forti hyeme, cum gelu omnia constrinxisset, progressuris iter patet, nam reliqua omnis superficies, vestigii impatiens, in luteas voragines, paludosamque colluviem collabitur, qui situs per

per æſtatem, inexpugnabilem illi loco tutelam parat. Hanc turrim incolebat pauper quidam abbatis villicus, qui piſcinarum cuſtodiæ præerat: illam nos occupare jubet Oeconomus & munire. Placuit omnibus conſilium, totisque pedibus in eam ſententiam proſilientes, diſcuſſa omni pigritia, confeſtim collectis ſarcinis, & quanto potuimus commeatu, cum quæ victui & munitioni commoda eſſent, tum quicquid precioſum erat & valde neceſſarium, equorum noſtrorum dorſo impoſitum provehentes, nos armati pulveribus & ſclopetis onuſti, præſidio tenebrarum freti, cum ſervis noſtris duce Oeconomo illo, clandeſtino itinere per devia quædam diverticula, perque opacæ noctis ſilentioſa ſecreta, turrim illam ingredimur, ubi impedimentis omnibus exoneratos equos noſtros Oeconomo permiſimus ſalvandos, quod ille quidem ſolerter præſtitit. O quæ fortunarum noſtrarum repentina mutatio? quæ rerum noſtrarum mutata facies? Ex ſtrenuis militibus lucifugæ veſpertiliones effecti eramus, jamque operoſa & pervigili nocte tranſacta, dies feſtus aderat, dies deſtinatus convivio. Nondum croceos pulcher Apollo extulerat vultus, cum relictam à nobis Janoti arcem

cingunt

cingunt armati ruſtici, & alii ſcalis per antiquorum mœnium ruinas conſcendentes, alii validis ſecuribus valuas aggreſſi, domum Janoti irruunt: ibi omnia everſa, ſublata, direpta, vaſtata: omnia ruſticorum erant. Hem, quale convivium: quærebant undiquaque Janoti ſatellites, ſed nuſquam erant, abierant enim fugerantque: & quæ reliqua dormiens, & noſtræ fugæ neſcia, relicta erat iners mulierum & puerorum familia, pavore ſubito attonita, non habebat quod indicare poſſet: verum unum præ omnibus quærebant Alemannum, me ſcilicet: (erat enim fama publica, & omnium conſpiratus undique rumor, me tam atrocis conſilii, tam pernicioſi magiſterii, tam crudelis facinoris extitiſſe autorem, meisque artibus inexpugnabilem humanis viribus Arcem-nigram ſuperatam, plebisque præſidia tam miſerabiliter trucidata, & libertatam eorum everſam) jamque ingens hominum turba confluebat ex montibus, quorum numeroſa frequentia tota vallis complebatur: undique ruſticorum ſtrepitus, plebs infeſta, hoſtes inumeri, & publicus clamor hominum in noſtrum exitium conſpirantium, omnia mortem minitabantur. Nec mora: ubi fueramus

imus nos latentes, innotuit: accurritur mox ad turrim, & oppugnamur undique: ſed nos inexpugnabilis loci (quem natura undique impenetrabilibus paludibus, & inuiis ſaxis circumſepſit) præſidio freti, illum inſuper viribus armorum tuebamur, contractisque, quas inibi reperiebamus, quadrigis, injecta terra, aggerem, per quem unicum aditus iter patebat, vallo occluſimus: retro quem cum ſclopetis noſtris in ſtatione eramus, vel ſolo bumbo omnibus ruſticis formidabiles, qui omne roboris ſui exercitium in arcu & baliſtis repoſitum habebant. Hoc itaque exigui vallis propugnaculo omnis ruſticorum ſpes potiundæ turris ſubruta eſt, acceptaque aliquot ſuorum clade, dimiſſa oppugnatione, ad obſidionem animum obſtinate inducunt, quo nos vel fame compulſos in deditionem acciperent. Hinc itinerum omnium ſevera cuſtodia intercluſi eramus hoſtiles inter turbas, plebemque cruentam: circumcirca mors imminebat, periculum undique, auxilium nuſquam, nullibi aufugium, nulla evadendi via, & erat nobis una ſpes miſeris, nullam ſperare ſalutem. Nam quamvis loci præſidio inexpugnabiliter muniti, & impenetrabili paludum & ſaxorum tutamento ab oppugna-

tione securi essemus, etiam vigiliis & stationibus, cæterisque pro defensione nostra necessariis, salubri consilio dispositis, nullos formidaremus insultus: tamen fames brevi urgere potuit nos ultro hostium gladio jugulum submittere. In hoc itaque érubescendo simul & miserando rerum statu erant adhuc nonnulli ex populo, qui seditionis fortè expertes, se consueta erga regem subjectione obedientes persistere profitebantur. His adjutoribus abbas ipse, cujus magna semper fuit in plebe veneratio, intra has publicæ seditionis procellas concionem legit apud Arconem, plebique, quam fragili conatu, quam irrito proposito hanc discessionem moliretur, exponens, ne regi rebellarent persuadere cœpit: tum etiam de Janoti restitutione, simulatque nostra libertate multa locutus, in vanum laboravit. Nam plebs rustica seditionis fluctibus concitata atque armata, regiarum partium præconibus dicendi potestate vix permissa, respondit se non adversus regem, sed in Janoti & suorum tyrannidem exacerbatos, à quibus inusitatæ dominationis sævitia, & intolerabili onerum servitute vexatus fuisset, quique sub regiæ protectionis titulis hæreditariam patriæ eripuissent libertatem:

tatem: tum ereptam ſibi Arcem-nigram magnis ultionum minis objiciebant: ipſum Janotum atque me præ cæteris ſeditioſo accuſationis genere proſecuti: hunc patriæ proditorem, me vero illum, cujus deteſtandis artibus inexpugnabilem arcem una cum libertate amiſiſſent, noſtroque impulſu regem in hunc crudelitatis impetum adductum, atque tam atrociter victoria ſua uſum, ut eorum ſanguine & cædibus vix ſatiari potuerit, aſſerendo. Nunc ergo recuperatam publicis armis libertatem pro fallacium verborum blandimentis ſeſe nolle dimittere, quippe velle ſe Regem dominum agnoſcere illis conditionibus, quibus a majoribus ſuis imperatum ſit: ad ulteriorem ſervitutem ſe cogi non debere, nec pati poſſe. De noſtra autem atque Janoti liberatione omnes in unam ſententiam clamabant, tollendos potius hoſtes in ſuam poteſtatem datos, quam dimiſſos iterum ultores experiri: nec debere ſe noſtram ſalutem ſuæ anteferre: tum & ſuperbius æquo vociferabant, ſeſe plus metus habere noſtra in ſalute, quam in regis offenſa: pluſque opis in noſtra cæde, quam in regiis promiſſis reponere. Sed & illi, quorum cognati in expugnatione Arcis-nigræ occiderunt,

 non

non parum nutrimenti publici furoris incendio addiderunt. Itaque cunctis accusationis iracundiam in Janotum distringentibus, & solvendæ obsidionis nostræ sententiam detrectantibus, ad profundam vesperam Abbas, furibundæ plebis dimissa concione, secessit. Dum hæc ita in ancipiti aliquot dies penderent, & nos graviorem famis & inediæ, quam obsidionis pugnam formidaremus, Perottus callidum, & quod ex usu foret omnium, speculationis consilium amplexus, omnem interclusum rupibus sinum pervagatus, scrupulosa diligentia singula circumspiciens, devias solitudines, & avia montium considerans, si quàm forte fugæ & evasionis viam invenire posset, sagaci indagine explorabat. Is tandem insueta itinera & difficilia aditu saxa, ingentesque rupes per varios anfractus emensus, quodam die in summitatem montis evasit, unde prospectus erat in lacum, qui montem ab altera parte alluebat, quem cognovit esse Lacum nigrum, qui inde ad quatuor millia passuum protensus, non longe ab Abbatia, quæ supra egredientem rivum sita est, desinebat. Itaque difficilem montis descensum eo versus prosecutus, forte offendit semitam, quam solutæ nives, variis

riis anfractibus per prona in lacum dec
rentes, cavatis ſaxis, præcipite clivo e
cerant: hujus per obliqua devexa prop
ſe demittens, pratis ſe immiſit ſubpate
bus, & ad lacum uſque deſcendit, ſed
terclufus ſcopulis & aquis, nullus ulteri
niſi navigio, patebat progreſſus. Itac
remenſus difficillimum iter, ſub occaſ
ſolis ad nos rediit, ac coeuntibus nobis
conſilium, quæ comperiſſet, narra
Tunc, penſitatis ſingulis, viſum eſt ut ſ
beremus abbati, quo naviculam mitt
ad ſignatum ſcopulum. Verum erat l
conſilium haud parum difficile & pericu
ſum, & probe impoſſibile ob tam ſev
diurnas nocturnaſque itinerum cuſtodi
quæ nec egredi vallem, nec ingredi qu
quam inexploratum patiebantur. Proi
aliunde quam per arctum illum aggere
qui ab altera parte præciſus, non indilig
tiore cuſtodia, ſed & viribus & multitud
majore cuſtodiebatur, ab hoſtibus pro
tum noſtrum arcentibus, quam a nobis
lorum ad turrim prohiberetur inſultus,
lus noſtris patebat egreſſus. Viſum ita
eſt in conſilium noſtrum accerſere villic
illumque precibus, donis & pollicitati
bus adorimur, adjuramuſque. Is tam

fassus se per ignoti vadi compendium paludem posse superare: sed vallem nisi per medium hostilis turbæ agmen egredi non posse, nec quovis modo ad abbatiam, quæ extra vallem sita sit, pervenire. In hac plena desperationis consultatione, nescio quo furore tam callidum mihi consilium ministrante, hoc stratagemate usus sum. Puer erat villico, qui pascebat armenta; hunc ego tithymallis, aliarumque herbarum succis infectum, fœdata facie manibusque, turpi macula squalefacta cute, & horridula coma deformatum, tum mendico habitu & informi baculo, cui excavato literas indidimus, ac leprosorum clapello adornatum instruximus: quem villicus ipse bovi impositum, sub obscuram noctem per notum sibi vadum transmissa palude, ante auroram solo exposuit. Qui profectus, balbutiente sermone eleemosynas petens per medias infestorum rusticorum acies jam clara luce vallis fauces tuto egressus est, nam ut postea nobis narravit, etiam ipsis custodibus non modico terrori fuit, ut qui non modo alloquium, sed & conspectum ejus fugerent, tanquam ex serpentum illorum genere fuisset, qui solo aspectu noxii dicuntur, stipemque illi procul projiciebant in terram.

Sic

Sic puer ille periculosum gnaviter nuntium absolvit, & literas abbati reddidit: acceptoque responso, eodem astu postera die circa primam ferme noctis vigiliam ad nos rediit, clapello præsentiam suam denuntians: quem expectabundus villicus, conscenso bove, vadum trajiciens, rursum recepit atque reduxit. Gavisi omnes de tam salubri responso, totam noctem disponendis rebus nostris duximus insomnem, cumque appropinquaret diei crepusculum, emissis more solito aliquot sclopetarum tonitruis, cæterisque vigiliæ signis, adhuc quiescente & ignorante villico, nos cum nostris impedimentis omnibus, prementes obnixum silentium, præeuntem Perottum taciti insequimur, assiduisque lapsibus, & crebris offendiculis per lubrica, per aspera, perque infensos scrupos, contusis cruribus, non exiguo labore montem conscendimus, vixque tandem ad summum verticem fessi pervenimus, in cujus cacumine constituti, incumbentes saxis tantisper quievimus, quoad Perottus alteram montis partem per prona delapsus, signum affigit, scopolo: id erat linteum candidum extensum, quo, retro quam descenderat viam, ad nos remenso, expositis, quos nobiscum attulimus, cibariis, in istis summis saxis epu-

labamur, ultro citroque prospicientes, donec circa quartam diei horam prospeximus venientes duos lembos piscarios, sublevato rubeo pileo insignitos; id enim signum nobis abbas rescripserat. Iis conspectis, sclopetas omnes in lætitiæ signum e summo montis cacumine emittimus: quo & villico nostram salutarem fugam, & nautis nostram præsentiam indicaremus. Tum, præeunte Perotto, transmisso clivo, per invia & humani vestigii expertia saxa delabimur in subjacens pratum, vix stabili vestigio excepti, ingressique lembos, hac ignoti itineris fortuna & piscatorio remigio freti, salvi cum omnibus nostris in abbatiam ipsam pervenimus sub vesperam, quam dies insequebatur iduum Augusti. Hæc itaque nostra evasio, ut postea accepi, seditiosos illos rusticos (quibus illa non tam admirationi, quam miraculo fuit) diversas traxit in sollicitudines. Jam enim anxie metuere sibi cœperunt, ne eisdem nostris artibus & opera exquisitis, ignotorum itinerum transitu rex illis inopinatum intromitteret militem, qui flammis & ferro omnem vallem crudeli animadversione vastaret. Jamque nec dies, nec noctes securum dormientes, plures discedebant ad partes regias, qui ante mani-

festum

festum defectionis titulum sequebantur. Verum qui seditionis caput extiterant, qui Janoti bona diripuerant, qui vinctum ceperant atque servabant, suæ sententiæ obstinati inhærebant, salutem suam non nisi in Janoti exitio repositam arbitrantes. Metuebant enim non modo bonorum suorum proscriptionem, exiliumque a patria, sed & vitæ suæ suorumque postmodum diffidendum censebant, si unquam Janotus restitueretur. De quo quid postea actum sit, nondum accepi. Sed ad me redeo. Jam omnia mihi tuta erant, omnia secura, omnia salva, nisi quod de tua fortuna, ubi esses, quo divertisses, ubi lateres, nulla indagatione percipere potui. Instabat abbas consilio suo, ut reverterer in aulam, non defuturam mihi instaurandæ melioris fortunæ facultatem apud eum regem, cujus venerationem & munificentiam jam semel expertus essem. Verum quod suasit utilitas, vetabant pericula, neque enim ignorabam, si ad regem rediissem, me ad novum aliquod, & plenum periculo facinus destinandum fore. Sed plus me retrahebat tua absentia: metuebam enim caput meum inexploratæ fidei hominibus committere. Itaque plusculos dies in abbatia illa commo-

ratus, anceps animo quid facturus eſſem, venit ad me Antonius Xanthus, qui adhuc apud me eſt, ille videlicet ſenex de quo ſcripſi tibi nuper (††). Is ſuis conſiliis animum meum erexit, in totum namque propoſitum erat mihi inviſas aggredi terras, ignotosque accedere populos, omnia experiri & me totum fortunæ flatibus exponere. Jubet ille moderari animum, ac Hiſpaniæ oras ſcrutari ſuadet, tuamque Italiam, ſi de te aliquam famam nanciſci poſſemus: polliceturque ſe itineris comitem: nec fides promiſſis abfuit, quin ſummum peregrinationis meæ præberet ſolatium, jamque dies ſeptimus erat Kalendarum Septembris, quando cum ſene illo atque meo Stephano ex abbatia diſcedentes, Bercinonem peteremus, de tua ſalute & peregrinatione quid eſſet, exploraturi. Ibi triduum commorati, cum de te nihil intelligere poſſemus, ad magnam illam Valentiam proficiſcimur, ubi apud Comparatum Saracenum, philoſophum aſtrologumque exercitatiſſimum, olim Zacuti diſcipulum, de te percunctati, nihil

(††) Ecce quam ſunt periculis artium arduarum indagatores obnoxii, ut ſemper de ſalute vel quiete deſperabundi pervagari cogantur.

nihil etiam ſcire potuimus. Itaque divenditis equis noſtris, poſt paucos dies ex Valentia transfretantes per Baleares inſulas, ſupra Sardiniam navigantes, Neapolim deflеximus. Sed ibi conſiliis noſtris parum ex ſententia cedentibus, minorem ſpe noſtra fortunam experti, reditum in Gallias inſtituimus. Itaque exinde navigantes Ligurnum Thuſciæ portum appulimus: deinde Liguſticum littus pererrantes, Provinciam ingreſſi, usque famigerabilem hanc, liberamque Rhodani urbem pervenimus, manemusque usque adhuc omnibus ſalvis. En habes noſtræ fortunæ hiſtoriam ab illo tempore, quo tu feliciore ſydere actus, ex Valle-rotunda à me diſceſſiſti: quam, ut breviſſime potui, tibi hoc calamo exaravi. Ampliora de interea a me geſtis & cognitis, coram audies, quam primum nos Lugdunum venire concedetur, niſi tu nos interea (quod cuperem) Avenione convenire velis. Habeo ſiquidem tibi aperire aliquid ſecreti conſilii, quod invitus pectore clauſum gero. Vale. Ex Avenione, nono Kalendas Februarii, anno 1509.

5. Agrip-

5.

Agrippæ cum monachis bella.

PAuca sunt, quæ hic adjiciamus, cum otium nobis fecerit solertissimus Bailius. Ea fuit illius temporis ratio, ut monachi, tum plerique rudes ac idiotæ, invidia omnes bonarum literarum amatores prosequerentur, fatente id ingenue Claudio Deotato (z), ipso monacho Cælestiniano. Præterea nec in causa religionis cum iis prorsus conveniebat Agrippæ: quamvis enim eum Luthero palam haud accessisse recte evicerit Bailius, in multis tamen ab Ecclesiæ Romanæ decretis fuisse alienum, si non alia in ejus scriptis extarent documenta, vel hæc verba (a) epistolæ, ad Capellanum A. 1526. d. 16. Sept. exaratæ, testatum facerent: *Quod admones, transferendum aliquid de Christianismo ad Christianissimum Regem, res hæc non modicam considerationem requirit, maturaque deliberatione pensitanda est; utrum conveniat magis, vel aliena traducere, vel propria meditata proferre?* At

(z) Lib. II. Ep. 24. p. 67.

(a) Lib. IV. Ep. 44. p. 189.

At tutius forte ſub alieno clypeo deliteſcere; tutiſſimum autem, tacere. Nam hodie, ut vides, Chriſtiana veritas nullo ſecuriori modo colitur, quam ſtupore & ſilentio, ne forte corripiamur e Prædicatorum hæreticorum inquiſitoribus, ac Sorbonicis illis in lege, non quidem Moſaica, nec itidem Chriſtiana, ſed Ariſtotelica, doctiſſimis ſcribis & Phariſæis: qui nos faſciculorum metu cogant ad palinodias. Cum vero Agrippa Monachos ſemper expertus fuerit inimiciſſimos, ipſe viciſſim hoſtem ſe iis præbuit infenſiſſimum: imo A. 1533. bellum iis haud unquam expiabile denunciavit (*b*): *Quia cognovi, illos immortales & inextinguibiles inimicitias gerere, illasque alterum alteri concinnandas per manus tradere, noſtraque patientia atque ſilentio inſolentiores evadere, deliberavi cum his, qui mihi tam communem hoſtilitatem indixiſſent, quique in ingenium noſtrum ingrati, beneficium pro injuria reputant, apertas gerendas eſſe inimicitias, voloque mihi cum univerſa hac improborum ſophiſtarum & cuculliorum colluvione æternum bellum eſſe ſuſceptum, & quicquid hactenus cum his — mihi negotii fuerit, poſtliminio reſuſcitare, illosque ſuis coloribus depictos ſub dio palam*

(*b*) Lib. VII. Ep. 35. p. 380.

palam omnium oculis exponere, ut videant populi, intelligant nationes, cognoscat mundus, per quos homines tot seculis seducti & decepti fuerint.

6.

Quædam de magicis Agrippæ præstigiis narratiunculæ.

HInc facile hariolaberis, quidnam magiæ ipsi infamiam attraxerit, quam ab eo haud infeliciter post Naudæum abstersisse Bailium censeo. Variæ de eo circumferuntur fabellæ, putidæ satis & monstrosæ, quas ex Paulo Jovio, Theveto, & Martino Delrione idem vir laudatissimus exhibuit, & argute confutavit. Nos addimus quædam ab eo omissa. Natalis Comes hæc refert (c): *Inde existimo, artificium Cornelii Agrippæ originem cepisse, qui in occulta philosophia videtur rationem quandam attingere, ut qui maxime a nobis distant, possint quæ volumus in Luna descripta perlegere. Id eo tempore contigisse mihi narratum est, quo Franciscus præstantissimus Gallorum Rex bellum gere-*

(c) Mytholog. Lib. III. C. XVII. p. 257. edit. Hanoviens. 1605. in 8.

gerebat pro Mediolanensium principatu adversus Carolum V. Rom. Imp. ubi rediit Mediolanum. —— Nam non semel quæ per diem agerentur Mediolani, per noctem significata fuisse dicuntur Parisiis. Hanc artem si Agrippa cognitam habuit, tam operoso literarum commercio potuisset supersedere, nec toties ipsi esuriendum fuisset. Aliud adjicio ex literis, nupertime ab amica manu ad me datis: *Si verum est, quod de Agrippa referunt, plus vice simplici hora nona ad decimam usque Friburgi, & statim hora insequenti decima Mussiponti lectiones, quas vocant, publicas habuisse, magnopere profecto desudandum tibi erit, si Magiæ maculam ab eo absterfum iveris.* Unde hæc hausta sint, ignoro: interim miror, Agrippam insigni hoc artificio non usum eo tempore fuisse, quo a furibundis illis rusticis turri inclusus atque ad incitas fere redactus erat. Nec opus ipsi fuisset, de itinere minus tuto conqueri, & tam anxie emendicare viaticum, cum Lutetia Parisiorum se familiamque suam transferre Antverpiam cuperet. *Hanc Scyllam nunc pretergressus in Charybdim lapsus sum: defecit enim me viaticum, nec inveni adhuc, qui mihi succurrat, aut mutuum det Antverpiæ restituendum, malitia temporis bellorumque hosti-*

hostilitate obstante. En vides, qualem ludum mihi parit virtuti semper inimica fortuna, & jam mihi cum uxore & parvulis eundum ad vos est per nudos enses, per infestos limites, per hostilia agmina: nec ista me retinent, modo adsit viaticum (*d*). Mirum etiam, quod Bruxellis carceri mancipatus, non ruptis repagulis tantus artifex evolaverit, ac celeri se pede proripuerit.

7.

Agrippæ Mores.

QUantum quidem ego Agrippam ex scriptis novi, homo mihi videtur fuisse varius ac mutabilis semper, diu eodem in loco morari nescius, iracundia sæpe vehementius effervescens, vindictæ supra modum cupidus (*e*), animo elatus & fastu turgidus,

(*d*) Lib. V. Ep. 29. p. 245.

(*e*) En ejus verba e Lib. V. Epist. 3. p. 224. *Ingenuus animus, semel juste iratus, numquam mitigatus in gratiam revertitur. Nihil itaque aliud nunc animo meditor, quam vindictam, hoc est, egregium aulicarum injuriarum contemtum* (scilicet deficientibus ulciscendi viribus). Forte tamen hic excusari posset Agrippa, cum eo tempore nimis inique a Francisci I. matre habi-

dus, immodicus sui præco (*f*), ipse plerumque nimia linguæ libertate adver-

 sæ

habitus fuerit. A. 1528. his ira commotus in amicum, a quo se desertum esse conqueritur, insurgit: *En testibus hac mea manu & annulo renuncio amicitiæ tuæ, detestor consuetudinem tuam, contemno, quæcunque ex te sperare potuero, ac deinceps te mihi pro perniciosissimo adulatore ac crudelissimo hoste habiturum decerno, idque eo animo ac ea memoria, quæ nunquam mitigata in oblivionem revertatur, optoque tibi, ut sicut me toto animo ac ea memoria, quæ nunquam mitigata in oblivionem revertatur, optoque tibi, ut sicut me toto animo in te confisum turpissima inhumanitateque ingratitudineque deseris ac destituis, sic te deserat Christus, sic te destituant hæc paschalia sacramenta. Denique meminisse debueras, potuisse me tibi nonnunquam plurimum prodesse. Quodsi nocendi cupido esset, nec premerem altum alto corde dolorem, nosti me habere scientiam & potestatem in te, quibus si voluntas quoque aliquando accessura sit, quid superest, nisi quod est in proverbio: Arborem quæras ad suspendium?* L. V. Epist. 32. p. 247. Immo ad ipsos judices, coram quibus ob æs alienum accusatus fuit, A. 1531. (L. VI. Ep. 25.) præter alia scribere haud veritus est: *Quodsi cedere cogor violentiæ, & potentioribus par esse non potero, infirmitati fortunæ meæ imputabitur: verum honoris mei vindictam & injuriarum ultionem si data aliquando opportunitate neglexero, hoc certe ignaviæ, pusillanimitatis & excordiæ vitium esset: quod ab ingenuis animis tam semper alienum fuit, ut multi quam honoris sui vindictam judicum sententia non obtinuerunt, alii vi, alii dolo, alii sicariatu & veneficiis prosequi non dubitarint.* Taceo alia hujuscemodi ferocientis animi documenta.

(*f*) En insigne jactantiæ specimen, idque ex literis supplicibus ad intimum Imperatoris consilium (Lib. VI. Epist.

fæ (g) suæ fortunæ faber. Vere in eum convenire judico Senecæ effatum: *Nullum magnum ingenium sine mistura dementiæ*, & quod

Epist. 22. p. 305.) An me ignoratis, o oculatissimi virorum? ipsa opera mea me vobis prodere potuerunt, aut hactenus de me periculum facere potuissetis. An me contemnitis, despicitis, refugitis?

Non duris genuit me cautibus horrens
Caucasus, Hircanæque admorunt ubera tygres.

Sum enim non solum ingenuus, sed & spectabilis genere, nec tantum clarus imaginibus avitis, sed & propriis titulis militia doctrinaque partis, nec modo scholasticis tiaris, sed etiam militaribus insignibus decoratus, qui sub diversorum Regum Imperatoribus militiæ præfectus, nitido coruscans ære strenua edidi facinora: sunt mihi horum aliorumque bene gestorum munerum summorum Pontificum, Cæsarum, Regumque & potentatuum clara testimonia. —— —— Sunt adhuc mihi & plus quam olim optimæ literæ ingenuæque artes, inveniendarum rerum novarum pervicax ingenium, sanum pectus, vivax consilium, rerum gerendarum industria, in adeundis periculis audacia, in sustinendis laboribus vires atque ad patranda accepta Regibus facinora infractus animus: sunt & variorum populorum linguæ & mores. Quodsi Silenum illum invertere oporteat, essent etiam astus, calliditas, uterque dolus & malorum quorumvis scientia atque potestas, ingeniumque nocendi doctum, etiam potentioribus. Hæc ex ipsius ore effusa vel idcirco legi heic merentur, quod nobis Agrippam egregie & vivis coloribus depingant.

(g) Hinc ab ipsis amicis monitus fuit, ne ulteriores sibi calamitates satyrica illa loquendi libertate pariat. vid. Lib. VI. Epist. 7. p. 329.

quod Plato pronunciavit, vix reperiri hominem ingenii inſigniter excellentis, qui non admiſtum habeat aliquid maniæ (*h*).

8.

Agrippæ Scripta promiſſa & inedita (*i*).

PRæter ea, quorum Bailius jam meminit, aliorum etiam ſpes ab ipſo facta: videlicet *annotationum uberiorum in Mercurii Triſmegiſti Pœmandrum* (*k*), *Commentariorum in libros de occulta philoſophia* (*l*) & *Pyromachia*, de qua (*m*) A. 1526. d. 10. Oct. his ad amicum verbis utitur: *Liber hic in volumen ſatis amplum excrevit, & architectrices illæ poliorceticarum organopoeticarumque machinarum moduli cæteraque pyromachiæ inſtrumenta hactenus per me magnis laboribus &* ſum-

(*h*) vid. Huarti Scrutinium. Ingen. p. 30.

(*i*) Edita præter Bailium enarrarunt Viri eruditi, qui rariores & præſtantiores Bibliothecæ Illuſtris Chr. Thomaſii libros recenſere cœperunt. Part. I.

(*k*) Lib. I. Epiſt. LI. p. 41. Inter Orationes Agrippæ ſecunda habita eſt Papiæ A. 1515. in prælectione Triſmegiſti. vid. Tom. II. Opp. p. 401.

(*l*) Lib. II. Epiſt. 14. p. 57.

(*m*) Epiſt. L. IV. num. 54. p. 201. cf. Epiſt. 73. p. 218.

sumptibus perfecta. Et in Dedicatione Libri de Vanitate ſcientiarum : *Ego nunc e cane in crocodilum aut draconem aliumve ignivomum ſerpentem migrabo, & Pyrographiam (opus quale hactenus non viderit ætas, ſed nonniſi famoſo cuidam orbis vaſtatori profuturum) protinus abſolvam.* Joannes vero Rogerius Brennonius in literis ad Noſtrum A. 1526. ſcriptis mentionem facit Steganographiæ, ab ipſo concinnatæ (*n*).

9.

Agrippæ Elogia.

CUm a multis tot diris fuerit oneratus Noſter convitiis, ut elogia, quoque quibus alii eum ornarunt, huc tranſcriberem, æquum juſtumque eſſe cenſui. Verum e multis pauca duntaxat dabo, initium faciens a notiſſima illa, nec inficeta, inſcriptione :

Inter Divos nullos non carpit Momus :
Inter Heroas monſtra quoque inſectatur Hercules :
Inter dæmones Rex Herebi Pluto iraſcitur omnibus umbris :

Inter

(*n*) Lib. IV. Epiſt. 28. p. 180.

Inter Philosophos ridet omnia Democritus:
Contra deflet cuncta Heraclitus:
Nescit quæque Pyrrhias:
Et scire se putat omnia Aristoteles:
Contemnit cuncta Diogenes.
NULLIS HIC PARCIT AGRIPPA.
Contemnit, scit, nescit, flet, ridet, irascitur, insectatur, carpit omnia,
Ipse Philosophus, dæmon, heros, Deus & omnia.

Hanc inscriptionem jam vetustæ illi Editioni Libri de Vanitate & Incertitudine O. S. & A. quæ A. 1532. prodiit, præmissam esse observo, indeque in laudem Agrippæ, non opprobrium, uti nonnulli opinantur, factam colligo, cum ea editio vel ab illo ipso, vel a quodam ejus amico curata fuerit. In epistolis (*o*) ab amicis salutatur *bonarum literarum Aristarchus*, *Vir omnium eruditissimus*, *scientia vere cyclicus*, *omnium, quos suo orbe sphæricus orbis complectitur, doctissimus*, *inter mortales philosophantes Deus*, *philosophiæ*, *medicæ artis & totius naturæ secretarius*, imo *omniscius*, & quæ aliæ sunt ampullosæ laudes, inibi ipsi tributæ. Claudius Blancherosеus ita de eo (*p*) cecinit.


(*o*) Lib. II. Epist. 58. p. 103. L. III. Ep. 36. p. 130. Ep. 55. p. 141. &c.
(*p*) Lib. III. Ep. 36. p. 130.

Ut superat Titan radiantia lumina cœli,
Ut quoque vis pelago major inest fluviis:
Sic facile cunctos doctrina & moribus æquis,
Corneli, vincis, Phœbus ut astra sua.

Alia exhibet Naudæus (*q*), Th. Pope Blount (*r*) & Nic. Reusnerus (*s*).


(*q*) Apologie pour les grands hommes &c. p. 290.
(*r*) In Censura Authorum p. 540.
(*s*) In Iconibus Virorum literis illustrium (edit. Argent. 1590.) p. 78. sqq.

CON-



CONTENTA
Tomi Secundi.





INDEX RERUM

A.

Alcyo-

B.

Biblio-

D.

E. Eadga-

E.

F.

G.

H.

J.

K.

L.

Laure-

M.

Petrar-

T.

Typo-

X.

Z.

AMOENITATES LITERARIÆ,

Quibus

VARIÆ OBSERVATIONES,

Scripta item quædam anecdota & rariora Opuſcula exhibentur.

Tomus Tertius.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Apud DANIEL. BARTHOLOMÆI,
MDCC XXV.

PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO DOMINO,

DOMINO

RAYMVNDO KRAFFT

DE

DELLMENSINGEN,

INCLYTÆ ET LIBERÆ S. R. I. REIP. VLMENSIS CONSVLI DE PATRIA REBVS DOMI FORISQVE IN AMPLISSIMIS LEGATIONIBVS PRÆCLARE GESTIS IMMORTALITER MERITO

MVSARVM TVTORI

SVEVIÆ NOSTRÆ PEIRESCIO

INCOMPARABILI LITERARVM ET LITERATORVM PATRONO

DOMINO ET MÆCENATI SVO GRATIOSO

 Ter-

Tertiam quartamque opellæ
ſuæ partem,
Imo ſe ipſum
Veteri Clientum more
humillime
Offert, dicat, conſecrat
TANTI NOMINIS
devotiſſimus & perpetuus cultor.

Jo. Georg. Schelhornius.

TVVM

VVM in sinum VIR PERILLVSTRIS, anhelantes confugiunt devotissimæ venerationis atque sanctissimi cultus obsides, novæ opellæ meæ literariæ partes, quæ, si quid amœnitatis, si quid decoris, si quid utilitatis secum ferunt, id omne ex locupletissimo Tuo κειμηλίων literariorum thesauro, tanquam inexhausto omnium gratiarum fonte, hau-

ſerunt. TIBI ergo, MÆCENAS, TVÆque Gratiæ cum vitam unice debeant fœtus hi mei, merito lubensque ſacros dicatosque eos eſſe cupio, læta ſpe plenus, fore, ut eadem indulgentia tenellum hunc meum incomtumque partum excipias, qua hactenus illius parentem liberaliter foviſti. Utinam veró tantum mihi eſſet ingenii flumen, tanta dicendi copia, ut hac occaſione ſimul ſummam meam obſervantiam, qua TE & TVAS exquiſitas virtutes demiſſe veneror, rite teſtari, TVAque in me indignum merita

rita justa oratione prosequi valeam! Licet autem nonnisi infantiam ac imbecillitatem in me deprehendam, inerudita tamen balbutie Gratiam TVAM publicis præconiis dilaudare, quam intempestivo silentio ingrati hominis notam subire malo; devotissimi affectus prolixitate, quæ verbis desunt, pensaturus: cum præsertim jucundius mihi nihil esse queat, quam devota beneficiorum TVORVM in me largiter profusorum commemoratione animum meum, TIBI addictissimum, demulcere. Nunquam nisi cum intimo quodam te-

tenerrimæ voluptatis ſenſu recordor incomparabilis illius comitatis, qua anno ſuperiori ad finem vergente, cum vix lucem aſpexiſſet publicam primus opellæ meæ faſciculus, in ædibus me TVIS atque Bibliotheca inſtructiſſima habuiſti humaniſſime. Non alii certe per omnem vitam lætiores mihi affulſerunt dies, quam quibus TVAM incredibilẽ humanitatem, TVVM ardentiſſimum rei literariæ pomœria provehendi Muſarumq; cultores TVIS divitiis juvandi fervorem, ſum̃am TVAM prudentiam, inſignem morum gravita-

vitatem cum inusitata comitate amico junctam connubio, reliquarumque rarissimarum virtutum, quæ in TE effulgent, congeriem, coram suspicere mihi licuit. Felicibus auspiciis vel solo hoc nomine laborem hunc literarium a me susceptum esse arbitror, quod eo facilem mihi non opinanti, nec merenti aditum ad TVVM patrocinium, o quam exoptatissimum! paraverim.

Eo vero etiam processit TVA, DOMINE GRATIOSE, pronissima in me voluntas, ut posthac me, nihil tale cogitantem,

ſingulis ſeptimanis, idque iterata imo tertium repetita non raro vice inter tot concatenata & graviſſima, quæ Reip. cauſſa geris, negotia epiſtolis gratioſa benevolentia refertis, mirumque in literas amorem ſpirantibus, quovis Nectare, quavis Ambroſia mihi ſuavioribus me beare TVÆ indulgentiæ placuerit. Venerabundus eas inter illa repoſui, quæ cimeliorū loco æſtimo; lego, relego, quoties mentem tenerrimis deliciis perfundere geſtio, nunquam iis ſatiatus, nunquā ſatiandus. Si quem tandē Muſæ meæ tenues & agreſtes,

hu-

humique adhuc ſerpentes, calorem, ſi quem ſpiritum acquirent, his eum unice acceptum ferent ſtimulis.

Præterea omnem meam laudem excedit ſummus TVVS in communicandis mecum ex præſtantiſſima Bibliotheca libris cum manu exaratis, tum typis exſcriptis rarioribus, quibus alii, tanquam dracones auro, incubant. Ipſa profecto frequens me edocuit experientia, alieniſſimum TE, VIR PERILLVSTRIS, ab eorum moribus eſſe, *qui*, uti Franc. Petrarcha de ſui ævi Proceri-

ribus (*a*) conqueritur, *libros non utendi ſtudio cumulant, ſed habendi libidine, neque tam ut ingenii præſidium, quam ut thalami ornamentum.* Non enim IPSE ſolum theſauris TVIS, quotiescunque animum civilibus curis & publicis negotiis fatigatum refocillare cupis, uti ſoles, æquus maſculæ eruditionis Æſtimator, ſed & aliorum uſibus eos liberrime TVA indulgentia, nunquam ſatis prædicanda, patere, expertus aſſeverare poſſum. Gratus inſuper memini, me-

(*a*) Epiſt. Famil. Lib. III. p. 109. edit. Lugdun. 1601.

memorque ero, dum ſpiritus hos reget artus, cæterorum luculentiſſimorum maximi TVI in me exiguæ ſortis hominem favoris documentorum, pro quibus cum decentes agere gratias nequeam, Tullii verba, mentem meam plane exprimentia, repono, ac votivæ tabulæ loco publice ſuſpendo: *TIBI, quod ſic de me ſis meritus, perſuadeas velim, in TVA me voluntate perpetuo futurum: nullamque rem eſſe minimam, quæ ad TE pertineat, quæ mihi carior non ſit, quam*

quam meæ res omnes. Idque cum ſentiam, ſedulitate mihimetipſi ſatisfacere poſſum, re quidem ipſa mihi non ſatisfacio, quod nullam partem TVORVM meritorum non modo non referenda, ſed ne cogitanda quidem gratia conſequi poſſum. Gratulor Ulmæ TVÆ, Sueviæ noſtræ Ocello, gratutulor Sueviæ noſtræ, gratulor Orbi literato, gratulor &, ſi addere liceat, mihi de TE, GENEROSISSIME DOMINE, Tanto Muſophilorũ Muſarumque Patrono, Statore, Vindice: Deumque ſupplex veneror, ut

TE

TE omni hominibus exoptandæ proſperitatis genere cumulatum cum ILLVSTRI TVA PROSAPIA, quæ ab ipſa Virtute (*b*) nomen ſuum accepit, ac præcipue GENEROSISSIMA FILIORVM BIGA, quos jam Senatorio Ordini adſcriptos Ulma mecum veneratur, ſeros in annos Reipublicæ, Orbi literato, omnibus Bonis, & mihi ſervet ſoſpitem ac incolumem! Hæc votorum meorum ſumma eſt.

De reliquo TVÆ Gratiæ, TVO Patrocinio me & mea qualiacunque ſtudia ea, qua decet,

cet,

(*b*) Cruſius in Annalibus Suev. Lib. VII. P. III. p. 427.

cet, animi demiſſione commendo. Ita Vale, VIR PERILLVSTRIS, MVSARVM DELICIVM, MEVM PRÆSIDIVM! Dabam Memmingæ A. O. R. CIƆ IƆCCXXV. ipſo die, RAYMVNDO in faſtis dicato, quem divina Providentia TIBI ſalvo ac vegeto innumeris vicibus recurrere jubeat!

PRÆ-

PRÆFATIO.

L. B. S.

NIhil est, quod in Præfamine novorum hujus opellæ fasciculorum, quos nunc Tibi sisto, Te moneam. Unum tamen hoc in eorum limine gratissima mente mihi profitendum est, omnia, quæ heic tradidi, beneficio Perillustris D. Raymundi Krafft de Dellmensingen, *Viri non tam famosis, quibus splendet, avitæ nobilitatis imaginibus, quam raris virtutibus & præstan-*

tissimis in Rempublicam meritis maxime conspicui, deberi. Tantus est Ejus in literas amor, ut, quæcunque possidet, non sibi soli servare, sed publicæ utilitati consecrare cupiat. Quod si Deus O. M. vitam viresque mihi concesserit, aliquando ex instructissimo Hujus Mæcenatis Museo cum alia, tum peculiare Epistolarum ineditarum earumque notabilium volumen Tuo conspectui exponere animum induxi. Plura nunc haud adjicio. Vale, Optime Lector, meisque conatibus favere perge.

Lipsius in Præfat. Polit.

UT in ludo pilæ alterius est commode mittere; alterius, etiamsi quid erratum est, quam bellissime excipere, & arte corrigere: sic æqui lectoris, flectere quædam in benigniorem partem.

Contenta Tomi Tertii.

B. C. D.

B. C. D.

I.

MEMORABILIA BIBLIOTHECÆ PERILLUSTRIS DOMINI RAYMUNDI DE KRAFFT.

QUanti intersit, celebriorum Bibliothecarum inibique latentium κειμηλίων notitiam habere, inter omnes, quibus literæ curæ sunt cordique, constat. Ut enim taceam, vel solam rariorum codicum, qui in istis literarum sacrariis adservantur, cognitionem ipsa sua jucunditate eruditorum allicere animos, ac eximia quadam voluptate demulcere: commodis certe doctorum plurimum inservire arbitror, arcana Bibliothecarum sacra retecta conspicere, ac nosse,

quibusnam adhuc Musarum Resp. gaudeat divitiis, ubinam locorum repostæ sint opes illæ literariæ, auro gemmisque longe pretiosiores, quidnam denique ex istis gazis in publicum emolumentum depromi possit. Præterea suus sic tribuitur honos, sua laus exquisitarum Bibliothecarum conditoribus, ac nomina eorum, cedro digna, non gratæ duntaxat viventium sed & posterorum memoriæ ex merito commendantur. Haud igitur abs re ὁ πάνυ Morhofius (*a*) insanire illos, qui rei Bibliothecariæ studium vituperant & dissuadent, pronunciat, eoque nomine graviter reprehendit Claudium Verdierum, qui in Censione Authorum omnem curam Bibliothecariam, ut rem inutilem, stolidis ac ineptis rationibus damnare non erubuit. Hæc mecum reputans, haud ingratam fore lectoribus spero meam hanc commentationem de memorabilibus splendidissimæ Bibliothecæ, quam Perillustris Dn. RAYMVNDVS DE KRAFFT, inclutæ Reip. Ulmensis Consul meritissimus, ardore incredibili collegit, atque in dies studio nunquam satis prædicando adauget, ipse ob eam, quæ pol-

(*a*) Polyhist. Liter. Tom. I. L. I. C. VI. p. 48.

pollet, eruditionem animata Bibliotheca jure dicendus. De hoc tanto literarum literatorumque Patrono ex veritate Comici verba usurpare posse videor: *Nunquam ita magnifice quicquam dicam, id virtus quin superet ipsius.* Rapuit me, fateor, in admirationem Bibliotheca Krafftiana, quam privatarum in Suevia nostra reginam facile dixeris, sed me mihi propemodum eripuit ipsa Perillustris Possessoris humanitas incomparabilis, ipsæ illæ præstantissimæ virtutes, quæ omnibus devotum facile & summum animi cultum eliciunt. Ex gratiosa itaque Viri Generosissimi concessione aliquam thesauri ejus librarii notitiam tecum communem facere constitutum mihi est ac deliberatum, ut scias, nec Sueviæ nostræ suos deesse Peirescios, suos Pinellos, suos Uffenbachios, de quibus jure gloriari queat.

Numerus Codicum cum manuscriptorum tum impressorum ad sex circiter millia assurgit: plerique tamen sunt vel rari, vel præstantes & utiles. Nihil jam dico de apparatu juridico, quem Themidis alumnis curatius perlustrandum relinquo, paucos tantum rariores ejus generis libros e plurimis posthac inter alios commemoraturus.

De Bibliotheca vero theologica generatim hoc annoto, reperiri heic præter complura noſtratium opera, etiam exterorum, eaque haud ubivis obvia, v. g. Simonis Epiſcopii, Fratrum Polonorum Bibliothecam, & cætera, quæ recitare longum foret. Scriptorum Lutheri ac ejus συγχρόνων, ipſis authoribus curantibus ac revidentibus olim publicatorum, quæ Hermannus von der Hardt *autographa* (*b*) nominare ſolet, atque cimeliorum inſtar adſervanda eſſe non ſine ratione judicat, ultra ſexaginta diverſæ formæ volumina hic cuſtodiuntur, præterea Bibliorum varii idiomatis vel integrorum, vel ſeorſim ſive Veteris, ſive Novi Teſt. exemplaria ſupra octoginta, tam manu exarata, quam typis exſcripta. Hiſtoricorum quoque magnus adeſt numerus, eorumque cum civilium, tum eccleſiaſticorum, cum univerſalium, tum particularium, Rerum videlicet Germanicarum, Hiſpanicarum, Francicarum, Britannicarum, Belgicarum, Italicarum, Hungaricarum, Bohemicarum, Polonicarum, Turcicarum, Indicarum, &c. Taceo chronica civitatum, taceo ſcripta geographica, genealogica, heraldica, chronolo-

(*b*) Vid. ejus præfat. Tom. I. Antiqu. Liter. monum. præmiſſam.

nologica. Nec contemnendus hic conspicitur apparatus philologicus, antiquarius, editiones insuper vetustissimæ priscorum authorum, ac codicum præsertim Manuscriptorum omnis generis haud exigua copia. Hæc generatim notasse sufficiat: nunc specialius enarrabo rariores aliquot Bibliothecæ libros, impressos pariter ac calamo exaratos, adspersis subinde quibusdam notatiunculis, initium facturus a Codicibus Biblicis.

I.

Codices Biblici Manuscripti.

I.

PEntateuchus cum quinque Meghilloth, Hebraice & Chaldaice alternis versibus. Accedunt Sectiones ex Prophetis, per annum in Synagogis legi solitæ. Codex membranaceus formæ augustæ, in usum sine dubio Synagogæ, charactere majusculo quadrato & elegantissimo scriptus, punctis vocalibus & accentibus instructus. Cujuslibet folii in tres columnas divisi, oram superiorem & inferiorem Masora magna, minutioribus literis exarata, ornat,

ornat, interiorem vero & exteriorem marginem nec non vacuum illud inter textus columnas ſpatium maſora parva cum nonnullis Obſervationibus Grammaticis & Cabaliſticis.

Alios Codices Manuſcriptos, qui textum Hebraicum cum paraphraſi Chaldaica alternis vicibus exhibent, recenſet diligentiſſimus ac de literaria Bibliorum hiſtoria præclare meritus Jacobus le Long (*c*). Ex hac autem Judæorum conſuetudine Wilh. Ern. Tenzelius (*d*) non inepte Bibliorum Polyglottorum originem derivat. Cæterum hic Codex magna cura & puriſſimo atramento conſcriptus, ac propterea ab erudito quodam Judæo, Ulmam tranſeunte, maximi æſtimatus eſt. De uſu autem atramenti apud Hebræos in volumine ſacro, pro Synagogis præcipue, deſcribendo copioſe & exquiſite egit Vir Doct. Jo. Jac. Quandt (*e*). Hinc Jo. Leusdenius vapulavit Richardo Simonio, ita in eum

(*c*) In Biblioth. S.

(*d*) In Diſſ. de Bibliis Polyglottis.

(*e*) In peculiari exercitatione Rabbinico-Talmudica de Atramento Hebræorum, publicæ diſcuſſioni expoſita Regiomonti A. 1713.

eum (*f*) insurgenti: *Hac in parte Leusden suam imperitiam prodit, laudando Codicem quendam a Judæis consultum in adornanda suorum — Bibliorum Amstelodamensium editione, propterea quod aureis characteribus exaratus sit. At in suis Synagogis non alios quam atramento scriptos ferunt Judæi; privati quidem, ut libet, eos scribunt.*

2.

Quatuor Prophetæ majores & duodecim minores. Hebraice in membrana formæ quadripertitæ.

3.

Biblia Latina. Codex Membranaceus in folio ex seculo, uti videtur, XIII.

4.

Biblia Latina in purissima membrana. Codex elegantissimus formæ octipertitæ.

5.

Liber Jobi ex versione vulgata cum Glossis interlinearibus & marginalibus. Codex antiquus membranaceus in quarti ordinis forma.

(*f*) Lib. I. Histor. Crit. V. T. Cap. XXIII. p. 116.

6.

Codex Epistolarum Pauli, nec non Catholicarum & Apocalypseos Latine in quarti ordinis membrana.

Codex hic venerandæ vetustatis seculo ad minimum nono scriptus est. Summariis enim epistolæ ad Romanos hi subjiciuntur versus:

Iste liber Pauli retinet documenta sereni
Hartmotus Gallo quem contulit Abba beato
Si quis & hunc sancti sumit de culmine Galli
Hunc Gallus Paulusque simul dent pestibus amplis.

Hic versus ab alia, itidem antiquissima, & sine omni dubio ipsius Hartmoti manu sunt exarati, ac ipse Codex, atque adeo is ipsam forte Hartmoti ætatem superat. Hartmotus (*g*) vero ille, Rodulphi Burgundionum Regis consan-

(*g*) Hartmotum hunc vel Hartmutum cum duobus Hartmannis confudit Guil. Cave in Historia liter. Script. Eccles. f. 394. quorum unius carmina quædam, alterius vitam Viboradæ habemus. vide Jac. Basnagium in thesauro monument. antiqu. sive Henrici Canisii Lectionibus antiquis, nuper Amstelodami nitide recu-

ſanguineus, poſt mortem Grimaldi, cui adhuc vivo vicariam jam præſtitit operam, Abbas Sangallenſis electus fuit A. D CCC LXXII. atque poſt undecim annorum decurſum eo ſe munere rurſus abdicavit. Juvat huc quædam transferre ex Ratperti, Monachi Sangallenſis (*b*) libro de origine & diverſis caſibus Monaſterii S. Galli in Alemannia (*i*): *Poſt obitum Grimaldi* (qui teſte eodem in præcedentibus contigit A. 872.) *fratres juxta permiſſam ſibi licentiam protinus cum maximo unanimitatis conſenſu Hartmotum ſibi elegerunt Abbatem. — — Hartmotus vero — optimi ſe paſtoris perfectione ſtuduit ubique & undique exercere. — — Librorum quoque, quos ille ad communem monaſterii utilitatem ſuo tempore patravit, hæc ſunt nomina. Lectiones Evangelii, quem librum auro & argento ac lapidibus pretioſis ornavit. —— Alios quo-*

 que

recuſis. Tom. II. Part. III. f. 187. Huic Hartmuto, cum adhuc monachus S. Galli eſſet, cum Werinberto epilogum Evangeliorum ſuorum inſcripſit Otfridus. vid. Seelenii Memoriam Stadenianam. p. 385. 390.

(*b*) De Ratperto hoc vel Raperto, Harmoti συγχεονῳ, cf. Caniſium l. c. f. 196.

(*i*) In Goldaſti Rerum Alemannicarum Scriptor. Tom. I. Part. I. p. 9. edit. Francof. 1661.

quæ libros, proprii causa videlicet usus, jucunda patravit scriptura, quos similiter post finem dierum suorum S. Galli servitio perpetualiter contradidit retinendos, NB. *imprecans etiam illi non parvæ dedecus confusionis, si quis præsumpserit aliquam partem eorum de monasterio S. Galli abstrahere, illiusque servitio eos auferre. Nomina vero eorundem librorum sunt hæc. Quinque Libri Moysi, Josua, Judicumque in Vol. I. Regum Lib. IIII. in Vol. I. Psalterium de Hebraico translatum, Proverbia Salomonis, Ecclesiastes & Cantica Canticorum: item Liber Sapientiæ & Jesu filii Syrach, & Paralipom. Libri II. Vol. I. Job, Tobias, Judith & Hester in Vol. I. Esdras, Neemias, & Machabaeorum Libri II. in Vol. I. Esajas & Jeremias in Vol. I. Ezechiel & XII. Prophetæ & Daniel in Volum. I. Evangeliorum Volumen I.* NB. *Reliquorum Librorum Novi Testamenti Volumen I.* Et hoc, nisi me omnia fallunt, illud ipsum est, quod jam Bibliothecam Illustris Domini de Krafft ornat. Ex hoc vero & sequenti codice observo, diphthongi Æ figuram Ludovici Germanici ævo jam conjunctim, sic *æ*, vel notula subjecta, hunc in modum *ę*, exprimi

primi consuevisse: in utroque enim nunc *æ*, nunc *ae*, aut *ę* subjecta virgula occurrit, quem scribendi modum etiam Mabillonius (*ii*) in quodam Rabani Mauri MSto hujus ætatis deprehendit, atque hinc Herm. Conringium contra sentientem notavit. Rem igitur acu haud prorsus tetigisse videtur Claudius Salmasius, Vir alias in arte Critica regnans, hoc judicium ferendo: (*k*) *Si quibus in Libris MSS. diphthongus reperiatur Æ duabus literis, non in unam coalitis, sed separatis, expressa ad hunc modum AE aut ae, scias codices illos & vetustos esse inprimis & fideli manu confectos. Si aliter effictа occurrat, aut per unam literam ex duabus conflatam, aut per unicum E, cui nota supposita sit, hoc modo ę, qui primo modo scripti sunt, paulo majorem vetustatem redolent, qui secundo, ad infimum seculum relegari debent.* (*l*) Locus

1. Joan.

(*ii*) De Re Diplomatica Lib. II. Cap. I. f. 58. 59. add. Lib. V. f. 363.

(*k*) In Epistola ad Sarravium, quam Morhofius inseruit Polyhist. Lit. T. I. L. I. C. VII. p. 59. Idem cum Salmasio asserit etiam Celeb. Burc. Goth. Struvius in Dissert. de Criteriis Manuscriptorum, Actis Litterariis præmissa, p. 20.

(*l*) Contra seculo etiam undecimo hunc morem ob-

1. Joan. v. 7. 8. in hoc volumine ſic legitur: *Quia tres ſunt qui teſtimonium dant Spiritus & aqua & ſanguis & tres unum ſunt. Sicut in caelo tres ſunt pater verbum & ſpiritus & tres unum ſunt.* Paulinis Epiſtolis annexa etiam eſt ſuppoſititia illa ad Laodicenſes.

7.

Codex IV. Evangeliorum membranaceus, ejusdem cum priore, ſi non majoris, ætatis. in 4.

8.

Metaphraſis rhythmica librorum hiſtoricorum veteris Teſtamenti antiqua lingua Germanica ſeculo XIII. ſcripta in membrana quarti ordinis formæ.

Procedit ea tantum ad Quartum poſterioris libri Regum caput, authorem agnoſcens, indice Theodoro Bibliandro (*m*), Rudolphum quendam oriundum

obtinuiſſe diphthongum ae ita ſubjecta virgula ę exprimere, docet Celeb. Schlegelius in Epiſtola de Codice Willigiſiano, ſubjecta E. S. Cypriani, Viri Summi, Catalogo Codicum Manuſcriptorum Bibliothecæ Gothanæ. p. 6.

(*m*) In Commentario de ratione Linguarum p. 49. citat. Hottingero in Bibliothecario quadrip. p. 147.

dum ex familia, quæ nomen habet ab eminente arce in Rhetia, vulgo Hohen Ems dicta. Confecta eſt ea juſſu Conradi Regis, Friderici II. Imper. filii, prout ipſe autor in verſibus, metaphraſi prioris libri Samuelis præmiſſis, teſtatur, ubi inter alia:

Min liebir Herre durch den ich
An diz buch noch min erbeit
Mit getichte han geleit
Und ez mit Gottis helfe wil
Für ſih tihtin uf daſ zil
Ob mir Got der jare gan
Daſ ih im mag gedienen dran
Daſ iſt der Künig Chunrat (*n*)
Des Keiſirs Kint, der mir hat

Ge-

(*n*) Conradus Rex vocatur hic des Keiſirs Kint pro more ſtili veteris Teutonici, quo vocabulum Kind non tantum infantem, puerum aut adoleſcentem notabat Alemannis, ſed & majorennem & quatenus præſertim ad patrem refertur filium & liberos obſervante B. Joanne Schiltero ad Ἐπινικίῳ rhythmo Teutonico Ludovico Regi acclamatum p. 32. Scripſit enim Rudolphus hanc metaphraſin poſt mortem Friderici II. quæ, teſte Pandulpho Collenutio in Hiſtor. Neapolit. Lib. IV. p. 155. edit. Baſil. 1572. contigit A. M CC L. decima tertia Decembris die. Apparet id ex præcedentibus rhythmis, quibus laudes quinque e Suevorum gente Imperatorum ac Regum, Conradi ſci-

Geboten, und des bete mich
Geruchte biten des, daſ ich
Durh in dü mere tihte
Von anegenge berichte

Wie

ſcilicet, Friderici Barbaroſſæ, Henrici, Philippi & Friderici II. quorum ut & Conradi noſtri imagines pictæ in inferiore paginæ ora exhibentur, decantat, ubi inter cætera:

Daſ fünfte war Keiſir Friderich
An dem mit Craft virſuchte ſich
Der hohſte Gwalt, und in an ſtreit
Der ſin manlichr wiſheit
Konte wiſliche ubirtragen
Mit wer mit zuht in ſinin tagin
Und hete fürbaſ getan
Solter fürbaſ gelept han
Er hete druz geſlæzit ſih.

Nunc in contextu ſequuntur ſupra allegati verſus. Conradus vero obiit A. 1254. ætat. 28. Ejus filius Conradinus in quo florentiſſima Suevicorum Ducum familia in felici fato extincta eſt, Neapoli A. 1268. inſtinctu Pontificis juſſuque Caroli Andegavenſis capite truncatus fuit. Juvat de ipſo hac occaſione inſcriptionem adjicere, quæ Memmingæ in ædium, quas vocant, parochialium, olim à S. Antonii Monachis inhabitatarum, ſacello ſub picta ejus effigie legitur:

CONRADVS SECVNDVS FRIDERICI SECVNDI NEPOS HIEROSOLYMÆ ET SICILIÆ REX DVX SVEVIÆ CONFIRMATOR ET AMPLIFICATOR DOMVS S. ANTONII EXTREMVM CLAVDIT DIEM IN ITALIA ANNO DOMINI 1268. ASPICIVNT OCVLIS SVPERI MORTALIA IVSTIS.

Wie Got nah ir werde
Geschuf himil und erde.
Und darzu von der hohen Kraft
Irdnischir Herschaft
Von den mit rehter warheit
Dii heiligii schrift die warheit seit &c.

Ex subsequentibus colligo, authori nostro constitutum fuisse, rogatu ejusd. Conradi Regis historiæ filum ad sua usque tempora deducere, atque universalem rerum memorabiliũ ab orbe condito notitiam tradere (*o*). Sed & hoc reticendum haud est, inspersisse illum passim jam suo operi multa, quorum in SS. literis ne vola quidem ac vestigium extat. Sic v. g. post recensionem rerum a Jephta gestarum in libri judicum metaphrasi prolixum excursum ad res exterorum describendas instituit, & varia quoque ex mythologia Græcorum immiscet. Pariter in Genesi occa-

(*o*) Eundem ergo scopum noster sibi præfixum habuisse videtur cum Jans Enenchel, qui ipso illo tempore floruit, e cujus chronico universali, rhytmis itidem Teutonicis conscripto, specimen aliquod, Nabuchodonosoris somnium ex Dan. II. enarrans, in Historia der Gelahrsamkeit unsrer Zeiten P. XI. p. 989. sqq. exhibet Bernh. Pezius præcipuum Ordinis Benedictini in Germania cum Celeb. Fratre ornamentum.

occaſione linguarum confuſionis & hanc ſecutæ diſperſionis hominum celebriores orbis gentes (ne fabuloſis quidem omiſſis), regiones ac civitátes copioſe enarrat, ac inter eas Conſtantiæ, Baſileæ, Argentorati, Coloniæ Agrippinæ &c. cum elogio meminit. Nec deſunt in hoc opere figuræ, nonnunquam tamen ſatis ridiculæ. Specimen hujus translationis poëticæ, vel alicubi potius paraphraſeos, e principio libri Joſuæ exhibere haud piget:

Do der edel reine
An heilekeit der eine
Der wiſe der gute
Der küſche der gemute
Nach wunſche der uzerkorne
Der werde hoch geborne
Der ſtete der getrüwe
An tüwen nicht der nüwe
Der unverzagte Gottes Degen
Moyſes was tot gelegen
Und in uf monte Abraym
Got genomen hatte zim
Als ich han geſprochen ê
Do ſprach Got ze Joſue
Den er davor uf alder diet
Ze pflegat ſinre diet uf ſchiet

Alſ

Als er ê Moysese gebot
Moyses min knebt ist tot
Wo nim dich mines liutes an
Mit craft wis ein gebertzer man
In vester stetekeit gern mir
Wan ich bin unde wil sin mit dir
Als ich bin gewesen ê
Mit minem knechte Moyse
Füre min liut hin in das lant
Daz min geberz in hat benant
Unde teile in algeliche
Der lande künecriche
Alse der gelegenheite strich
Dez teiles underwise dich
Josue besante do
Du Gotes red geschach also
Die zwelf vürsten die der schar
Und der geslebte pflagen gar &c.

Alia hujus metaphraseos specimina sistunt Viri celeberrimi Jo. Henr. Hottingerus (*p*), Jo. Frider. Majerus (*q*) & Jo. Saubertus (*r*), quorum hic duplex ejus exemplum in Bibliotheca Wolfenbutelensi extare memorat.

(*p*) loc. cit.
(*q*) In Historia Versionis Germanicæ Bibliorum p. 159.
(*r*) In Palæstra Theologico - Philologica p. 198.

9.

Psalterium Latine in charta elegantissime scriptum in fol.

10.

Aliquot N. T. libri in charta formæ quadrifariam complicatæ.

11.

Psalterium Russicum. chart. in 4.

12.

Vetus Testamentum, exceptis prophetis, qui hic desiderantur, *Germanice*. chart. in fol. Scriptus est hic Codex A. 1483.

13.

Libri Josuæ, Judicum & Ruth Germanice. chart. fol. Adjecta sunt brevia *reliquorum V. T. librorum summaria.*

Exaratum est hoc volumen A. 1450. Conspiciuntur hinc inde variæ figuræ lepidæ & ruditatem seculi spirantes, quibus facile & largiter augeri possent eruditorum virorum dissertationes de erroribus pictorum in historia sacra. Ut exempla habeas: Phineas rudi penicillo delineatus exhibetur feretro inclusus, juxta positis candelis ardentibus, assistente etiam monacho & vicario episcopi cum aquæ lustralis aspergillo. Alia figura

figura sacerdotem exprimit, piaculare sacrum pro defuncto celebrantem. Sissera hic repræsentatur habitu, monachi ex ordine minorum ferali grabato impositus. *Spectatum admissi risum teneatis amici.*

14.

Proverbia, Ecclesiastes, Canticum, Ecclesiasticus & liber sapientiæ, idiomate Germanico. fol. chart. A. 1465.

Initium Cap. I. Proverbiorum sic redditur: *Diess sint Kœnig Salomons Sprüche, Hern Davids Sone, die da gebent Kunst, Wissheit und Lere, zu versteen die Wort der Wissheit und zu empfahen de Lere Gerechtigkeit und Gericht und Dumheit dass kleinen werd geben Kundigkeit und den grossen Witze und Vernunfft* &c. In Proverbiorum calce hæc habentur: *Salmon hat vier Nahmen gehabt Salomon, Ecclesiastes, Ecclesiasticus und Lamuel.*

15.

Liber Evangeliorum Christi rithmis in Theotiscam linguam versus. Fünff Bücher des Heil. Evangelii von unserm Hern und Heiland Christo, uss den 4. Evangelisten mit altfrenkischen Tytschen Rimen vor 700. Jahren durch Münch Ottfriden von Wyssenburch zu St. Gallen. Transsumptus a me A. P. G. L.

G. L. (i. e. Achille Pirminio Gaſſaro Lindavienſi) *hieme Anni ſalutis 1560. Augſtburgi in ſumma Aſmodei vexatione.*

Hæc ipſa Gaſſari manu in fronte libri ſcripta ſunt. Quædam accedunt ejus & Matth. Frid. Beckii, V. D. olim apud Auguſtanos Miniſtri præclara de literis meriti, notamina (*rr*). Primus rhythmicam hanc Evangeliorum expoſitionem in lucem dedit Matth. Flacius Illyricus Baſileæ A. 1571. in 8. cum verſione Germanica, cujus plures errores Lambecius in ſecundo de Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi operis tomo detexit. Nunc curatius ea cum verſione Latina & notis egregiis in Theſauro Antiquitatum Teutonicarum Schilteriano recudetur. Otfridum vero noſtrum non monachum S. Galli, ut Gaſſarus cum aliis perhibet, a Trithemio forte in errorem abductus, ſed Wizamburgi ſive Weiſſenburgi in Alſatia fuiſſe monuit Vir eruditiſſimus, cui oppido elegantem laudati operis Schilteriani conſpe-ctum

(*rr*) Adjecta quoque eſt Gaſſari manu generalis confeſſio priſca Germanorum lingua ex veteri Gregoriano Miſſali in Bojaria deſcripta, nec non Gloſſarium Theotiſcum.

ctum debemus. Huic Otfrido, quod ἐν παρόδῳ notare juvat, Lambecius Commentar. de Biblioth. Vindobon. L. II. C. V. & VIII. minus recte adscribit translationem & paraphrasin Theotiscam Psalterii, quæ authorem potius agnoscit Notkerum tertium sive Labeonem, a distortis labiis ita dictum, ut invictis meo quidem judicio argumentis Vir quidam doctissimus demonstratum dedit in peculiari dissertatione critico-historica, bonæ frugis & sanioris critices plenissima, quæ locum aliquando in thesauro Schilteriano habebit. Sed ut ad Codicem nostrum redeamus, hoc ipsum illud exemplar Otfridianæ Evangeliorum expositionis est, quod typothetam Basileensem, curante Flacio, tessellis suis olim adhibuisse jam observavit Rud. Mart. Meelführerus in accessionibus ad Almelovennii Bibliothecam promissam & latentem p. 7. nec non Illustris Frid. Rostgaardus in præfatione emendationum Otfridianarum, ab Eccardo ad calcem Legum Salicarum publici juris factarum. Auspicato enim sidere cum pluribus aliis rarioribus ex libraria B. Beckii Augustani supellectile pervenit in


dignissimas Summi mei Mæcenatis Perillustris Dn. de Krafft manus Codex hic, tantopere aliquot ab hinc annis sed frustra a Celib. Dieterico von Stade quæsitus, & fere pro deperdito habitus. vide præstantissimi viri, cujus omnia scripta edecumatam spirant eruditionem, Jo. Henrici a Seelen Memoriam Stadenianam p. 290. sqq. (†). In præfatione ad Conr. Gesnerum, quam Flaciana editio non exhibet, Gassarus se hanc expositionem ex Codice Bibliothecæ Ulrici Fuggeri (e qua dein in Heidelbergensem translatus, tandem cum illa in Vaticanam migravit) descripsisse, & vel ob hanc causam luci publicæ exponere constituisse ait, ut hinc, satis jam antiquam consuetudinem esse Biblia in vernaculum transferendi sermonem, pateat. (††) Separata ibi adjecta est schedula,

(†) Qua occasione asserere ausim, parum abesse, quin thesaurus Krafftianus, si spectes libros, veteris linguæ Teutonicæ studio inservientes, cum multis instructissimis Bibliothecis de palma contendere queat.

(††) Locis patrum, quæ hanc priscæ etiam Ecclesiæ praxin probant, a Waltono in Appar. Bibl. p. 267. & Longio in Biblioth. S. præfatione adductis, heic in transcursu adjicio verba Eusebii Demonstr. Evang.

dula, Gaſſari manu hoc tenore ſcripta: *Inter alias propoſitiones, quas Jeſuitæ ſolenniter in ſchola Theologorum Viennæ XV. Dec. A. MDLIX. diſputarunt, ſic habet Octava: Provocare ad ſcripturam atque ab ea velut a ſupremo judice aliquo difficilium fidei quæſtionum religionisque controverſiarum definitionem ac certam expectare ſententiam, ineptum profecto ac ridiculum eſt: translatam etiam & redditam eandem tam intellectu difficilem, plenamque reconditiſſimis myſteriis, quovis idiomate efferre vulgo indocto, pernicioſiſſimum eſt.*

Evang. L. III. f. 137. Κεκήρυκται τὸ Εὐαγγέλιον ἐν βραχεῖ χρόνῳ ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ εἰς μαρτύριον τοῖς ἔθνεσι. καὶ βάρβαροι καὶ Ἕλληνες τὰς περὶ τοῦ Ἰησοῦ γραφὰς πατρίοις χαρακτῆρσι καὶ πατρίῳ φωνῇ μεταλαμβάνουσι. i. e. *Prædicatum eſt in exiguo temporis ſpatio in toto orbe Evangelium, in teſtimonium cunctis gentibus; & Barbari & Græci, quæ de Jeſu ſcripta erant, patriis literis patriaque voce exceperunt.* Ex ipſa Romano coetu jam olim hanc conſuetudinem egregie probavit Frid. Furius Cæriolanus in Bononia ſive Tract. de libris SS. in vernaculam linguam convertendis.



II.

Nunc ex Codicibus Biblicis impressis rariores ac præstantiores breviter enumerabimus.

1.

PSalterium *in quatuor Linguis, Hebræa Græca, Chaldaica* (vel potius Æthiopica) *& Latina.* Colon. 1518. in fol.

Rarissima hæc editio accepta ferenda est Joanni Potkenio, Præposito Coloniensi, quod ex ejus epistola ad calcem subjecta apparet.

2.

Biblia Armenica A. 1705. elegantissimis typis & nitidissima charta impressa, in 4.

3.

Vetus Testamentum juxta Septuaginta auctoritate Sixti V. Pont. Max. editum. Romæ ex typographia Francisci Zanneti A. 1587. in fol.

Hæc editio vulgo *Romana* κατ' ἐξοχὴν nuncupari solet, ac celebratissima est, mi-

minusque jam obvia. Multa de ea collegit Jacobus le Long (*s*).

4.

Biblia Græca veteris (juxta exemplar Romanum) *& Novi Testamenti cum versione Latina & variis lectionibus, accurante Jo. Morino. Lutet. apud Claudium Sonnium* A. 1628. 3. Volumina. in fol.

Hæc editio ad Romanam expressa est.

5.

Novum Instrumentum omne Græce & Latine, diligenter ab Erasmo Roterodamo recognitum & emendatum &c. *Basil. per Jo. Frobenium A.* 1516. in fol.

Hæc prima Erasmi editio inter rarissimas primum locum occupat, merito inter Bibliothecæ cimelia referenda (*t*).

6.

Novum Testamentum Græcum ex Bibliotheca Regia, adjectis variis lectionibus ex sedecim codicibus. Paris. per Robertum Stephanum A. 1550. in fol.

Hanc editionem optimam & elegantissimam vocat le Long (*u*), Jo. Cur-

B 5 cel-

(*s*) In Biblioth. S. p. 187. sqq.
(*t*) Conf. Tom. I. p. 223.
(*u*) l. c. f. 207.

cellæus (*x*) omnium elegantissimam & accuratissimam, Gerhardus van Mastricht (*y*) nitidissimam.

7.

Biblia Latina charactere Romano absque loci, anni & typographi indicio, fol.

Editio quibuslibet antiquitatis criteriis superbiens.

8.

Biblia Latina charactere Romano sine loci & typographi mentione. A. 1475. in fol.

Hujus editionis Jac. le Long, in recentissima etiam Parisiensi Bibliothecæ S. editione, haud meminit.

9.

Biblia Latina Gothice A. 1479. in fol. nomine loci & typographi haud expresso.

In fine hi subjiciuntur versus, horridi & incomti:

Fontibus ex Græcis & Hebræorum libris
Emendata satis & decorata simul
Biblia sum, præsens superos ego testor, & astra
Est impressa nec in orbe mihi similis.

Sin-

(*x*) In præfat. Novi Test. Græci.
(*y*) In Prolegomenis N. T. Græci, Amstelod. 1711. per Wetstenios typis exscripti p. 18.

Singula quaque loca cum concordantiis extant:
Orthographia simul quam bene pressa manet.

10.

Biblia Latina, *Gothice* A. 1482. in fol. *Norimb. per Anton. Koburger pridie Kalend. Jan.*

Literæ capitales eleganter pictæ sunt.

11.

Biblia Latina, *Gothice Venet.* A. 1483. *per Joannem dictum Magnum Herbort de Selgenstat Alemannum*, in fol.

12.

Biblia Latina ibid per eundem in 4. A. 1484. *pridie Kal. Maji.*

13.

Biblia Lat. Gothice ibid. per Hieronymum de Paganinis, Brixiensem A. 1497. in 8.

14.

Biblia Lat. cum annotationibus Rob. Stephani, Antwerp. per Anton. Goinum A. 1540. in fol.

15.

Biblia Lat. Lutet. per Robertum Stephanum cum schematibus A. 1546. in fol. ad

mar-

marginem adjectæ sunt variæ lectiones & summaria.

16.

Biblia Latina cum Annotationibus. Olivæ Roberti Stephani. 2. Volum. in fol. A. 1557.

Hæc Biblia, teste Venerabili Abbate Jo. Fabricio (z), *magno in pretio hodieque apud Gallos habentur, mihique* (sunt ejus verba) *cum A.* 1681. *spectarem Bibliothecam celeberrimi Collegii, Doctorem ejus insignem interroganti, quem pro rariori ac præstantiori Bibliothecæ libro haberent, ille exerto digito opus hoc biblicum, tanquam singularem thesaurum, indicavit atque ostendit. Et sane meretur commendari, quoniam correctissime editum est, typisque argenteis — sane elegantissimis.*

17.

Biblia Germanica. Augustæ absque anni & typographi nota, in fol. edito vetustissima.

Omnes Bibliorum Germanicorum editiones, ante Lutheri versionem typis excusas, rarissimas esse vel ex hoc colligi potest, quod ipso illo tempore, quo lucem

(z) In Historia Bibliothecæ suæ Part. I. p. 14.

lucem aspexerunt publicam, iterum ex impressis exemplaribus a variis descriptæ fuerint, labore stupendo & immenso. Insigne ergo ornamentum thesauro Krafftiano plures istiusmodi editiones, quas haud facile uno in loco junctim deprehendes, conciliare arbitror.

18.

Biblia Germanica, in fol. absque anni, loci & typographi mentione.

Eadem manus, quæ rubricas adjecit, hæc verba in calce apposuit: *An. Dn. Millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio finitum est presens opus.* In pagina vero tegmini agglutinata sequentia leguntur: *In dem Jar als man zalt nach Christi unsers Herren Geburt Tusent vierhundert und drü und sübenzig Jar. Hab ich Johannes Gmüst, genantt Brünzler diss buch kouffe und lassen ussberaitten mit rubricirn einbinden und beschlahen, und ist also ganz ussgefertiget volendet uf Samptztag vor Lucie im Jar wie oben stat Gott dem Allmechtigen zu lob und zu eren Mir und allen denen die darinnen lesen zu hilff und zu trost der ewigen Säligkeit Amen.*

19.

Biblia Germanica in fol. nec impressore, nec loco, nec anno indicato. Editio antiqua.

20.

Biblia Germanica, exceptis libris Mosis & Historicis V. T. ac Psalterio. *Augustæ Vindelicorum per Anton. Sorg.* A. 1480. fol.

21.

Biblia Germanica. *Norimb. per Anton. Koburger*, A. 1483. *cum figuris in fol.*

De hac editione rara & nitida conferri merentur Melch. Sylv. Eckardus, (*a*), Christianus Junkerus (*b*), & D. Jo. Fabricius. (*c*).

22.

Biblia Germanica, libris V. T. historicis & Psalterio deficientibus. *Augustæ Vindel. per Joannem Schoensperger*, A. 1490. fol.

23. seqq.

Versionis Lutheri prima adest *editio Wittebergensis, in officina Johannis Lufft* curata, quoad

(*a*) In Studioso Theologiæ p. 148. sqq.
(*b*) In Relatione de Bibliotheca Gymnasii Isenacensis p. 53.
(*c*) In Historia Biblioth. suæ P. I. p. 24.

quoad *Pentateuchum & libros historicos Veteris Test. Psalterium item* (*d*) *ac Novum Fœdus*. Editio præterea integri Codicis sacri, quæ ex eadem officina A. 1543. prodiit Aliæ insuper editiones vel totius S. Scripturæ, vel ejus partium, Luthero adhuc dum vivo *Augustæ Vindel. per Sylvanum Ottmar, Melchiorem Ramminger, Henricum Steiner, Jo. Schoensperger*, *Basileæ per Adamum Petri, argentorati per Jo. Knoblauch* &c. excusæ. Servantur quoque hic integra *Biblia Lutheri Augustæ Vind.* quatuor voluminibus formæ majoris *membranæ impressa* A. 1535. *per Henricum Steiner impensis Petri Aprellen, chartæ pergamenæ confectoris. Biblia Saxonico idiomate cum summariis Jo. Bugenhagen, Magdeb.* 1560.

38. 39.

Biblia Helvetica. *Tiguri per Christoph. Froschover.* A. 1531. & 1556. cum figuris in fol.

Editionem Tigurinam A. 1531. & Froschoverianos in genere Anabaptistas modernos maximopere deperire, tum quod stylo veteri delectentur, tum quod loca

(*d*) Vid. Amœnit. T. II. p. 416.

loca quædam in ea habeantur, quæ ipsi sinistre ad suas opiniones trahunt, atque hinc ubique locorum Froschoverianos codices magno pretio emere. observat Celeb. Ottius (e)

40. 41.

Versio Prophetarum Germanica, interpretibus Ludow. Hætzero, & Jo. Denckio Anabaptistis. Duplex exemplar, quorum unum *Wormatiæ per Petrum Schæffer, alterum Augustæ Vindel. per Silvanum Ottmar A.* 1527. in fol. excusum est.

In præfatione Ludovicus Hætzerus, A. 1529. die 4. Februarii Constantiæ ob frequentia adulteria & Anabaptismum capite plexus, hæc inter alia habet: *Es ist wissend, wie ich, gar nahent bey ainem Jar, den Propheten Maleachi verteütscht hab, mit auslegung Johann Ecolampadii, darinn ich meldung thett, wa Gott hülff bewiese, so wölt ich auch, Jesaja mit eegedachts Johann Ecolampadii auslegung verdolmetschen. Diss hab ich mich nit lang darnach undernommen zu laisten, und aber grosse sorg gehabt, wie ich zum ersten den text*

(e) In Longii Biblioth. S. f. 401.

text zum allerbesten möchte nach Hebraischer sprach herfür thun, und dem ainfeltigen denselben anzaigen. Hat es Got auss genaden (das ich soll bekennen) also verfügt, mir schwachen sollicher mühe und arbeit ainen gehülfen gesandt, Hanns Dengken, der mir von Gotswegen zu willen ward, mir in diesem zu verhelfen &c. Raram hanc versionem integram suæ historiæ versionis Bibliorum Germanicæ inserere statuit Vener. Jo. Melch. Krafftius (*f*).

42.

Novum Testamentum Germanice *ex versione Emseri, cum ejusd. summariis & annotationibus cura D. Jo. Diebenbergeri. Colon. per Heronem Fuchs.* in fol. A. 1529.

43.

Biblia Vandalica cura M. Georg *Dalmatini, Wittenbergæ,* 1584. in fol.

44.

Novum Testamentum Croatice literis Glagolicis, cura Primi Truberi & Sociorum, in 4. (g)

Præfatio data est Uraci A. 1562. d. 12. Januar.

C 45.

(*f*) Vid. ejus Prodromum p. 6.
(*g*) Vid. Amœnit. T. II. p. 401.

45.

Quatuor Evangeliorum versiones Gothica & Anglo-Saxonica, quarum illam ex Codice argenteo depromsit Franc. Junius, hanc ex Codd. Manuscriptis collatis emendatius recudi curavit Th. Mareschallus, cum observationibus & Glossario Gothico &c. Dordrecht. 1665. in 4. (*b*).

Hisce ita præmissis, ad alia accedimus: e reliquis Codicibus cum calamo exaratis, tum typis excusis rariores enumeraturi, & selectos tantum, eosque, qui memorabiliores nobis visi sunt. In nimiam enim molem hæc nostra commentatio excresceret, si omnes hujus Bibliothecæ Manuscriptos ac raros impressos recensere animus esset. Nimis angustæ forent istiusmodi operæ, integrum justumque volumen exigenti, cancelli, quibus nosmet ipsos inclusimus.

(*b*) De hoc opere præter Longium consuli possunt authores a J. Henr. von Seelen in Memoria Stadeniana p. 55. sq. allegati.

III.

III.

Codices Manuscripti Membranacei formæ cum ejus, quam regalem & augustam dicunt, tum usitatioris in folio.

I.

Constitutiones Clementinæ cum apparatu Joannis Andreæ.

2.

Decreti Pars I. & II. cum Tract. de Pœnitentia: item partis tertiæ distinctiones tres priores: quartæ distinctionis initium adest, reliqua cum quinta deficiunt. Accedunt Glossæ, sed diversæ ab iis, quæ alias in Corpore Juris Canonici Glossato extant.

3.

Codex repetitæ prælectionis cum glossis.

4.

Historia Scholastica Petri Comestoris.

5.

Extravagantes cum glossis.

6.

Thomæ de Aquino scriptum supra librum physicorum.

In fine: *Qui bene ſcripſit ita, ſit ei caſtiſſima vita.*

7.

Thomæ Aquinatis quartus liber Sententiarum.

8.

Ovidius, exceptis Metamorphoſeon libris. Faſtorum duo priores libri deſunt, & tertii maxima pars.

Ex Bibliotheca Samuelis Petiti. Codex quingentorum circiter annorum.

IV.

Codices Manuſcripti chartacei ejusdem formæ.

1.

VAlerius Maximus cum annotationibus. Singulis libris non prorſus inelegantes præmiſſe ſunt figuræ.

2.

Ottonis Friſingenſis Chronicon.
Ejusdem Geſta Friderici Imperatoris.
Radewicii Continuatio Ottonis.

In calce Chronici, quod cum reliquis duobus libris inter rerum Germanicarum Scriptores Urſtiſius luci expoſuit

ſuit publicæ, ſequentes verſus leguntur:

Hac ex ſcriptura lector ſi ſit tibi cura
Præſulis Ottonis perpendito vim rationis
Hic in lege ſtudens Domini vir ad omnia
prudens
Ingenio clarus cor habebat ad otia rarus
Se moderans eque diſcebat nocte dieque
Hinc non paucorum penetrans ſecreta
librorum
Plene perfecit ſe vino pauco refecit
Magnus progenie major virtute ſophia
Hic tantus talis vir ſanguinis imperialis
Preſul præfatus a Caſare ſape rogatus.
Hoc opus aptavit Cronicas quod jure
vocavit
Nomina nam regum notat & moderamina legum.

Accedunt in fine brevia quædam notamina hiſtorica ad annum usque M CCC XVII. quæ Urſtiſii editio non exhibet. Scripta ſunt ea, & forte etiam totus codex *Anno &c. LXX. per Eraſmum Sayn de Friſinga*, ubi numerus M CCCC. ſupplendus videtur. Adjectus quoque eſt libellus, alia manu exaratus, *de progenie Soldanorum Ægypti*

& præsertim de filiis Salabadini, ubi etiam de Arabia, Syria, Ægypto, Judæa, illarumque præcipuis civitatibus breviter agitur. Author anonymus sua ex relatione Patriarchæ Hierosolymitani ad Innocentium III. Pontificem Max. hausisse ait. Hunc libellum adhuc ineditum esse autumo. Pauca delibare placet ex Cap. I. *Baldachem Caput paganorum sicut Roma caput nostrum. Ibi namque residet Caliphus, & ibi colitur Machometus & a propinquis & a remotis. Est enim hæc civitas Agarenorum peregrinalis, ad quam scilicet peregrini proficiscuntur de partibus etiam remotis. Qui per desertum ituri sunt, magnum & nimium sabulosum & inaquosum, onerant camelos victualibus, per duodecim dies sufficientibus: aqua vero deficiente, sed prope terram scaturiente, cameli sitientes & aquam naturaliter sentientes percutiunt terram pede: quod videntes Sarraceni mox terram effodiunt, aquam hauriunt, potumque camelis tribuunt.* ex Cap. III. *Habuit Salaphadinus XV. uxores, & similiter ejus heres, quibus vocatis simul in palatio cum singulis dormit, & si qua masculum peperit, videntibus ceteris illam cognoscit; si qua vero*

partum

partum non habuit, cum illa per eunuchum vocata diligentius die noctèque privatim dormit, sed cum qualibet pro bene placito suo facit; si qua vero moriatur, statim loco defunctæ aliam ducit.

3.

Sermones in Concilio Constantiensi A. 1415. & 1416. habiti.

Codex hic, ipsi, ut videtur, Concilio coævus, XLI. sermones continet, a Theobaldo, Mauritio de Praga, Matthæo de aula regia, Alexio ordinis Minorum Episcopo Placentino, Bernhardo baptizato Monacho & Abbate Ordinis Benedicti, Abbate Joanne de Castro Durantis, Episcopo Laudensi, Episcopo Sarisburiensi, Episcopo Emonensi, Joanne Vice-Generali ordinis Minorum, Generali ordinis Prædicatorum, Andrea, Electo Posnoniensi, Joanne Gersone Cancellario Parisiensi, Magistro Petro de Pulta Professore Vindobonensi, Magistro Theodorico de Monasterio aliisque habitos, ac inter eos haud paucos, quorum copia Celeb. Hermanno von der Hardt, cum Historiam Concilii

Concilii Constantiensis, egregium illud & immortale opus, luci exponeret publicæ, non fuisse videtur (†). Operæ pretium erit, nonnulla ex his sermonibus excerpta heic tibi legenda dare, tristem & miseram Ecclesiæ ejus ævi faciem quodammodo delineantia.

E Sermone V. habito a Fratre Matthæo de Aula Regia S. Theolog. Professore (††).

„ Olim piæ recolendæ memoriæ venerabiles patres nostri, viri ecclesiastici, „ prælati & pastores ecclesiæ, spiritu facta carnis mortificantes, miserti animabus suis mandata Domini & concilia susceperunt lætanter, & legem diligentissime impleverunt etiam usque „ ad mortem inclusive dicentes cum „ Apostolo ad Rom. VIII. Quis nos separat a caritate Christi, tribulatio, an „ angustia, an fames, an nuditas, &c. „ Hi gloriosi viri ecclesiam sanctam precioso Christi sanguine plantatam, ri-

„ gatam

(†) Idem in Histor. liter. Reformationis Parte III. quinque Sermones in hoc Concilio habitos & ex quindecim aliis excerpta exhibet.

(††) Textus : Estote misericordes. Luc. VI.

gatam & fœcundatam rexerunt non „ tyrannice, sed misericorditer, non „ superbe, sed humiliter, non avare, „ sed liberaliter; ipsi viri præclari, qui- „ bus dignus non erat mundus, suam „ professionem magnificabant non per „ vestem splendidam, non per supelle- „ ctilem preciosam; non per refectio- „ nem gulosam, nec per clientelam nu- „ merosam, sed per vitam sanctam & „ doctrinam salutarem. Sed jam, proh „ dolor! Jordanes conversus est retror- „ sum, planetæ facti sunt retrogradi, ob- „ scuratum est aurum, mutatus est color „ optimus; periit sanctus de terra. Mo- „ derni namque temporis prælati ma- „ num quidem miserunt ad aratrum „ fidei, sed contra doctrinam Christi „ Luc. IX. respiciunt retro, arcam Do- „ mini ponentes juxta Dagon. Spiritua- „ libus carnalia miscentes sunt tanquam „ promptuaria plena eructantia ex hoc „ in illud. Intramus quidem ecclesias, „ missas legimus & audimus, de Christo „ loquimur & cantamus, de Christiano „ vocabulo gloriamur, sed heu! nihil „ est aliud nisi tunica Joseph in appa- „ rentia exteriori, filium autem in rei „

„ existentia fera pessima devoravit. De „ Christo namque tractatur in conciliis, „ discepatur in judiciis, disputatur in „ scholis, in ecclesiis cantatur. Sed „ vade ad exitus viarum i. e. ad finem „ intentionis, & pensa, quis horum ge- „ neralior sit finis operum, non per hæc „ omnia; quæ exerceantur mercimonia, „ dum in his rectores & prælati non ani- „ mas sed pecunias quærunt, de quibus „ in canonica inde dicitur: in novissi- „ mis temporibus venient illusores se- „ cundum desideria sua non in pietate „ ambulantes. Annon tam Christo „ quam populo illudunt, qui precium „ illius & istius peccata devorant, & ta- „ men nec illi serviunt, nec istius salu- „ tem procurant: sicut heu! flebilis ex- „ perientia manifestat. Hi sunt, quo- „ rum iniquitates adipi prosunt, qui de „ Christi inopia esse volunt divites, & „ ignominia gloriosi, honorancia deli- „ cati, de cilicio sericati, de patrimonio „ crucifixi lascivi, & jactantiæ deserviunt, „ soliciti non de animabus, sed de avi- „ bus, non de pauperibus, sed de cani- „ bus, lucris, otiis execrandis — — „ — Nunc proh dolor! impletum est

illud „

illud Apostoli Rom. II. Nomen DEI „
per vos blasphematur inter gentes. „
Unde nisi per nequam conversatio- „
nem & ineptam vitam prælatorum & „
virorum ecclesiasticorum, qui tamen „
deberent esse sal terræ condiendi oves „
sibi commissas doctrina & bona vita, „
ne sordibus putrescant vitiorum, sed „
hoc sal jam evanuit & adeo infatua- „
tum est, ut vel condire nequeat, vel „
a putrefactione reservare non valeat. „
Si hoc sal melius populum DEI con- „
diret, melior utique ab eo odor pro- „
cederet. De hoc sale dicitur Matth. „
XVII. Ad nihil valet sal infatuatum, „
nisi ut ab hominibus conculcetur. An „
non conculcamur, qui tam multum „
repleti sumus despectione, qui facti „
sumus in proverbium & derisum omni „
populo, opprobrium abundantibus, „
& despectio superbis, ut etiam in pla- „
teis, in tabernis, in conviviis & thea- „
tris ab impiissimis hominibus, quod „
cum lacrymis dico, super dorsum no- „
strum fabricantibus dilaceremur & de- „
rideamur. Vulgares namque cum „
inter prælatos bonos & malos distin- „
guere nequeant, omnes fugiunt, nul- „
„ los

„ los amant, omnibus detrahunt, nullis
„ obtemperant, nullum libenter audiunt,
„ nulli libenter obediunt, nulli confi-
„ denter credunt, nullum suscipiunt re-
„ verenter. Nec est hodie pastor, qui
„ ovibus suis cum Apostolo dicat: tan-
„ quam angelum DEI suscepistis me: sed
„ est abunde, qui econtra dicere valeat:
„ tanquam nuncium diaboli recepistis
„ me. Quis vidit similia, quis talia au-
„ divit opprobria, qualia nunc populi
„ latrant, & de plateis murmurant;
„ pudet referre, quia tæderet cogitare.
„ Si hæc deberem cum Ezechiele pro-
„ pheta parietem fodere & ingredi, ut
„ dicitur Ezech. VIII. & ostendere abo-
„ minationes pessimas, quæ fiunt in do-
„ mo Domini a viris ecclesiasticis. In-
„ dubitanter piis auribus nauseam indu-
„ ceret & horrorem, sed sufficiat brevi-
„ ter tetigisse. Scientes ergo Reveren-
„ dissimi P. quod scriptum est apud Sa-
„ lom. Proverb. XIV. Miseros facit po-
„ pulos peccatum: in reformatione in
„ hoc sacro concilio facienda primo vos
„ ipsos, deinde inferiores reformate.
„ Ejicite prius trabem de oculis vestris
„ suadente Christo, & deinde festucam
de „

de oculis inferiorum evellite. — — „
— Tu o pastor æterne, clemens & „
bone custos JEsu Christe — miserere „
civitati sanctificationis tuæ Jerusalem „
civitati requiei tuæ, & sponsæ tuæ Ec- „
clesiæ sanctæ, jam fere XL. annis mi- „
serabiliter scissæ. Exurge & miserere „
Sion, quia tempus miserendi ejus — „
Hoc est, pastor optime, quod jam fere „
per biennium in hoc sacro Constan- „
tiensi Concilio constanter expectamus „
— Suscita nunc super gregem tuum „
pastorem unicum, & ab omnibus fi- „
delibus tuis indubitatum, sed utinam „
bonum, quia nihil prodest, sed pluri- „
mum obest pastor, si non sit pastor & „
ipse bonus: bonus, qui bonos mise- „
ricorditer diligat, malos autem & Sy- „
moniacos, quorum heu! quasi infi- „
nitus est numerus, severe puniat & „
corrigat, qui sic gregem subditum di- „
ligat, ut gregis curam non negligat, „
qui non solum se sed & gregem suum „
pascat. Sed quis hic? & laudabimus „
eum &c. „

Æ Ser-

E Sermone VIII. Bernardi baptizati Monachi S. Theol. Licent. (†††)

„ Sine justitia, inquit B. Augustinus „ L. IV. de Civit. DEI Cap. IV. quid „ sunt regna, nisi magna latrocinia? „ unde, Reverendissimi Patres & Domini, „ in ecclesia tanta latrocinia corporalia „ & spiritualia, & tot schismata insurrexe- „ runt nisi propter absentiam præclaris- „ simæ justitiæ, quæ ut hesperus solet „ lucere? Ubi nunc & in qua parte ec- „ clesiæ ipsa justitia refulget? Certe ob- „ nubilata est & in tenebris prostrata vi- „ tiis prælatorum & virorum ecclesiasti- „ corum. Ubi, peto, sunt ejus filiæ, „ justa commutatio & justa distributio: „ Revera duæ meretrices factæ sunt, li- „ tigantes de infante mortuo, i. e. pro „ bonis temporalibus. — Nonne, Pa- „ tres, meretricius actus est & injusta „ commutatio, pro mercede dare spiri- „ tualia, pro temporalibus cum Giezi „ vendere 2. Reg. V. & cum Symone emere „

(†††) Textus: Gratia vobis & pax. ex epistolis Pauli.

emere Act. VIII. Nonne etiam me- „
retricia est & injusta distributio bene- „
ficiorum ecclesiasticorum, quum in „
ea respicitur non spiritualis, sed carna- „
lis, non habilis, sed nobilis, non vir- „
tus, sed amicus, non dignus, sed pro- „
pinquus, non scientia, sed pecunia? „
Qui sic beneficia confert, non est ju- „
stus collator, sed cum Juda pessimus „
mercator, & proprie loquendo perso- „
narum acceptor. — — Paucos heu! „
videmus de prælatis in hoc sacro con- „
cilio congregatis, quod cottidie cla- „
mamus in Spiritu S. congregatum, de- „
vote orare, decimare, celebrare, elee- „
mosynas dare, & exempla bona laicis „
præbere: immo magis videmus ipsos „
otiari, comessari, vanæ gloriæ sola- „
ciari, & plus quærere, ut placeant ho- „
minibus utriusque sexus, quam Deo. „
— — De justitia autem distributiva „
prælatorum respectu Dei nescio quid „
dicam. Cunctis vobis constat, quod „
Cardinalis seu Archidiaconus beati „
Sixti seu beatus Laurentius thesaurum „
ecclesiæ dispersit & dedit pauperibus. „
Nunc vero patrimonium domini no- „
stri JEsu Christi & ecclesiæ thesaurum „
„ di-

„ distribuunt potius mulieribus, quam „ Christi pauperibus, carnalibus quam „ spiritualibus, mimis jocosis, quam „ pauperibus religiosis. — Propter hu„ jusmodi, Reverendissimi patres, in„ justas commutationes & distributiones, „ terrenasque affectiones schisma in ec„ clesia est continuatum, & vera pax „ sublata ecclesiæ. — — Quem a vi„ tio avaritiæ innoxium dicam? Num „ aliquem de summis Pontificibus, do„ minis Cardinalibus, Archiepiscopis, „ Patriarchis, Episcopis, Abbatibus, „ Præpositis vel Decanis, aut unum de „ religiosis, vel de inferioribus Curatis? „ Revera si aliquem eorum excipiam, „ scripturam facio mendacem, quæ di„ cit: a minori usque ad majorem omnes „ avaritiæ student Jerem. VI. &c.

E Sermone XII. Episcopi Sarisburiensis. (††††)

„ Pace vestra loquor, sanctissimi pa„ tres, si ista solerti studio curassemus, „ non tam horrenda & abominanda de

eccle„

(††††) Textus: Erunt signa in sole & luna. Luc. X.

eccleſiaſticis perſonis nunc prædica- „ rentur in mundo ; taceo quod nec in „ multis eſt corona potens, nec tonſura „ conveniens, quod in veſte laſcivia, in- „ ſolentia in geſtu, turpitudo in verbis „ interioris hominis loquuntur inſaniam. „ Præterea in divinis officiis quanta ſit „ negligentia, cum ſæpius ad ſacra miſ- „ ſarum ſolennia venimus potius ad ri- „ dendum, ludendum & confabulan- „ dum, quam pſallendum & cantan- „ dum. — Deficiente lumine claritatis, „ converſationis & vitæ, nec non veri- „ tatis & juſtitiæ in ſole ſpirituali eccle- „ ſiæ, i. e. papa maxime a tempore ſchiſ- „ matis mundus iſte quaſi ad deſolatio- „ nem univerſi obſcuratus abundat hæ- „ reticis & ſchiſmaticis, perfidis & tyran- „ nis, ſymoniacis & hypocritis, ambitio- „ ſis & cupidis, raptoribus, & prædoni- „ bus, uſurariis & falſariis, adulatoribus & „ mendacibus, garruloſis & verſutis, gu- „ loſis & ebrioſis, adulteris & inceſtuo- „ ſis, mollibus & immundis, ac demum „ univerſis vitiis &c. „

E Sermone XV. a M. H. V. dicto. (†††††)

„ Quidam nominantur prælati majo-
„ res, alii nominantur prælati inferio-
„ res; quidam nominantur g . ella-
„ tores, alii vocifetantur rap. ores.
„ Quid dicam de vobis nisi cum Psal-
„ mista: omnes declinaverunt similiter
„ & inutiles facti sunt, non est, qui fa-
„ ciet bonum, non est usque ad unum.
„ — O inutiles viri, o prodigi filii, o
„ perditionis alumni! convenistis in
„ unum de diversis mundi partibus cum
„ gravibus laboribus & importabilibus
„ expensis pro danda pace & unitate ec-
„ clesiæ, matri vestræ, scissæ laceratæ
„ & percussæ, in qua a planta pedis us-
„ que ad verticem capitis non est sani-
„ tas, quæ etiam clamat cum voce jam
„ rauca: misereminii mei, miseremini
„ mei saltem vos amici mei, quia ma-
„ nus domini tetigit me! — Et tanto-
„ pere simul cohabitastis, & vacatis con-
„ tentionibus & schismatibus, divisio-
„ nibus & æmulationibus.

(†††††) Textus: Fratres libenter suffertis insi-pientes, cum sitis sapientes. 2. Cor. XI.

E Ser-

E Sermone XXIV. (††††††)

Dixi primo, quod vos, domini mei „ Prælati, sacerdotes & Clerici omnes, „ qui fertis vasa Domini, eritis mundi a „ tenebris ignorantiæ. —— — Sed „ heu! sunt nonnulli psalterium ma- „ nuale vix incorrupte legentes. — — „ Proh dolor! quanti sunt modernis tem- „ poribus, qui nec literis sunt eruditi, „ nec quærunt erudiri, neque eruditi „ lectionibus divinis ad paucissimum „ tempus matutinorum vacare cum ani- „ madvertentia queunt, occupationibus „ vanis pervagantes! &c. „

4.

Evagatorium F. Felicis Fabri, Ordinis Prædicatorum.

Ipsius Autoris verbis hujusce operis contenta enarrabimus. " Evagatorium hoc duas principales continet partes „ secundum cursum duarum peregrina- „ tionum, quæ sunt peregrinatio Jeroso- „ lymitana & peregrinatio Synajana sive „

 „ Ka-

(††††††) Textus. Mundamini qui fertis vasa Domini. Jes. LII.

„ Kathariniana & faciunt iſtæ duæ partes „ duo volumina. Et continent hæ duæ „ partes has ſequentes materias in gene- „ rali : totque habent tractatus, quot „ menſes, & tot capita, quot dies : & „ ita pars prima habet VI. tractatus & „ ſecunda totidem. Proceſſus incipit „ fol. 25. a.

Diviſio totius Evagatorii.

„ Prima pars continet procemium, „ quod complectitur peregrinationis „ Terræ Sanctæ & ipſius terræ repromiſ- „ ſionis laudem & præconium, & deinde „ primam evagationem F. F. F. & rever- „ ſionem. Depoſt vero continet ſecun- „ dam evagationem usque ad Jeroſoly- „ mam cum deſcriptione omnium ſan- „ ctorum locorum Terræ Sanctæ, in „ quibus F. F. F. Evagatorii compoſitor „ fuit, ut proceſſus demonſtrat. „

„ Secunda pars continet evagationem „ a Jeruſalem per Palæſtinam & per de- „ ſertum Arabiæ ad montem Sinai in „ terra Madian & receſſum a monte Oreb „ ad oram maris rubri in Ægyptum, & „ reverſionem per mare cum deſcriptio- „ nibus Inſularum Græciæ & terrarum usque „

usque Venetias, & deſcriptionem Ve- „
netiarum & Alpium Alemanniæ & „
Sueviæ, & ultimo ponitur deſcriptio „
Civitatis Ulmenſis & conventus noſtri „
cum diverſis annexis. „

Primæ partis primus tractatus continet „
commendationem Terræ Sanctæ & „
primam F. F. F. profectionem trans „
mare & inchoationem ſecundæ pro- „
fectionis usque ad menſem Majum. „
Secundus tractatus continet peregri- „
nationem menſis Maji cum deſcriptio- „
ne Maris & Politiæ Galearum. Ter- „
tius tractatus continet navigationem „
peregrinorum per menſem Junium. „
Quartus tractatus continet perventio- „
nem peregrinorum in terram ſanctam „
& viſitationem locorum ſanctorum in „
Jeruſalem & Judæa per menſen Julium „
& remeationem militum in ſuam re- „
gionem. Quintus tractatus continet „
acta peregrinorum remanentium in Je- „
ruſalem per menſem Auguſtum. Et „
ſextus tractatus continet latam deſcri- „
ptionem civitatis ſanctæ Jeruſalem, „
ejusque ſtatum ab initio usque ad hæc „
noſtra tempora. „

„ Secundæ vero partis primus tracta-
„ tus, qui est sextus totius evagatorii,
„ continet recessum peregrinorum a Je-
„ rusalem in Palæstinam & descriptio-
„ nem Arabiæ & Arabum, & multum
„ laborem peregrinorum per desertum
„ & descriptionem montis Oreb & Synai,
„ & sepulchri Sanctæ Katharinæ, & acta
„ peregrinorum per mensem Septembr.
„ Octavus tractatus continet perven-
„ tionem peregrinorum in Ægyptum &
„ descriptionem horti Balsami, Chayri,
„ Nili, Alexandriæ & Ægypti, & casus
„ peregrinorum per mensem Octobrem.
„ Nonus tractatus continet recessum
„ peregrinorum de Ægypto per mare,
„ & descriptionem Insularum aliquarum
„ & maritimarum regionum, & casus
„ peregrinorum per mensem Novem-
„ brem. Decimus tractatus continet
„ navigationem peregrinorum per mare
„ & descriptionem multarum regionum
„ & acta per mensem Decembrem. Un-
„ decimus tractatus continet adventum
„ peregrinorum Venetias & descriptio-
„ nem latam Venetiarum, & peregri-
„ norum repatriationem in mense Ja-
„ nuario. Duodecimus & ultimus tra-

ctatus „

ctatus continet descriptionem Teuto- „ niæ & Sweviæ, & civitatis Ulmensis, „ & multa de Regibus & Principibus „ Alemanniæ & populis eorum, & de „ politia civitatis Ulmensis & de civibus „ ejus, & de monasteriis in Ulma & ex- „ tra per gyrum ejus. Sed quia hic tra- „ ctatus longus est, & proprium facit „ librum, Evagatorio non adjunxi. „ Ex hoc ultimo tractatu Melchiorem Haiminsfeldium Goldastum Fabri nostri historiam Suevorum hausisse credo, quam Scriptoribus rerum Suevicarum Francofurti A. 1605. in 4. editis inseruit p. 46. sqq. De reliquo hoc evagatorium differt ab itinerario ejusdem Fabri, quod inter Germanica Terræ sanctæ hodœporica typis exscriptum est. Adest vero etiam codex Manuscriptus itinerarii Germanici, qui fere cum impresso convenit.

5.

Poëma Teutonicum complectens de Christo vaticinia Mosis, Prophetarum, Sibyllarum Virgiliique, scriptum A. 1465. cum figuris.

6.

Historia Alexandri Magni. Germanice, A. 1472.

7.

Historia Trojæ ejusque excidii. Germanice, cum figuris. A. 1417.

Taceo plures hujuscemodi libros Germanicos, argumento haud notabiles, Philo-Teutonicis tamen usui futuros.

8.

Variæ historiæ vetustis rhythmis Teutonicis expositæ.

9.

Recht-Buch, als es die Päbst, König und Kayser gemacht und bestättiget haben. 1419.

10.

Eine Reis-Beschreibung Hans von Mandavilla nach Cathaya &c. Jerusalem &c. 1322.

11.

Recht-Buch Belials contra Christum, cum fig.

12.

Demonstratio contra Judæos, Jesum esse verum Messiam. Germanice.

Incipit: *Anno Domini MCCCCLXVII. ob complacentiam venerabilis in Christo Patris ac Domini, Dn. Ernfridi natione de*

Felber

Felber 28. Abbatis Monasterii S. Nicolai in Camberg Ordinis S. Benedicti Herbipolensis Dioces. ex autenticis scripturis collectus est presens libellus primo de creatione Angelorum &c.

13.

Lombardica historia seu Legenden der Heiligen. Sommertheil, 1438.

Adest præterea aliud exemplum sine anni indicio.

14.

Leben der Heiligen. Wintertheil.

15.

Allerhand alte geistliche Gedicht der Meister-Sänger, annotatis semper melodiis, v. g. *Kanzlers Güldner Don. Frauenlobs neuer, Grund, vergessen &c. Don.*

16.

Jus provinciale Alemannicum.

17.

Der dritte Theil Bayrischer Adelicher Geschlecht durch weiland den edlen Ehrenvesten und Hochgelarten Herrn Wiguleum Hundt zu Sultzenmoss Leuting und Steinach der Rechten Doctorn Fürstl. Bayrischen Rath

und Pfleger zu Dachau zusammen getragen. MDXCIX.

Tomus hic adhuc ineditus est. Priores Ingolstadii An. 1598. impressi, sed raro alias obvii (*i*), itidem adsunt.

18.

Tomi aliquot Miscellaneorum Genealogicorum ex Saurtapsio collecti.

19.

Paradisus Pinifer oder Teutsches Paradis in dem vortrefflichen Fichtelberg, dessen vier ausfliessenden Haupt-Strömen, Mayn, Eger, Raab und Saal, angelegenen Stätten, Märckten, Clöstern, Schlössern, Dörfern und dabey befindlichen Bergwerken, Nutzbarkeiten und Seltenheiten, in einem Erdmässigen Abriss und ausführlichen Beschreibung einfältig vorgestellt von M. Joh. Willen von Neüdorf in Vogtland, der Zeit Pfarrern in Creüssen.

20.

Bündnüsse, Vergleiche und Verträg der Eydgenosschafft so wol unter sich als mit einigen benachbarten Puissancen.

1. *Ge-*

(*i*) Vid. Catalogum historicorum Fresnojo-Menkenianum p. 167.

1. *Geschwobrner Eyds-Brieff, der Statt Zürich, Luzern, gegen Ury, Schweitz, und Unterwaldten, dass Sie ein Ewige Pündtnuss, mit Einander halten wöllindt, An.* 1351. *Geben Zürich an St. Waldburgen Tag.*

2. *Ewige Pündtnuss, deren von Zürich mit denen Ländern Ury, Schweitz, Underwalden und Glarus. A.* 1352. *Am Montag nach aussgebender Pfingst-Wochen.*

3. *Ewige Pündtnuss, deren von Zürich mit Luzern, Zug, Ury, Schweitz, und Underwalden. A.* 1352. *Geben zu Luzern, an der nechsten Mittwochen, nach St. Johannes Tag zu Sungichten.*

4. *Vergleichung, deren von Zürich, Luzern, Zug, Ury, Schweitz, und Underwalden, Etlicher Gesäzen, und Ordnungen halben. Genandt der Pfaffen Brieff. A.* 1370. *Geben am nechsten Montag nach St. Leodegarien Tag.*

5. *Zürich, Luzern, Bern, Solothurn, Zug, Ury, Schweitz, Underwalden, und Glarus. Vertragen sich nach der Sempacher Schlacht, Etlicher Artickhlen halben. A.* 1393. *am zehenden Tag Hewmonath.*

6. *Die Acht Alten Orth, der Eydtgnossschafft, Zürich, Bern, Luzern, Zug, Ury, Schweitz,*

Schweitz, Underwalden, und Glarus, vergleichen Sich Ettlicher Puncten wegen. A. 1481. *Geben, den nechsten Sambstag nach St. Thomas Tag.*

7. *Zürich und Bern, Schwöhren, dass Sie stets zusamen sezen, uud Ewige Freundt seyn wollen. Geben an St. Vincenzen Tag, A.* 1423.

8. *Ewige Pündnuss, deren von Zürich, Bern, Luzern, Schweitz, Zug und Glarus, Mit der Statt St. Gallen. A.* 1454. *Geben uff Donerstag nach dem heyligen Pfingsttag.*

9. *Befründung - und Verpündung, der Statt Fryburg, und Solothurn, Mit den VIII. Orthen, der Eydtgnossschafft. An.* 1481. *Am Sambstag nach St. Thomastag.*

10. *Die Statt Chur und Gottshauss-Leuth, tretten mit denen Sieben Orthen der Eydtgnossschafft in den Bund. A.* 1498. *Uff Donerstag was St. Luciæ Tag, in der Statt Zürich.*

11. *Basel kommt in den Eydtgnossischen Bund, An.* 1501. *auff den* 9. *Tag dess Brach-Monaths, In der Statt Luzern.*

12. *Schaffhausen tritt in den Eydtgnossischen Bund, A.* 1501. *auff St. Laurenzi Tag, In der Statt Luzern.*

13. *Ap-*

13. *Appenzell, verbünd sich mit denen Eydgnossen, A.* 1513. *uff Samstag nach St. Lucia Tag, In der Statt Zürich.*

14. *Mühlhaussen befreundet sich mit denen Eydtgnossen, A.* 1515. *am* 19. *Jan. In Zürich.*

15. *Rothweil verbündet sich mit denen Eydtgnossen, An.* 1519. *den* 6. *April, zu Zürich.*

16. *Hertzog Carl zu Savoyen, verbündet sich mit denen Eydtgnossen, auff* 25. *Jahr, A.* 1512. *Freytags nach St. Bartholomej. zu Luzern.*

17. *Burg- und Land Recht, Abbt Caspar, und seiner Nachkommenten von St. Gallen, mit Zürich, Lucern, Schweitz, und Glarus, A.* 1451. *in die assumptionis.*

18. *Eydt der St. Gallischen Gottshauss-Leuthen.*

19. *Die* 4. *Aebbtische Casten-Vögt, verwilligen Einen Land-Hauptmann, der von jedem Orth zwey Jahr lang, in dess Abbts Land und Costen regieren helffen. A.* 1479. *am St. Martins-Tag. Geben in dess obgenannten Gottshauss Statt Wyl im Turgau.*

20. *Was die St. Gallische Gottshauss-Leuth von Roschach, vom Abbt Ulrich, für*

Er-

Erlassung erlanget, *An.* 1459. *am Montag nach St. Agatha*, *zu St. Gallen.*

21. *Freyheits-Brieff*, *der St. Gallischen Gottshauss-Leuthen*, *uffgericht*, *vom Abbt Caspar*, *A.* 1451. *am St. Vyden Tag*, *zu St. Gallen.*

22. *Vergleichungs-Brieff*, *Bapst Sixti*, *dass der Abbt zu St. Gallen ein Closter seines Ordens zu Roschach*, *erbauen mögen*, *A.* 1483. *den* 23. *May*, *zu Rom.*

23. *Friedens-Brieff*, *zwischen dem Abbt- und der Statt St. Gallen uffgericht*, *von Graff Jörgen zu Werthenberg*, *A.* 1490. *am Montag nach St. Valentinstag*, *zu St. Veiten im Lager.*

24. *Vertrag*, *zwischen denen vier Alten Orthen*, *und dem Orth Appenzell*; *A.* 1490. *am Donerstag nach St. Appolonien-Tag.*

25. *Ein Vertrag*, *zwischen dem Herrn Abbt*, *von St. Gallen Eines- und Andern theils seinen Gottshauss-Leuthen*, *A.* 1490. *den* 7. *May.*

26. *Käyser Friederich*, *verwilliget das Closter Roschach zu bauen*, *und desselben Schützer- und Schirmherr zu seyn*, *An.* 1485. *den* 17. *Aug. zu Costanz.*

27. *Pro-*

27. *Protestation, der St. Galleren, Appenzelleren, und St. Gallischen Gottshauss-Leuthen, wider den Bau dess Closter-Roschachs, An.* 1489. *am Zinstag vor St. Simonis- und Jude-Tag, zu St. Galli.*

28. *Hernach folget der Fried zu Bassel, auff den Schwäbischen Krieg gemacht; An.* 1499. *auff Sonntag was St. Maurizi Tag, zu Bassel.*

29. *Die Neue Erb-Einnung, so das Hauss Oesterreich mit Einer Löbl. Eydtgnossschafft beschlossen hat; A.* 1511. *den* 7. *Febr. zu Baaden im Türgau.*

30. *Erneürung der ErbEinung, so etliche Orth der Eydtgnossschafft mit dem Hauss Oesterreich haben; A.* 1500. *Uff Sambstag an Allerheyligen Abend, zu Zürich.*

31. *Bericht zwischen Herrn Abbt von St. Gallen, Eines- und Andern theils: den Herrn der Eydtgnossen von den zehen Orthen, antreffend, das Land-Gericht zu Frauenfeld, A.* 1509. *Geben am Liechtmesstag.*

32. *Ein Vertrag, antreffend die Hohe und Niederen Gerichte in Turgaw; A.* 15g, *am Freytag vor St. Maria Magdale zu Zürich.*

33. *Her-*

33. *Hernach steht der Fried zwischen einer Cron von Franckreich : auch gemeinen Eydgnossen und Ihren Anhängern gemacht ; A.* 1516. *auff Sambstag was St. Andreæ Abend , zu Freyburg.*

34. *Der Land-Fried zwischen meinen Herren von Zürich Einss - und Ihren Eydtgnossen von den Fünff Orthen, Nehmlich Luzern, Ury, Schweitz, Underwalden und Zug ; auffgericht in der Statt Zug, An.* 1531. *am* 20. *Tag dess Monath Novembris.*

35. *Ein Brieff weisent, welcher mass meine Herren von Zürich, Sich uff den Cappeler Krieg mit Ihren Bider-Leuthen ab der Landschafft , als uff derselben hohes Ansuchen verglichen, und vereinbart haben ; A.* 1532. *uff St. Blasi Tag, zu Zürich.*

36. *König von Franckreichs VerEinung mit den Eydtgnossen uffgericht, A.* 1549. *Freytag den* 6. *Tag Brach-Monaths, zu Solothurn.*

37. *Arthickel so Zürich denen am Züricher See, im Freyen Ampt, in der Graffschafft Kyburg, denen von Grünnigen, Griffensee, und andere Herrschafften, aus Vermittlung der Sieben Orth, Bern, Luzern, Ury, Schweitz, Underwalden, Zug, und Glarus,*

gratt

gratt nach dess Waldmanns Aufflauff eingangen und nachgelassen; A. 1489. den 9. May, zu Zürich.

38. *Capitel, zwischen dem Herzogthum Mayland, und Gemeinen Eydtgenossen auffgericht; A. 155[illegible] den 6. May, zu Baaden im Ergau.*

21.

Theologia Spiritus S. sive universale divinissimum secretissimum verissimumque studium & ad omne genus scientiarum Clavis Davidis. Wie der Mensch aus Gott ohne Menschen und Bücher in ihme selbsten gründlich alles durch † erlernen könne in kurtzer Zeit was im Himmel und auf Erden ist, und dass ein jeder in seiner Mutter-Sprach insonderheit: vornemlich die ganze Heil. Schrifft was auch der Verstand der allergemeinsten Sprüche sey, und wie sein Name im Himmel angeschrieben stehe erkennen möge. Dedicirt den geheimen und verborgnen im Land von Helia Christi Romano. F. †. S. A. 1622. in fol. patentissimo.

22.

In Librum vitæ sanctissimum commentarius. Wie Apocalypsis das buch des lebens (darinn die ganze Heil. Schrift mit 7. Sigillen

beschlossen) durchs Lamm eröffnet, möge gelesen werden, dass der Leser ob sein Nahme im Buch des Lebens stehe, gründlich erkennen möge und alle Schrifft verstehen könne. An. 1623. *durch Eliam Christi Romanum.* F. C. S. ejusdem formæ.

Adest & alius prolixior hujus farinæ commentarius in Apocalysin.

23.

Urim & Thumim. Pansophicum Christiano-Cabalisticum. Cabalistisch-Schrifftlich verfasstes Licht, durch welches der Mensch in zweifelhafften streitigen Puncten Gott fragen und hinwiderum von ihm von allen Geheimnussen beyde der Gnaden und der Schrifft und der Natur antwort haben kan, mit schönen Exemplis illustrirt von Elia Christi Romano F. † *S.* 1622.

De tribus his libris Plinii verba mea facere posse videor: *Inscriptiones, propter quas vadimonium deseri possit. At cum intraveris, Dii deæque, quam nihil in medio invenies!*

24.

Historia Romana ab U. C. usque ad tempus Constantini M. item descriptio templorum urbis Romæ & indulgentiarum, in Latinum sermonem translata per M. Casp. Rottner, Regiofontanum, cujus & præfatio præmissa est.

Liber hic ad editionem paratus, in publicum tamen Latina veste prodiisse haud videtur. Germanico autem idiomate luci expositus est Romæ: in fine enim ejus hæc verba leguntur: *impressus libellus Romæ in campo Floræ, anno aureo sive Jubileo M. D.* Diversus est ab eo, quem Clar. Gottfr. Tenzelius A. 1722. Arnstadiæ recudi curavit, Romæ olim A. 1499. typis exscriptum (*ii*); licet ejusdem sit argumenti, eundemque in scopum, in gratiam nempe Jubilæi, ab Alexandro VI. celebrati, compositus. Ex Jo. Wolfii Lectionibus memorabilibus, illo optimæ frugis libro, perspicio, eodem tempore Stephanum Blanck Passavia-

(*ii*) De cujus fato vide sis quæ in Novis liter. German. A. 1722. p. 247. sq. a Viro Celeb. ac de re literaria optime merito Gotl. Krausio, Professore Lipsiensi, narrantur.

ſavianum librum vulgaſſe, hoc titulo inſignitum: Urbis Romæ Mirabilia, cujus teſtimonium de Joannæ Papiſſæ puerperio reipſa cum noſtro convenit, etſi verbis paululum differat. Idem l. c. alius libelli de Romanis indulgentiis, A. 1525. Romæ impreſſi, rem illam ſimili ratione narrantis, mentionem facit. Noſtri Codicis argumentum ipſius interpretis verbis ediſſerere placet. I. *In hoc libello Urbis Romæ a primo Rege conditæ exædificatio, & qua ratione tam primus, quam reliqui ſubſequentes regno præfuerint, deſcribitur.* II. *Deinde, quomodo, mutata Reip. forma, & Regibus expulſis, ſumma rerum & regni adminiſtratio ad Conſules & Militum Tribunos devoluta ſit.* III. *De primo Cæſare, Julio, & reliquis ipſi ſuccedentibus, usque ad tempora Conſtantini.* IIII. *Quomodo Conſtantinus baptiſatus, & a lepra mundatus ſit.* V. *De donatione Conſtantini, qua urbem Romam, omnemque conterminam regionem Papæ Sylveſtro omnibusque ipſius ſucceſſoribus legavit, & Papam generale caput omnium Chriſtianorum conſtituit.* VI. *De templis & ſacellis in Urbe Roma, & quæ in ſingulis ſanctæ Reliquiæ & gratioſæ Indulgentiæ re-*

pe-

periantur. VII. *Tandem in Catalogo ſingulorum templorum Stationes* (*k*) *recenſentur.* Haud injucundum, ſpero erit, quædam e Rottneri præfatione excerpta heic legere. Ita autem is: „Extat in Illuſtriſſimi & Chriſtianiſſimi „ Wirtembergenſium Ducis Bibliotheca „ hiſtorica, quam Reverendus, Doctiſ- „ ſimus & Ampliſſimus Dominus Jaco- „ bus Schroppius, Cœnobiarcha Maul- „ brunnenſis, accurata diligentia & gra- „

 „ viſ-

(*k*) Quid per Stationes indigitetur, Interpres poſt præfationem, cui Vocabulorum quorundam Romanæ Eccleſiæ propriorum, paſſim in hoc libello occurrentium, expoſitionem ſubjecit, his verbis indicat: *Stationum crebra fit mentio. Eſt autem Statio in hoc vel illo templo quaſi ſtata vel certa feria, qua ibidem populus ad conciones, orationes & communiones convenit, eaque ſtando peragit. De ea Onuphrius Panvinius in interpretatione vocum Eccleſiaſticarum ſic ait: Veteres R. Pontifices, ſtatis quibusdam diebus, præcipue in Quadrageſima & feſtis, ad diverſas Romæ Eccleſias accedebant: ubi ſermone vel concione ad populum aſtantem habita, & oratione ad Deum facta, divina myſteria poſtea cum clero & populo celebrantes participabant. Qui actus ſtatio appellatus eſt a, ſignificatione, quam Cicero Lib. VI. ad atticum uſurpavit, pro temporaria videlicet habitatione, vel etiam a ſtando, quod in his accedentes populi ſtarent. Has ſtationes, hoc eſt, ad diverſas Eccleſias ſolennes proceſſiones & conventus commemorant Auctor actorum Damaſi Papæ, & Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita Hilarii Papæ.*

„ vissimo judicio ibidem collegit, libel-
„ lus quispiam absque titulo, ita tamen,
„ ut index, quem prima versa pagella
„ continet, tituli vicem suppleat. Im-
„ pressus is Romæ est in Campo Floræ
„ A. C. MD. eo videlicet ipso, quo Papa
„ Alexander, id nominis sextus, Jubi-
„ læum seu aureum annum sextum ma-
„ xima omnium undiquaque ex toto
„ orbe confluentium populorum, infi-
„ nitosque auri argentique thesauros
„ (unde aureus merito annus dicitur)
„ comportantium frequentia, per inte-
„ grum annum celebravit. Ne vero
„ *Stultus Populus Quærens Romam*, limi-
„ naque sanctorum defunctorum reli-
„ giosissima devotione visitans, ignora-
„ ret, quantum thesaurum nobilissima-
„ rum indulgentiarum, a pœnis item
„ purgatorii immunitatem certissimam,
„ & omnium peccatorum plenissimam
„ perfectissimamque condonationem
„ hoc suo molestissimo itinere, vilissimo
„ pretio exposito, & sic pro mundanis &
„ caducis æternos & nunquam deficien-
„ tes thesauros promereretur Lucrare-
„ turque: Sanctissimus dictus Papa sin-
„ gulis Germanis singula exemplaria Ger-
ma-

manica (procul dubio & reliquis natio- „
bus cuique in ſua lingua) benigniſſime „
conçeſſit, ut domum etiam reverſi li- „
bello hoc reliquum caducæ vitæ tem- „
pus terere, & animos omnibus curis „
externisque rebus aliis vacuos levare, „
iisque inter ſacra Romana, hoc libello „
deſcripta, eorumque indulgentias & „
gratias pleniſſimas, non ſecus atque in „
tertium cum S. Paulo cœlum abrepti, „
ſempiternæ vitæ & cœli papiſtici pri- „
mitiis perfrui queant. Illum libellum „
ex juſſu dicti Reverendiſſ. Domini Ab- „
batis Maulbrunnenſis — ex lingua „
Germanica in Latinam utcunque trans- „
tuli, meliori rei majorem fortaſſis ad- „
hibiturus diligentiam. Non enim gra- „
vitatem fili hiſtorici æmulari, ſed in id „
ſaltem operam dare volui, ut nullibi „
a materia præſcripta recederem, nihil „
eidem adderem, nihil omitterem, „
imo etiam quantum quidem puritas „
ſermonis Latini conceſſit, verba verbis „
& quidem curiæ Romanæ conſuetis „
exprimerem. — — — In illo libello „
pauca admodum ſunt vera, plurima „
fabuloſa, pleraque hæretica & blas- „

 „ phe-

„ phema, ut æquus ipſe lector facile iis
„ perſpectis judicabit. Vera ſunt illa
„ pauca, quæ ex hiſtoricis & chronogra-
„ phis de ſerie Regum & Imperatorum
„ Romanorum usque ad Conſtantinum
„ M. mutila tamen & crebris in locis, iis
„ qui fidem, omnium doctorum teſti-
„ monio, publicam ſemper meriti ſunt,
„ non reſpondentia, excerpſit. Non
„ enim hoc agebat author libelli, ut hi-
„ ſtoriam debita diligentia, obſervata an-
„ norum & temporum — — exquiſita
„ accurataque computatione complecte-
„ retur: ſed ut ſtolidis & cœcis pere-
„ grinatoribus, qui ex toto orbe Romam
„ ad Jubilæum confluxerant, regnum &
„ potentiam Papæ plusquam imperato-
„ riam, & fabulam de donatione Con-
„ ſtantini — & alia regnum pontifici-
„ um confirmantia, ficto hoc hiſtoriæ
„ fuco, divina legitimaque omnia eſſe
„ perſuaderet. Hic Rhodus ipſi, hic
„ ſaltus. Præter hæc, fabuloſa in hoc
„ libello ſunt plurima, ut anus eorum
„ decrepitas merito pudere debeat. In-
„ ter ea etiam ſunt apertiſſime ficta &
„ vaniloqua, quibus probatiſſimæ hiſto-
„ riæ & toti mundo notiſſimæ tantum
non

non viva voce reclamitant: ut sunt „ ex multis hæc pauca. Fabula de facie „ Christi peplo Veronicæ impressa, qua „ visa Cæsar Tiberius a lepra mundatus „ sit. Ejusdem valoris sunt vespæ nari- „ um Vespasiani: Arca Vet. Test. in „ Basilica Joannis Lateran. & Virga Mo- „ sis, & tamen de eadem pars ad S. Ma- „ riam de Gratia. Mensa in qua Chri- „ stus cœnam suam celebravit & sca- „ mnum cui insedit, cum Evangelium „ humi illos recubuisse dicat: Splendi- „ dum item & blasphemum mendacium „ de coelesti Missæ apparatu per Angelos „ facto, Missam D. Petro redivivo faci- „ ente, prius tamen pro more peccata „ sua & diaconorum Laurentii & Vincen- „ tii, cum ipso coelitus delapsorum, hu- „ militer confitente (mira profecto & „ scita fabula) ad quem actum Christus „ salvator, in Missa offerendus, cum ma- „ tre sua. omnibusque sanctis & electis „ coelitibus descendit. Miror quomodo „ sacellum illud tam parvum tantam „ tamque infinitam multitudinem ca- „ pere potuerit: at coelites erant, qui „ loco nec capiuntur nec excluduntur. „ — — — Ad S. Petrum in Vaticano „

„ — inter S. Reliquias, quæ gratiam ho-
„ minibus & salutem conferre ab illis
„ creduntur, funis etiam, quo Judas
„ proditor dulcissimi Salvatoris despe-
„ rans vitam cum anima perdidit, nu-
„ meratur, ut & patibulum Latronis, qui
„ Christo Domino a dextris pependit,
&c. „ Hæc ex præfatione. E libello autem ipso unicam duntaxat narrationem de Joanna Papissa adscribam: „ Dehinc
„ transitus est ad unam parvam capellam
„ intra Colosseum & Clementis fanum,
„ ubi rudera collapsi templi cernuntur,
„ in quo mulier illa, quæ ad sedem &
„ dignitatem papalem ascenderat, ex
„ odinis & partus difficultatibus periit.
„ Uterum illa gesserat & imprægnata erat,
„ responsumque ab Angelo acceperat, ut
„ aut turpitudine aliqua externa com-
„ missa infamiam & ignominiam sibi
„ contraheret, aut perpetuis gehennæ
„ cruciatibus manciparam se esse sciret.
„ Ne ergo in æternum sibi pereundum,
„ infandam hanc turpitudinis maculam
„ sibi elegit. Cum itaque in processio-
„ ne publica, comitantibus omnibus
„ Cardinalibus, Clericis, populoque
„ R. pontificalibus superbissime exornata

pro-

progrederetur, infantem in via publica „ ad dictum templum parvulum enixa „ est optima & sanctissima mater papissa. „ In cujus rei monumentum & nun- „ quam intermorituram memoriam ibi- „ dem in templo lapis erectus, & eidem „ effigies Papæ puerperæ cum infantulo „ insculpta est. „ In margine præter alia interpres hos adjecit versus:

Mire mirando memoro mirabile mirum:
Papa pater potuit puerum peperisse pu-
sillum.
Atqui is cuncta potest.

25.

Menologium Russicum cum versione M. F. Beckii.

26. seqq.

Præterea hic adservantur Varia *Chronica* hujus formæ, manu exarata, v. g. *Norinbergense usque ad annum* 1557. *Ulmense ad An.* 1646. *Wirtembergense*, *Augustanum*, *Thuringicum a diluvio ad Annum usque Christi* 1406. &c. Ne quid jam dicam de brevioribus quibusdam tractatibus historicis, vernaculo sermone scriptis, quales sunt: *Relatio de mutata in Noribergensi Rep. religione, & memorabilibus, quæ ibidem in reforma-*

mationis negotio contigerunt. Belli rusticani Descriptio A. 1525. *Belli Smalcaldici historia, An.* 1546. *Sebast. Schertlini res fortiter gestæ*, &c.

V.

Codices Membranacei Manuscripti in quarti ordinis forma.

I.

Martyrologium Ecclesiæ Germanicæ vetustissimum.

Manuscriptum hoc in membrana, a tempore hinc inde exesa, illud ipsum est, ex quo publica ejus editio seculo superiori a Matth. Frid. Beckio, Viro Clar. Augustæ Vindelicorum in 4to. Anno M DC LXXXVII. suscepta, hoc titulo: *Martyrologium Ecclesiæ Germanicæ pervetustum, quod per septingentos annos delituit, in publicum nunc prodit e Bibliotheca M. F. Beckii, ab eodem e membranis descriptum & libro commentario illustratum.* Impressum quoque hujus Martyrologii exemplum Bibliothecam Kraftianam ornat, ipsius editoris Beckii manu variis in locis emendatum, ac passim novis annota-

tationibus elucidatum. Membranam vero istam Argentorato, ubi antea delituerat, cum multis aliis Augustam advectam, inque eum finem comparatam, ut aurum ac argentum ea involvendum malleo in tenuissimas laminas contunderetur, ab incude se eripuisse, & ab instante jam jam interitu vindicavisse laudatus Beckius memorat p. 33. Martyrologii (*l*) autor ipsi videtur fuisse seu presbyter seu monachus, seculo VII. vivens, innominatus tamen p. 23. Librarium vero hujus membranæ decimo seculo vixisse existimat p. 29. Venerandæ vetustatis monumentum, judice eodem p. 27. hoc est, ante mille annos & ante ipsius Bedæ Martyrologium conditum, Gregoriano fere coævum, cum quo certe de simplicitate certat non solum, sed & palmam præripit. Inter antiquitatis autem argumenta hæc potissimum urget Vir doctissimus, quod principium non a Calendis Januarii fiat, sed

(*l*) Scilicet autographum, ex quo, non tamen immediate, hoc desumtum est apographum: Seculo VII. exaratum fuisse, ex altero vero exemplo, quod per bina vel trina etiam secula a diversis est interpolatum atque auctum, hunc descriptum esse codicem Beckius p. 29. censet.

ſed vetuſtiori ritu a XXV. die Decembris p. 23. quod martyres, confeſſores aliique ſancti, antiqui ſint omnes, neque occurrat, qui non jam ante octingentos (in margine manu ſua appoſuit ſeptingentos) ad minimum annos vixerit p. 24. quod ſimpliciſſimum ſit, utpote ſolos dies natales atque nomina martyrum exhibens p. 25. quod denique complures Kalendarum dies cavi ſint atque vacantes. Necrologium, utut a poſteriori manu adjectum, antiquitatem quoque præ ſe ferre ipſi videtur, cum quod in eo tenuia admodum munuſcula Eccleſiæ legata eſſe inveniantur, priſcis temporibus perquam convenientia, tum quod id verbis illius ævi atque mediæ Latinitatis ſit deſcriptum. pag. 26.

2.

M. Tullii Ciceronis Libri Rhetor. de Inventione. Ejusdem ad Herennium Libri IV.

Codex CCCC. plus minus annorum, emptus olim Viennæ anno incarnat. dom. 1480. medio ducato.

3.

Lectiones Epiſtolicæ.

Hic

Hic Codex, cujus supra jam inter Biblicos mentio fieri debuisset, nitidissimus est, omnibusque ornamentis, quibus oculi jucunde adfici possunt, maxime conspicuus. Cuncta hic ad pompam splendoremque sunt composita, ac primi possessoris ex Illustri Krafftiadum Gente magnificentiam testantur. Foliis quadraginta octo absolvitur, totidemque literas capitales ostentat; elegantissime pictas, auro, argento & variis nitidissimis coloribus fulgentes. Margines artificiosis ductibus, auro coruscantibus, quos viticulas (*vignettes*) vocant, ad miraculum usque superbiunt. Ligatura, An. 1506. confecta, holoserico obducta, ac deaurato argento, quod pulcherrimas repræsentat imagines, ita gravis est, ut fere ad quotidianum usum mihi videatur hoc volumen molestum fuisse.

4.

Liber liturgicus precationum & hymnorum per annum.

Incipit consecratio salis & aque, quam dominicis diebus fieri instituit sanctus Alexander papa quintus post beatum Petrum Romane Pontificem ecclesie.

5.

5.

Breviarium antiquum, figuris deauratis ornatum.

6.

Speculum Suevicum, der Schwaben-Spiegel.

Accedunt huic *Sazungen deß Landfriedens, der Burggrafen Recht zu Augspurg, andere Gesäz Augspurg betreffend.*

7.

Variæ Exorcismi formulæ Latinæ & Germanicæ.

8.

Summa Remundi.

9.

Glossarium vetus Latino-Germanicum.

10.

Hymnorum cum notis musicis fragmentum antiquissimum.

11.

Das Stattrecht der Statt Brunsschwig. dialecto Saxonica.

12.

Statuta Ordinis Præmonstratensis.

13.

Perusch seu Commentarius Rabbinicus Judæi Galli in Libros Samuelis, Regum, Jeremiam, Hesekielem, Esajam & duodecim prophetas minores, Gallice difficiliores voces exponentis, & R. Menachem ac R. Salomone, quos citat, junioris.

Codex incendio ereptus. Scriptor esse videtur seculi XII. vel certe sequentis, quo regno Galliæ ejecti sunt Judæi.

14.

Petri de Vineis epistolæ.

In calce hunc versum legis:

Hic liber est scriptus, qui scripsit sit benedictus. Amen.

Ad hunc codicem nonnemo sequentia annotavit: *Hoc MSCt. concordat cum illo exemplari, quod An.* 1609. *Amberga prodiit in* 8. *plerisque in locis & rubricis. Verum in Manuscripto Thomano* 61. *Epistola plures reperiuntur: sed ultima quinque epistola libri primi edit. Amberg. in utroque MS. desunt.*

15.

Fasti Romani.

Elegans hic codex Seculi X. vel XI. ſex tantum priores menſes complectitur.

16.

Excerpta ex hiſtoria miſcella Pauli Diaconi.

Codex nitidus e Seculo itidem X. vel XI.

17.

Matthæi Herbeni Trajectenſis Libri de natura cantus ac miraculis vocis, ad Joannem Camerarium Dalburgium, Antiſtitem Wormatienſem.

Liber hic Herbeni, ſcholæ Servatianæ in urbe patria Trajectenſi ad Moſam olim Rectoris, cujus Aubertus Miræus meminit (*m*) nitide ſcriptus, hactenus, quod ſciam, ineditus eſt. Dedicationem præmiſit author ad Joannem Camerarium Dalburgium (*mm*), Electoris Palatini quondam Cancellarium, & Vangionum Epiſcopum, Virum litteratiſſimum,

(*m*) De Scriptoribus Eccleſiaſtis Seculi XVI. f. 115. edit. Hamburg. A. 1718.

(*mm*) Conf. quæ in Laudem Reverendiſſimi hujus Antiſtitis ab Eruditiſſimo Viro D. Nic. Hier. Gundlingio in Obſervat. Select. Tom. I. p. 19. 21. ſqq. dicta ſunt.

mum, summumque eruditorum sui temporis Mæcenatem, qui Rudolphum Agricolam & Joannem Capnionem, primos in Germania bonarum literarum restauratores, amore & benevolentia fovit, mansuetioresque Musas, antea exules, in communem nostram patriam revocare omni nisu laboravit. Integram igitur hic adscribere visum est Herbeni dedicationem, meritissimas ejus laudes decantantem, ut & nos hac ratione jucundissimæ tanti Viri, cui plurimum debet Germania, felicibus ejus auspiciis prisca barbarie liberata, memoriæ litemus.

Reverendissimo in Christo Patri ac Domino Joanni Camerario Dalburgio Antistiti Wormaciensi Matthæus Herbenus Trajectensis felicitatem.

COnsueverunt magno quidem (ut „ optime tenes) atque excellenti „ ingenio viri, Reverendissime Presul, „ si quippiam novi operis condidissent, „ ad eorum studiorum potentem ali- „ quem ac eruditum principem amato- „

 „ rem

„ rem referre, ejusdemque auſpicio in-
„ ſcribere; quo & propter potentiam ab
„ invidorum morſibus vindicarentur, at-
„ que ſapientiam, eorum ſtudia proba-
„ rentur. Itaque doctiſſimis illis tem-
„ poribus Ceſarum ſtudioſiſſimorum ho-
„ minum labores Mecenati, aut Pollioni,
„ Varove inſcribebantur. Quorum
„ exempla imitati doctiſſimi Italicorum
„ diebus noſtris, nullum ferme precla-
„ rum opus Coſmis Florentinis, omnium
„ ſtudioſiſſimorum viris amantiſſimis
„ non dedicaverunt. Sed (cum neſciam,
„ qua converſione cœlorum litteræ apud
„ noſtrates plus ſolito noſtro ævo coli
„ cœperint) Tu unicum litterarium de-
„ cus apparuiſti: potius coelo demiſſus
„ es, cui affatim eruditiſſimi Germano-
„ rum labores ſuos tanquam graviſſimo
„ judici ac vindici ſubmitterent, qui ne-
„ que Auſoniis illis Principibus dignitate
„ ignobiliores, neque ſapientia inferior.
„ Quapropter ſub Tuo ſidere venerabilis
„ patris Joannis Trithemii inſigne ac la-
„ borioſum opus de Scriptoribus eccle-
„ ſiaſticis emanavit: Stupendus ille li-
„ ber, quem de Verbo mirifico Joannes
„ Reuchlin elegantiſſime condidit, legi-
tur:

tur: Jacobi Vimphelingi, Sebastiani „
Brant, Conradi Celtis, Leontorii pa- „
triote fere mei, Rutgeri Sicambri, ce- „
terorumque doctissimorum hominum „
Rhenum accolentium preclara moni- „
menta visuntur. Hi itaque prestan- „
tissimi Viri Te magna ratione amant, „
colunt, deditaque opera venerantur, „
quo se uti contingit tanto patrono at- „
que studiorum Vindice. Quorum ego „
exemplo provocatus, ausus sum exile „
(nimirum) Musicum meum studium „
acutissimo ingenio Tuo subdere. Di- „
gnabere igitur, Eruditissime Presul, „
oculis Tuis quicquid est presentis opu- „
sculi: visumne sit tale, quod in Tua „
locupletissima Bibliotheca aliquem an- „
gulum inveniat. Neque propterea „
excusseris, quod de longinquo adve- „
nerit: quoniam advenæ Reginæ de- „
vota munera sapientissimus Regum „
non contempsit Salomon. Gratum „
quoque inprimis reor futurum præ- „
stantibus Illustrissimi Palatini Principis „
concentoribus, si per Te illis legen- „
dum exhibeatur, quo facile cogno- „
scant, nullam liberalium artium ad di- „
vinum cultum esse valentiorem, quippe „

 „quum

„ quum & cœlestia & terrestria musica
„ harmonia gubernentur. Vale R[ever]me
„ Presul, & relege feliciter. Ex Trajecto
„ super Mosam quinto Kalend. Majas
„ A. D. M CCCC XCVI.

VI.

Codices Manuscripti Chartacei ejusdem formæ.

I.

MAnuscriptum Armenicum in Charta levigata.

Codex elegantissimus, videtur esse tractatus Geomanticus.

2.

Glossarium Chaldæo-Ebræo-Teutonicum.

Hoc Glossarium ad editionem paravit M. F. Beckius Augustanus, sequenti jam titulo ipsi præfixo: ספר ערוך *seu Glossarium Chaldao-Ebræo-Teutonicum Anonymi Judæi Germani in privatis hactenus bibliothecis delitescens, luce publica dignissimum, accurante Matthia Friderico Beckio (in cujus manus postremum venit) cum adjectis versione Latina atque scholiis in com-*

communem usum publicatum. Adjecit idem vocabula exotica, quæ in Rabboth occurrunt; & in exemplari Bibliothecæ Jenensis in margine MSta habentur. Ad hunc codicem notavit nonnemo: *Istiusmodi Aruch MS. Buxtorfius quoque habuisse videtur propter ea, quæ leguntur in Lexico Talmudico p. 999. Quid si hoc Lexicon Joannis Bebem, Ulmensis, à Judæo Anonymo Germanice redditum esset? vid. Meelführeri Accession. ad Biblioth. promissam & latentem Almelovenii p. 162.*

3.

ספר סבוב העולם *Auctore R. Petachia.*

Itinerarium hoc postremo edidit Celeb. Wagenseilius in Exercitationibus varii argumenti, e cujus Codice M. F. Beckius sæpe laudatus illud antea descripserat. Accesserunt hic præter Beckii versionem Latinam ejusdem annotationes haud ineruditæ. Laudatur is beati viri labor ex merito a D. G. G. Zeltnero (*n*), Viro orientalis literaturæ peritissimo, quocum illustris Dominus Posses-

(*n*) In Dissert. de erudita Virgine Hebræa per transennam docente p. 33.

ſor ſchedas has Manuſcriptas gratioſe aliquot abhinc annis communicaverat. Addita eſt ejusdem Beckii verſio Itinerarii R. Benjaminis cum annotationibus.

4.

Tzezæ Opus hiſtoricum ſeu Chiliades. Græce in charta levigata.

Ex Bibliotheca G. H. Welſchii, qui manu ſua elegantiſſima, hoc MSto uſum eſſe Nic. Gerbelium pro editione Baſileenſi, notavit.

5.

Τȣ σοφωτάτȣ κυρίȣ Νικηφόρȣ τȣ Γρηγορᾶ λόγος ἐις τον ἅγιον και μεγιϛον ἐν βασιλευσι και ἰσαποϛολον Κωνϛαντινον. Græce.

h. e. *Nicephori Gregoræ, viri ſapientiſſimi, Oratio in laudem Sancti Regumque maximi & fere apoſtolici Conſtantini.* Haud reperitur ea in editione Pariſienſi, digniſſima Neſſelii judicio (in Bibliotheca enim Auguſtiſſima Vindobonenſi ejus quoque exemplum adſervatur), quæ ſupplemento corporis hiſtoriæ Byzantinæ aliquando inſeratur. Codex hic bonæ notæ eſt, ſcripturæque compendiis abundat. In gratiam φιλελλήνων prolixi hujus & ele-

elegantis panegyrici, quem librum potius appellaverim, conclusionem speciminis loco exhibere placet, adjecta mea qualicunque versione Latina cum quibusdam notatiunculis.

Σὺ δ᾽ ὦ βασιλέων κράτιστε καὶ θειότατε, τὴν ἐπίγειον οἰκουμένην ταύτην λιπὼν, ἄλλην ᾤκισας οἰκουμένην· καὶ ἄλλην κρείττω καὶ ἄσυλον εὗρες ἐν οὐρανῷ πόλιν καὶ πολιτείαν, καὶ βασιλείας ῥεούσης ἠλλάξω μὴ ῥέουσαν βασιλείαν. Καὶ γὰρ καὶ τῷ βίῳ τῷδε παρὼν, καὶ συνδιαιτώμενός τε καὶ συναναστρεφόμενος, ἀνεπίστροφον (α) τῆς ἐπιγείου πάμπαν ἐτήρεις σαυτὸν προσπαθείας. καὶ οὐχ ὡς περίβλεπτον καὶ

Tu vero, Regum optime ac divinissime, terrestri hoc orbe relicto, alium incolis orbem, & aliam meliorem tutamque invenisti in coelo civitatem ac rempublicam, & regnum caducum permutasti cum regno non transeunte. Nam etiam quum in hac vita adhuc esses, mortalium convictu & conversatione utens, te prorsus a terrestri affectione servasti immunem; nec tanquam illustrem

(α) Vel te prorsus incuriosum servasti terrestris affectionis.

τοῖς πολλοῖς ὑμνουμένην τὴν ἐπίγειον ἔβλεπες ἅπασαν δόξαν περιφάνειαν· ἀλλ᾽ ὡς εἰκόνα τε καὶ τύπον ἄλλης περιβλέπτε δόξης καὶ δυναστείας, λέγω δὴ τῆς ἐν οὐρανῷ μακαριότητός τε καὶ εὐγενείας, ἧς πέρας οὐκ ἔνι λαβεῖν, οὐδὲ μεταβολὴν τῶν ἐκείνης αἰσθέσθαι (β) τερπνῶν· Μὴ οὖν ἀπόσχῃ (γ) συντυγχάνειν ὑπὲρ τῆς σῆς πόλεος, καὶ ἧς ἄρχει ῥωμαίων ἀρχῆς, ᾧ νῦν συμβασιλεύεις Χριστῷ. Ὁρᾷς ὅσων ναυαγίων ῥωμαίων ἐμπέπλησται πράγματα, καὶ ὅσοις περιαντλεῖται τοῖς κύμασιν. Ὁρᾷς ἐξ

atque multitudinis laudibus celebratam adſpexiſti omnem hanc terrenam gloriam & ſplendorem, ſed velut imaginem ac figuram alius inſignis gloriæ & imperii, videlicet cœleſtis beatitudinis ac nobilitatis, finem non habituræ, cujusque deliciæ nulli mutationi ſunt obnoxiæ. Ne igitur ceſſes intercedere pro tua urbe & Romano imperio, cui ea præeſt, apud Chriſtum, quocum jam regnas. Vides, quot naufragiis plenæ ſint Romanorum res quot circumagantur fluctibus. Vides, ex

οἵας

(β) Sic pro [illegible], quod in MSto eſt, legendum videtur.

(γ) In MSto legitur ἀπέχει.

οἵας τύχης καὶ δόξης εἰς, οἷον κατηνέχθημεν βάθος κακῶν· ὁρᾷς ὡς οὐκ ἔστι μέρος οἰκουμένης ὑφ' ἥλιον, ὃ μὴ τῶν σῶν ὑπηκόων ῥωμαίων κέκληται μοῖραν. Ὁρᾷς ὅπως κατατολμῶσι καὶ τὰ τῆς σῆς πόλεος ἤδη κατατρέχειν προαύλια, καὶ κείρειν αὐτῆς ἀναισχυντέως τὰ (δ) κράσπεδα, καὶ τῶν ἐπιδορατίδων τὸν ἦχον εἰς τὰς ἡμῶν ἀκοὰς παραπέμπειν, καὶ ἀπειλὰς ἀπειλοῦσι μάλα θρασείας καὶ ἀνυποίστους, ὁποίας κατὰ τῆς Ἱερουσαλὴμ

quali felicitate & gloria in extremam demerſi ſimus calamitatem. Vides nullam partem univerſi orbis eſſe, quæ non tuorum ſubditorum Romanorum acquiſiverit portionem. Vides ut ipſa jam urbis tuæ incurſionibus infeſtare audeant portarum veſtibula, nec extremas ejus oras depopulari vereantur, & haſtarum ſonitu noſtras implére aures, minasquè jactent audaciſſimas ac intolerabiles, quales olim quoque adverſus Hieroſolyma

σαλὴμ

(δ) Proprie, decidere fimbrias. Apud Hebræos quoque כנפי & fimbrias extremitatesque veſtium, & extremas regionum oras notant. Pomœria, propugnacula & munitiones urbis heic ſignificari arbitror.

σαλὴμ καὶ ὁ θρασὺς ἐκεῖνος πάλαι Σεναχηρεὶμ ὁ ἀσσύριος. Ποῦ τῶν σῶν ὅπλων τὸ κράτος ἄριστε βασιλέων; ποῦ τοῦ σοῦ βραχιόνος ὁ κρότος ἐκεῖνος καὶ ἡ βροντὴ, ἡ τὰ τῆς οἰκουμένης περιηχοῦσα πέρατα, καὶ βαρβάρων ἁπάντων σατράπας καὶ ἡγεμόνας θορυβοῦσα καὶ καταπλήτουσα; ποῦ τῶν σῶν σπλάγχνων ὁ οἶκτος ἐκεῖνος ἐρρύη; ποῦ τὸ τοῦ ἤθους πρόσηνές τε καὶ ἱλαρὸν ἐκεῖνο κεκάλυπται; Σὺ μὲν γὰρ ἰδιόν τινα κοινὸν τῆς οἰκουμενικῆς ἡγεμονίας καθέστησας οἶκον, τὴν τῶν ῥωμαίων ἀρχὴν, καὶ κλῆρον βασίλειον ἐχαρίσω, πάσης λαμπρῶς προκαθέζεσθαι οἰκουμένης, καὶ πᾶσιν ἔθνεσιν ὡς ἐξ ἀπόπτου

audax ille Sennaccerib Assyrius effutiit.

Ubi tuorum armorum robur est, Regum optime? Ubi ille brachii tui strepitus & tonitru, ad ipsos terræ fines personans, & omnium barbarorum satrapas Ducesque concitans ac consternans? Quo abiit tui cordis commiseratio? ubi illa tua mansueta & placida indoles delitescit? Tu enim Romanum imperium constituisti, ut sit aliquod veluti universalis præfecturæ domicilium, sortemque regiam splendide toti orbi præsidendi jure donasti, ut omnibus gentibus tanquam ex sublimi imperet ac

ke-

κελεύειν καὶ χρηματίζειν τὰ δέοντα, καὶ τὰς πρὸς ἀλλήλους τῶν πραγμάτων μάχας καὶ ἔριδας κοιμίζειν, μετὰ τῆς πρεπούσης αὐθεντίας. Νῦν δ' οὖν τὰ τῆς εὐγενείας ἐκείνης ἔῤῥει καὶ φροῦδα καθάπαξ καθέστη, καὶ οὕτω δυστυχῶς τε καὶ ταπεινῶς πράττει, ὥστε τῶν πάλαι δούλων αὐτοῖς βαρβάρων ἐθνῶν κατ' αὐτῆς ἐπανισταμένων ἀμύνειν καὶ ἀντέχειν οὐκ ἔχοι· οὐδὲ γὰρ δίδως οὐδεμίαν αὐτῇ παλάμην αὐτὸς, οὐδ' ἀποχρῶσαν παρέχεις δύναμιν κατὰ τῶν ἑαυτῆς κινδύνων. Ἀλλ' ἀνέχῃ βλέπων, ὁ πάντας ὁμοίως καὶ φι-λαν-

responsadet de iis, quæ oporteat fieri(ɛ), mutuasque earum controversias & lites decenti authoritate sopiat. Nunc vero illa imperatoria eminentia ita perit, & simul ac semel evanida reddita est, adeoque misera humi serpit, ut se a gentium barbararum, olim ipsi subjectarum, nunc vero contra eam insurgentium, injuriis vindicare; iisque resistere nequeat. Neque enim dexteram ipsi unquam porrigis, neque sufficientes contra ejus pericula suggeris vires. Sed pateris, videns licet, tu reges omnes miseri-

(ɛ) vel, ac leges ferat.

λανθρωπίᾳ νικῶν βασιλέας. Καὶ πέτρα μὲν καταφυγὴ τοῖς λαγωοῖς ἐγένετο πολλάκις, χειμαζομέναις δὲ ναυσὶ σήραγξ (ς) καθέστηκε λιμὴν, πόλεως δὲ κλύδονας ἐκοίμισεν ἐνίοτε πόλις πράττουσα καλῶς. Σὺ δὲ πᾶσιν ἅμα δυστυχοῦσιν ἦσθα πάλαι ζῶσα σκέπη καὶ καταφυγὴ, καὶ λιμὴν σωτήριος (ζ). καὶ οὔτε νύκτες τὰς τοιαύτας εἶχον σε κοιμίζειν εὐποιΐας, οὔθ' ἡμέραι περισπᾶν καὶ ἀνθέλκειν ἐκ τοιαύτης γαλήνης ὁλοσχερῶς εἰς πελάγη θορύβων πολιτικῶν, ἀλλ' ἐν ἀρ-

cordia & humanitate superans

Petra quidem sæpe refugium fuit leporibus, navibus vero tempestate jactatis rima sub scopulo inserviit pro portu; urbis autem fluctus interdum sedavit Resp. felici statu gaudens. Tu vero omnibus simul miseris fuisti olim vivum tegmen & refugium portusque salutaris. Nec noctes hæc tanta beneficia tua in soporem poterant conjicere, nec dies reflectere ac retrahere ex tanta tranquillitate plene in turbarum civilium pelagus; sed

μον-

(ς) In MSt. per compendium scripturæ extat σῆς quod plenius σήραγξ exprimendum esse puto. Σήραγξ vero juxta Hesychium est σπήλαιον, κοιλώμα, ὕφαλος πέτρα ῥήγματα ἔχουσα.

(ζ) In MSto per compendium legitur σρῶς.

μοττούσῃ τῇ χώρᾳ μένειν ἑκάτερα μετά τινος παρεῖχες ἠκριβωμένης τῆς πλάστιγγος. καὶ τοῦ χρόνου διαδοχαῖς ἡμερῶν καὶ νυκτῶν παραῤῥέοντος, σὺ καὶ τοῦ χρόνου βεβαιοτέρας εἶχες τῶν ἀγαθῶν τὰς πηγὰς, καὶ πᾶσα γῆ καὶ θάλασσα καὶ ἔθνη πάντα τῆς σῆς ἐξήρτηντο προμηθείας. Νῦν δὲ πρὸς οὓς μᾶλλον ἐχρῆν ὡς οἰκείους μείζω τὴν φιλανθρωπίαν ἐνδείκνυσθαι, καὶ ὅτι μᾶλλον διά τὴν ἐγγύτητα τῆς πρώτης καὶ ἀθανάτου φιλανθρωπίας ἀνεπίστροφος φαί-

utraque in congruo loco manere jussisti, trutina accurate in æquilibrio posita; ac tempore per dierum noctiumque successiones præterlabente, tu tamen & tempore stabiliores habuisti beneficiorum scaturigines, totaque terra & mare & omnes populi a tua providentia & patrocinio pependerunt. Nunc vero erga eos, quibus tanquam familiaribus majorem præstare humanitatem decebat, idque vel maxime ob propinquitatem primæ illius ac immortalis humanitatis (η) curæ

νη

(η) Hæc paulum obscuriora sunt. Forte hic sensus est: idque eo magis, quod istud cum prima illa (quam antea jam laudaverat Nicephorus Gregoras) & immortali humanitate conveniret.

νη ϗ σφόδρα ἀσυμπαθής· Ἀλλὰ διανάστηθι πρὸς τῆς σῆς μεγαλοψυχίας, πρὸς τῶν σῶν οἴκτων ϗ σπλάγχνων· μνήσθητι τῆς συναγωγῆς σου ἧς ἐκτήσω ἀπαρχῆς· ἡμεῖς γὰρ λαός σου ϗ πρόβατα νομῆς σου, ϗ τὸ τοῦ σοῦ θεοῦ ἐπικαλούμεθα ὄνομα, ϗ τῆς αὐτῆς τριάδος ϗ ἡμεῖς ἐσμέν σοι λατρευταί. Ὄρεξον χεῖρα βοηθείας τῷ σῷ κλήρῳ· δὸς ἐξ ὕψους δύναμιν τῷ σῷ λαῷ, τῶν νῦν ἐπικειμένων κακῶν ἐπίκαιρον· κινδύνου παντὸς ἀνώτερον δεῖξον τὸ τῆς σῆς ἡγεμονίας πλήρωμα· πλάτυνον τὰς τῆς ῥωμαϊκῆς ἐξ-

& affectuum plane expers esse videris. Sed surge per tuam illam magnanimitatem, per tuam illam clementiam & misericordiam! Memento cœtus tui, quem possedisti ab initio: nos enim populus tuus & oves pascui tui sumus, nomenque Dei tui invocamur, ejusdemque Trinitatis & nos sumus cultores. Porrige manum adjutricem tuæ hæreditati: da populo tuo ex alto virtutem auxiliatricem in impendentibus jam calamitatibus. Ostende tuum regimen completum (θ), omne periculum exsuperans: dilata Romanæ

ϰσίας

(θ) i. e. quod in cœlo jam perfectum habes.

κσίας ὅρες· χάρισαι τοῖς τῆς σῆς βασιλείας διαδόχοις τοῖς ἐυσεβέσιν ἡμῶν βασιλεῦσι τρόπαια ϗ νίκας καὶ ἐχθρῶν ὑπόταξον ὑπὸ τὰς πόδας αὐτῶν πάντα ἐχθρὸν ϗ πολέμιον· χάριτι ϗ φιλανθρωπίᾳ τῆ κυρίε ἡμῶν τῆ χριςῆ, ᾧ πρέπει πᾶσα δόξα, τιμὴ ϗ προσκύνησις σὺν τῷ ἀνάρχῳ αὐτῆ πατρὶ ϗ τῷ παναγίῳ ϗ ἀγαθῷ ϗ ζωοποιῷ πνεύματι νῦν ϗ ἀεὶ ϗ ἐις τὰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

potestatis limites: largire tui imperii successoribus, piis nostris regibus, tropæa & triumphos contra hostes: subjice ipsorum pedibus omnes inimicos & adversarios: per gratiam & benignitatem Domini nostri Christi, cui debetur omnis gloria, honor & adoratio cum æterno ejus Patre, ac sanctissimo, optimo & vivificante Spiritu nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

6.

Τὰ ἀσφαλῆ Ὀνοσάνδρε ςρατηγικά.

Codex elegantissime exaratus. In margine passim comparent Martini Crusii, Viri Græce olim doctissimi, notæ. Idem in fine hæc adscripsit: διανεγνων ὁ Κρεσιος ἀπο της ιϛ. Νοεμβρ. ἑως της κδ. τε αυτε αφπδ sive 1584.

7.

Brevis historia Barbaro-Græca de rebus ab urbis Constantinop. expugnatione gestis: quam D. Theodosius Zygomalas protonotarius sua manu correxit & descripsit.

Ab initio operis Martinus Crusius, primus ejus possessor, in cujus gratiam Zygomalas id descripsit, hæc notavit: *Accepi ego Mart. Crusius* 10. *Januar.* 1579. *ad D. Theodosio Zygomala, patriarchico Byzantii Protonotario per D. Steph. Gerlach Tybingæ.* Ad calcem idem adscripsit: *Mense Novembri & ex parte Decemb.* 1580. *Latine ego converti.* In margine passim quoque Crusii, qui summaria adjecit, manus conspicitur. Inserta est hæc historia Crusii Turco-Græciæ.

8.

Τȣ ψελλȣ προς τον Παῖριαρχην κυριον Μιχαηλ περι τȣ ὅπως ποιῆσον χρυσον.

Τȣ μακαριȣ και πανσοφȣ ψελλȣ ἐπιςολη προς τον ἁγιωῖαῖον παῖριαρχην τον ζιφιλινȣ περι χρυσοποιιας, cum versione Latina.

Apo-

Apographum recentissima manu e Codice Regiæ Bibliothecæ Parisiensis descriptum. De hujus epistolæ textu Græco hoc in margine adjectum est judicium: *Et contextus & interlinearis lectio scatet mendis, nec emendari potest sine adminiculo, si non plurium codicum, unius certe atque alterius.* Et iterum: *Correctura interlinearis ab homine ineptissimo profecta, & in plerisque monstrosior ipso autographo, quod tamen & abs se satis incuriose factum. E Latina vero versione hujus epistolæ, quæ publice extat, facile Græca, quæ ille, qui primus edidit versionem, habuit sana, emendari poterunt.*

9.

Glossarium Russico-Latinum, ex Evangelio præsertim Marci a M. F. Beckio collectum.

10.

Jacob von Kœnigshofen Strasburgische Chronik.

Hoc Chronicon eruditis observationibus illustratum edidit Jo. Schilterus Argentorati A. 1698. in 4.

11.

Decalogus explicatus vetusto Germanico sermone. Vitæ aliquot sanctorum.

12.

Libellus precum ad S. Dionysium varie pictus.

13.

Bartholomæi Facei Dialogus de vitæ felicitate ad Alfonsum Regem.

Ejusdem Epistola ad Rubert. Strozam.

Duæ epistolæ Poggii ad Antonium Panormit. & una hujus ad illum.

Caroli Aretini præfatio in Batrachomyomachiam Homeri.

Petri Antonii Finariensis Liber de principatus conservatione ad Karolum de Burgundia, Comitem Kadralesii ac Castri Bellini & Betuniens.

In fine hæc adjecta: *Editum Heidelbergæ invictissimo Friderico principe imperante* 1466. *decimo Kal. Febr.*

Oratio funebris Joannis Strozæ optimi militis ac civis Florentini.

Leonardi Aretini in Karolum de Malatestis propter derogationem statuæ in memoriam Maronis factæ invectiva.

Oratio

Oratio Franc. Philelphi Mantuæ habita coram Pio II. 1459. die Martis 4. Kal. Oct.

Salustii in Ciceronem controversia, & hujus in illum.

Quædam variorum epistolæ & orationes.

Utiliora puncta ex epistolis Æneæ Sylvii.

14.

Summaria aliquot librorum biblicorum, vetustis rhythmis Germanicis.

15.

Jo. Tauleri Conciones.

Cum in editione Concionum Tauleri Basileensi A. 1521. Seelenius in Memoria Stadeniana p. 105. multa reperiri antiqua vocabula notet, quæ deinceps in recentioribus immutata sunt: in hoc Codice MSto, utpote haud paulum antiquiore, plura adhuc obvia esse verisimile est.

16.

Die ewige Weißheit.

In fine: (nn) *Wer dis Büchlein, das mit*

(nn) En exorcismi literarii specimen! de quo argumento egregiam observationem Clar. Lilienthalius Selectis Histor. Liter. T. I. p. 1. sqq. inseruit.

mit Fleiſs geſchrieben und gedicht iſt, wolle ſchreiben, der ſoll es alleſamt, eigentlich an Worten und Synnen ſchreiben, als es dann hie ſtat, und nichts darzu noch davon ſetzen, noch die Worte verwandeln, und ſoll es danne eyneſt oder zwir hierabe durch notuliren richten, und ſoll nichts beſunders doraus ſchreiben dann die hundert Manunge oder Betrachtung zu hinderſt, die ſchreibe dorauſs ob er wolle. Wer nun icht anderſt thut, der ſol fürchten Gottes rach, dann er beraubet GOtt des wirdigen Lobes, die Menſchen der beſſerunge, dan er ſich darane gearbeitet hat ſeiner arbeit, und darumbe wer es hierumb nicht laſſen wolle, das muſs gerochen werden von der ewigen Weiſshait an dem jüngſten Tage Amen Deo gratias.

17.

Von den bilgern der heiligen Statt.

Carminice.

Ultimi verſus rudes & inconditi hi ſunt:

Domit ſich das Gſang endet, GOt ſigs ein lob und er,
Der tichter und erſt ſänger iſt gweſen über mër.

Er

Er singt und seit uns das und me
Tray FFF gend in zerkennen, GOt lauss in nimmer me.

Finit feliciter per me fratrem Johannem Dillinge sexta feria pasche A. D. 1482. Poëmatis vero hujus autor est Frater Felix Faber, familiæ Dominicanæ olim in Conventu Ulmensi monachus, de quo Mart. Crusius (*b*): *De Offenbusano monasterio, satis multa, quæ edita non sunt, populari lingua scripsit* 1489. *salutis anno quidam Tigurinus Pater Prædicatorii ordinis Ulmæ, illarum Monialium confessor: qui suum nomen non aliter in illis prodidit, quam sexta alphabeti litera tertiata F. F. F. quod ego interpretor, Frater Felix Fabri, qui fuit illo tempore in Prædicatorum apud Ulmenses monasterio, vir eruditione, & una atque altera Hierosolymam peregrinatione (quarum unam lingua itidem Germanica ab eo descriptam & typis editam habemus) celebris & in rebus suæ professionis gerendis industrius.*

18.

Varia Spalatiniana, magnam partem autographa.

(*a*) In Annal. Sueviæ Part. III. Lib. II. Cap. 8.

Volumen ſpiſſum, multa continens, hiſtoriam reformationis illuſtrantia, ab ipſo Spalatino partim ſcripta, partim collecta. v.g. *Ejus manuale vel diarium*, cui varia manu ſua inſcripſit, quæ id temporis notatu digna acciderunt, *ab A.* 1515. *ad. A.* 1526. Ejusdem ἰδιόγραφον *diarium profectionis Friderici III. Electoris Saxon. ad comitia Francofurtenſia pro eligendo Romanorum Rege A.* 1519. *Profectionem ejusdem ad conventum imperialem A.* 1523. *Norimb. inſtitutum*, 1524. *inchoatum. Narrationem de coronatione Regis Daniæ A.* 1537. *nec non de exequiis Friderici Saxoniæ Ducis. Nic. Marſchalli Thurii ad Spalatinum epiſtolam A.* 1505. *ſcriptam. Judicia M. Lutheri, Vencesl. Lincii, Phil. Melanchthonis, Pomerani, Amsdorfii, an a principibus Chriſtianis bella geri poſſint A.* 1523. (judiciorum inſcriptiones ipſa Spalatini manu additæ ſunt.) *Franciſci Regis Gall. ad principes & ordines Rom. Imperii Apologiam A.* 1534. *Franciſci Lamberti Avenionenſis Poſitiones A.* 1523. *Iſenaci propoſitas; Ejusd. Poſitiones in conventu Homburgiano in Haſſia A.* 1526. &c.

19.

19.

Formula consensus inter Theologos Rostochienses & D. Huberum in Articulo de Prædestinatione.

Responsio Sam. Huberi D. pro tempore Decani ad scriptum Dominorum Theologorum Polyc. Lyseri, Æg. Hunnii, Sal. Gesneri A. 1593.

Zwinglii Epistola ad Mart. Lutherum A. 1527.

Epistola de moribus Romanæ curiæ ex Italia scripta A. 1518.

Eugenii IV. Bulla ex Concilio Florent. 1439.

Francisci Regis Galliæ & Henrici R. Angl. ad Phil. Melancht. literæ 1535.

Ein Rathschlag Phil. Melanchth. dess Tridentinischen Concilii halber. 1541.

Responsio Marchionis Brandenb. Electoris ad Regem Poloniæ, qua purgat se contra accusationem defectionis ab Ecclesia propter mutatam religionem, autore Phil. Melanchth. 1539.

Epistola Jo. Bozhemii ad Lutherum. 1520.

Initium enarrationis Danielis Prophetæ, autore Melanchthone. Autograph. (*oo*).

20.

Canticum Canticorum philosophice explicatum per Jo. Ludovicum Heinzel a Degernstein. Germanice:

Lapidem philosophicum in Cantico laudatum & descriptum invenisse sibi visus est autor.

21.

Liber magicus & geomanticus.

22.

Jo. Ernesti a Pflaumern Metamorphosis Arcium & Castrorum Sueviæ. Germanice.

23.

Eine althe Litaney aus der Passion.

Ubi inter alia: *durch die Backenstreich der Zöllner und Hundsbuben GOtt Vatter im Himmel erbarme dich unser.*

24.

(*oo*) Adest etiam seorsim ἐν αὐτογράφῳ ejusdem præfatio, quæ in Tomis Lutheri Wittebergensibus legitur.

24.

Pugna porcorum per P. Portium Poëtam, carmine, cujus singulæ voces litera P. incipiunt, descripta.

25.

Concordia rationis & fidei sive harmonia philosophiæ moralis & religionis Christianæ.

Descriptus est hic liber ex exemplari Amstelodami A. 1692. vel potius Berolini excuso (*p*). Additæ etiam hic sunt literæ autoris supplices ad Electorem Brandenburg. quibus se ab imputatis sibi erroribus vindicare nititur Autor, qui in hoc tractatu ab aliis dicebatur negare divinitatem Christi, Spiritus S. existentiam & operationes, bonos malosque angelos, judicium extremum ac ignem æternum, legem naturæ tollere, nihil pro turpi ac inhonesto habere, ex Deo & mundo unam facere substantiam &c.

26.

De Trinitatis Erroribus Libri septem per Michaelem Serveto alias Reves ab Ara-

(*p*) Conf. T. II. p. 347.

Aragonia Hiſpanum. A. M D XXXI. Dialogorum de Trinitate libri duo. De juſtitia regni Chriſti Capitula quatuor. per Michaelem Serveto, alias Reves ab Arragonia Hiſpanum, M D XXXII.

Hi libri itidem ex impreſſis exemplaribus rariſſimis deſcripti ſunt, de quibus nonnulla in ſecunda opellæ meæ parte dixi. Vidi interim eos typis excuſos heic loci quoque in quadam Bibliotheca. Non Baſileæ, ut ego cum aliis ſuſpicatus fueram, ſed Hagenoæ illos impreſſos eſſe docet Michael de la Roche (*q*). Nullum jam mihi eſt dubium, prodiiſſe eos dicto in loco ex officina Joannis Seceri, celebris typographi. Iisdem enim typis exſcripti ſunt, quibu memoratus typographus Hagenoæ Joannis Agricolæ Scholia in epiſtolam Pauli ad Titum A. 1530. menſe Septembri, & Jo. Brentii Commentarios in Jobum A. 1531. in octavi ordinis forma excudit.

27. ſeqq.

Varia inſuper adſunt *Matth. Frid. Beckii*, Au-

(*q*) Bibliotheque Angloiſe Tom. II. Part. I. p. 90. 85. 138. 180.

Augustanæ Ecclesiæ, cum viveret, ornamenti, *MSSta, adversaria, collectanea*, nec non diversa hujus formæ, *Chronica*, v. g. *Landgraviorum Thuringiæ & Hassiæ, Fuggerorum, Erfurtense ab A. 438. ad annum usque 1554. Hennebergense a Sebast. Glasero concinnatum*, &c.

VII.

Codices MSSCti membranacei in octavi ordinis forma.

1.

VAlerius Martialis.

Codex bonæ notæ & elegans.

2.

Miracula B. Mariæ Virginis.
Meditationes S. Bernardi.

3.

Expositiones vocabulorum Biblicorum & aliquot doctorum.

4.

Formula Confessionis.

5.

Varia antiqua poëmata Germanica.

6.

6.

Historia Josaphati & Barlaami, vetustis rhythmis Germanicis descripta.

En speciminis loco versus initiales:

Alsa zo kunc Sabaoth
GOt des gewaltes Kraft gebot
Leben an urhap dine Kunst
An angenge bi gunst
Was je din Gottelichir Kraft
Lebende in werd-meisterschaft
Din hohit kunst din wiser rat
Beslozzent und bestriket hat
Den Anvanc und daz ende
Sunder missewende
Bistu der Urhap genant
Daz ende stat in diner hant, &c.

7.

De parentibus B. Virginis Mariæ, ejus desponsatione cum Josepho, ac nativitate Christi tractatus Germanicus cum figuris.

Scriptus esse videtur An. 1492. vel 1493, Ultima enim in pagina Friderici III. Imperatoris, ac Alexandri VI. Pont. Max. nec non schismatis illius, quo tres simul de papatu contenderunt, mentio fit.

fit. Forte author Protevangelium Jacobi minoris carmine Germanico exprimere voluit: plus tamen simplici vice ad Hebraicum Matthæi Evangelium provocat.

8.

Horæ diurnæ.

Codex nitidissimus & pulcherrimus, quindecim figuris artificiosissime pictis, quarum pleræque biblicas historias repræsentant magno oculorum oblectamento, egregie ornatus, foliis absolvitur 245. quorum margines omnes, superiores laterales, inferiores elegantissimis viticulis (vignettes) splendide superbiunt.

9.

Ein altes Teutsches Gedicht vom Koenig Artus &c. in 12.

Codex antiquus veteri dialecto Theotisca scriptus.

10. sqq.

Silentio prætermitto varia *breviaria*, vetustosque *precum libellos*, Germanico & Latino sermone in membrana pariter ac charta scriptos.

VIII.

VIII.

Libri MSSti Arabici, Persici, Turcici.

I.

Codex Persicus continens vitas Muselmannorum, Authore Muhammed Ibn Ibrahim. in fol.

2.

Descriptio Arabiæ cum annotationibus quibusdam Jac. Golii, Arabice, fol.

3.

Pars ultima historiæ Sarracenicæ, quæ editioni Erpenianæ deest. Arabice, fol.

4.

Liber Grammaticus Abubecri cum scholiis Abdalfalhis & Abdol-Rahmann, Georgiani: adjunctus est alius *grammaticus libellus, authore Husem, F. Mustapha* &c. in 4.

5.

Liber precum Turcicus, usui tantum sacerdotum destinatus, in 4.

6.

Liber Turcicus de sortilegiis & divinationibus, in 4.

In-

Inserta est præter alia scheda oblonga Turcica, amuleti loco, si credere fas est, contra pestem inserviens.

7. 8.

Duplex Alcorani exemplar, in 8.

9.

Saadi Musladini Kulustan seu Rosarium, in 8.

Codex elegantissimus.

10.

Libellus precum Muhammed. in 8.

11. sqq.

Alia viginti octo variæ formæ volumina Arabica, Persica, Turcica.

IX.

Hisce coronidis loco duo alia rariora exotica adjungi merentur, quæ nec inter MSSta, nec inter typis excusa proprie referri possunt.

I.

Liber Chinensis eleganti typo (verba hic legis eruditi anonymi) *libro arboris tenerrimo impressus, quinquaginta, novem*

constans foliis, quæ duplicata & ita compacta sunt, ut totus liber unum sit continuum, & ad septuaginta pedes in longitudinem explicari queat: alias compacti latitudo spithamam ferme, longitudo vero pedem exæquat. Pagina qualibet novem distinguitur lineolis, deorsim ductis, totidemque continet literarum series, quarum pars major & crassior, pars vero tenuior, ita ut hæc explicationis vel glossematis, sicut illa textus rationem habere videatur. Titulus peculiaris operi præfixus non est, sed singula folia singulares habent inscriptiones. Summam omnia spirant antiquitatem.

2.

Cantiones Malabaricæ, palmæ foliis stylo insculptæ.

Liber hic oblongus foliis absolvitur XLI. quorum singula latitudinem pollicarem paululum superant, longitudinem autem ferme sesquipedalem æquant.

Tandem ultimo loco inter MSS. commemoranda mihi sunt, quæ primo laudare debuissem, *autographa epistolarum plurimarum, & maximam partem ineditarum, quarum numerus ad 1500. assurgit,* præcipuum Bibliothecæ ornamentum. Sollicite

cite illas esse custodiendas merito monuit optimus harum rerum arbiter Morhofius (*r*), cum in iis plerumque arcaniora quædam rei literariæ, quæ frustra alibi quæras, contineantur. Nec abs re Celeb. Gotlob Kranzius (*s*) epistolarum apparatui principatum inter curiosa Bibliothecarum tribuit: reliqua enim, pretiosa licet, inveniri tamen alibi, & pretio parari possunt, hæc vero, quæ nonnisi semel in orbe extant, vix ulli pretio æquiparanda veniunt. Ex Bibliotheca Spizeliana in Krafftianum thesaurum migrarunt *quatuor volumina* haud exigua *epistolarum* Jo. Alberti, J. Altingii, Amsdorfii, Jac. & Jo. Valent. Andreæ, Casp. Aquilæ, Jo. Aventini, Augusti Ducis Brunsvicensis, Aurifabri, Balduini, Bauhini, Bembi, Berneggeri, Bersmanni, Bertrami, Besoldi, Bidembachii, Billicani, Bitschii, Boecleri, Brederodii, Brentii, Buceri, Bugenhagii, Bullingeri, Joach. Camerarii, Phil. Camerarii, Caponii, Canisii, Carlstadii, Georg. Caroli, Bened. Danielis Carpzovii, Celestini, J. Cellarii, Chemnitii, Dav. Chytræi; Clauderi, Coppi, Corderii,

(*r*) Polyh. T. I. L. I. C. VII. p. 68.

(*s*) In Memorabilibus Bibliothecæ publicæ Elisabetanæ Wratislaviensis. p. 88.

derii, Croti Rubeani, Hartm. Creidii, M. Crusii, Dannhaweri, Dauderstadii, Deodati, Draconitis, Delrionis, J. C. Dieterici, Dorschei, Alb. Düreri, Eberi, Jo. Ehingeri, Wolfg. Fabricii Capitonis, G. Fabricii, Oct. Ferrarii, Feschii, Freheri, Foreri, Flacii, Freigii, Gentilis, Gassari, Jo. Gerhardi, Gœbelii, Goldasti, Golzii, Jac. Gothofredi, J. F. Gronovii, Jan. Gruteri, Gryphiandri, Gualteri, Hackspani, Hannielis, Hebenstreiti, Heerbrandi, Casp. Hedionis, Helvici, Herdesiani, Henisii, Heshusii, Hilderici, A. Hiltebrandi, Hoë, Hœpfneri, Eob. Hessi, Casp. Hofmanni, Dav. Hoeschelii, Hortlederi, Horneji, Hotomanni, Huberi, Æg. Hunnii, Ulr. Hutteni, Jo. Jac. Fuggeri, Jo. Wilhelmi Ducis Saxoniæ, Jo. Friderici Senioris, Electoris Saxoniæ, tam in carcere quam post liberationem scriptæ, Justi Jonæ, Godofr. Jungermanni, Jo. Caselii, Jonstonii, Islebii, Itteri, Junii, Jo. Kepleri, Ath. Kircheri, Jo. Kirchmanni, Leibnitii Jac., Franc. Lamberti, Wincesl. Linkii, Lotichii, Lucii, Lutheri, Ludwelli, Polyc. Lyseri; Jobi, Magdeburgii. G. Majoris, Nic. Maji, Jo. Mathesii, Henr. Meibomii, Phil. Melanchthonis (cujus solius CXXIV. adsunt eæque

omnes

omnes in autographis) Menii, Frid. Metschii, Petri Mosellani, Th. Münzeri, Musæi, Musculi, Frid. Myconii, Mich. Neandri, Oecolampadii, Andr. Osiandri senioris, Pansæ, Paræi, Pasoris, Pelicani, Peirescii, C. Peuceri, Piccarti, Polyandri, G. Queccii, Rabi, Georg. Remi, Raderi, Reihingi, Rhodii, Riccii, Jo. Reuchlini, C. Rittershusii, Rœberi, Rulichii, Esr. Rudingeri, Herib. Rosweidi, C. A. Ruperti, G. Sabini, Sadoleti, Matth. Salleri, Salmuthi, Schœnslederi, Sauberti, Jo. Schmidii, Sebizii, Siberi, Scip. Scambati, Andr. Schotti, Abr. Sculteti, Nic. Selnecceri, Jo. Sleidani, G. Spalatini, Staupitii, Erasmi Stellæ, Spangenbergii, Stigelii, Æg. Strauchii, Jo. Sturmii, Stromeri, Taboris, Viti Theodori, Nic. Vedelii, Venatorii, Andr. Vesalii, Volzii, H. Vulteji, Weizii, H. Welleri, Marci Welseri, Hier. Wolfii, Gu. Xylandri, G. Zeæmanni, Zuberi, aliorumque (*t*). Præterea heic servantur *duo alia volumina*, quorum unum itidem varias Tezelii, Buceri, Lutheri, Melanchthonis, Jac. Andreæ, Mart. Chemnitii,

(*t*) Quatuor horum voluminum inter MSSta Spizeliana jam meminit Meelführerus in Access. ad Almeloveenium, p. 64. & 115. sqq.

Æg. Hunnii, Luc. Osiandri, Marbachiorum, Petri Rami &c. alterum Tychonis de Brahe aliorumque ad ipsum scriptas epistolas & carmina complectitur. Adsunt quoque seorsim complures *schedulæ manu Achillis Pirminii Gassari*, & *G. Heldelini* scriptæ, epistolia videlicet eorum & carmina invicem missitata: ne quid de nonnullis apographis epistolarum Jo. Sturmii, Launoji Valesiorum, Jac. Abendanæ &c. dicam. Facile suspicaberis, benevole Lector, quam plurima in his cimeliis contineri memoratu dignissima. Antequam vero amoenissimum hunc deseram campum, unius adhuc mentionem facere juvat schedæ, in qua consignati sunt Psalmi & cantiones sacræ, destinatæ usui Christinæ, Suecorum Reginæ, tum temporis in tenera ætate constitutæ, quibus famigeratissima hæc Regina manu sua subscripsit: *Christina Prinzessin in Schweden*, sed iis literarum ductibus, qui illius infantiam arguunt, primaque videntur ejus fuisse in scribendi arte conamina.

Tantum de Codicibus MSStis. Ad impressos nunc transgredienti ea se offert rariorum copia, ut, omnes si recensere vellem, dies & charta, addo & vires me deficerent. Aliquos igitur duntaxat seligam, ut

ἐκ τῶν ὀνύχων τοῦ λέοντα, ἐκ τῆς πρωσπεδῆς τὸ ὕφασμα cognoſcere tibi liceat.

X.

Libri chartæ pergamenæ impreſſi (u).

PRæter *Biblia Lutheri*, ſuperius memorata, ex hoc genere adſunt ſequentes:

I.

Horæ diurnæ, in 4. maj.

Inſertæ ſunt figuræ elegantes nitidis coloribus illuminatæ: literæ capitales itidem pulchre pictæ: margines ornati variis figuris ligno eleganter inciſis. In libri calce hæc verba legis: *Ces preſentes heures a l'uſage de Rome ont ete imprimees & ache-*

(u) Rariſſime conſpici codices membranaceos impreſſos, nemo neſcit. *Membranæ* enim, inquit Th. Bartholinus in Diſſ. de legendis libris p. 95. editionis Meuſchenianæ, *uſus apud typographos, tanquam minus commodus, obſolevit, in Manuſcriptis olim profuſæ, niſi quod in Bibliotheca publica* (Hafnienſi) *dono divi Chriſtiani IV. Biblia Germanica Lutheri in pergameno impreſſa monſtrentur. Magnifico operi nunquam ſatis digna forma aptatur. Homeri opera Draconis inteſtinis inauratis inſcripta veterum quidam memorant. Sed ſacroſancta Biblia omnem mortalium majeſtatem ſuperant & ornatum, cordibus noſtris inſcribi digniſſima.*

achevees a Paris le cinquiesme jour d'Apuril l'ann mil. cinq. cens & trois. Par Jehan Pychore & Remy de Laistre, demeurant au croissant en la grant rue des carmes dessu la place maubert.

2.

Memorabilium omnis ætatis & omnium gentium commentarii chronici Joannis Naucleri. Tubing. 1516. in fol.

3.

Das Buch der gemeinen Land-Pot. Lands Ordnüng Sazüng und Gebreüch des Fürstenthums in Obern und Nidern Pairn im 1516. Jar aufgericht. in fol.

4.

Epitome Juris Civilis, quæ legum prochiron & hexabiblos inscribitur, authore Constantino Harmenopulo Nomophylace & judice Thessalonicensi jam primum in lucem edita cura & studio Theodorici Adamæi Suallembergi. Parisiis apud Christianum Wechelum &c. A. MDXL. in 4. maj.

Ex splendida ligatura comparet, hoc ipsum exemplum fuisse oblatum Adolpho Archiepiscopo Coloniensi, cui di-

dicatum est opus. Hæc enim verba ipsi aureis literis inscripta sunt: REVERENDO. D. ET. ILLVSTRI. PRINCIPI. D. ADOLPHO. A. SCHOWENBVRCH. ARCHIEPISCOPO. COLONIENSI. DESIGNATO.

XI.

Libri sub artis typographicæ primordiis & paulo post a Joanne Fusto & Petro Schœffero vel ab hoc solo excusi.

I.

LIber rarissimus, *nonnisi tabulis ligno incisis constans*, ac inter prima typographiæ rudimenta referendus; cujus pleniorem descriptionem sequenti tomo inseremus.

2.

Ciceronis Officia & Paradoxa. fol.

In fine: *Præsens Marci Tulii clarissimum opus Johannes Fust Moguntinus civis non atramento, plumali canna, neque ærea, sed arte quadam perpulcra Petri manu pueri mei feliciter effeci finitum. Anno. M. CCCC. LXV.* Nota, numerum LXV.

 in

in hoc exemplari adeo callide a nonnemine in XL. fuisse transformatum, ut fraudem vix ac ne vix quidem sentias, nisi jam antea annus editionis tibi fuerit cognitus.

3.

Augustini de veræ vitæ cognitione libellus. in 4.

Absque mentione loci, typographi & anni: sed in calce adjecta sunt scutula sive insignia Fusti & Schoefferi, atque character proxime accedit ad eum, quo laudati viri in officiis Tullii excudendis usi sunt. Hujus Clar. Maittaire haud meminit.

4.

Opus quarti scripti Thomæ de Aquino. Mogunt. per Petrum Schoiffer, A. 1469. *fol.*

Hoc quoque Maittaire omisit.

5.

Valerius Maximus. Mogunt. per Petrum Schoiffer de Gernsbem. A. 1471. fol.

6.

Decretales cum glossis. Mogunt. 1473. *in fol. maximo per Petrum Schoiffer.*

Nec

Nec hujus operis Maittaire in Annal. Typogr. mentionem instituit. Nos in parte quarta paucis de eo differemus.

7.

Herbarius Moguncie impressus A. 84. in 4.

Nomen equidem typographi indicatum haud est, sed produnt eum scutula in fine adjecta. Hujus itidem nulla fit mentio in Maittaire Annalibus.

XII.

Libri ab aliis ad annum usque 1500. typis exscripti. (x)

I.

† *JOsephi Antiquitates Judaicæ.*

Ejusdem de bello Judaico Libri VII. per Jo. Schüsler civem Augustensem, A. 1470. in fol.

Mi-

(x) Cum plurimi inter hos compareant, quorum Celeb. Maittaire in Annat. Typogr. non meminit, placuit eos hac nota † signare, ut eadem opera supplementa mea ad laudatum librum, quæ Miscellan. Lipsiens. Tomo XII. p. 66. sqq. inserta sunt, continuata darem, atque ita una fidelia, quod ajunt, duos dealbarem parietes.

Minus ergo vera editio Josephi Veronæ per Magistrum Petrum Mauser Gallicum Anno 1480. curata in Biblioth. Du Boisianæ Catalogo P. I. p. 8. omnium prima dicitur.

2.

Rodorici Zamorensis Speculum vitæ humanæ. Augustæ per Gintherum Zainer ex Reutlingen. A. 1471. fol.

3.

Cassiodori Historia tripartita ex Socrate, Sozomen. Theodor. per Jo. Schussler. August. 1472. in fol.

In calce: *Historie tripartite libri numero duodecim jam domino prestante finiunt feliciter. Non quidem cirographati: sed ipsa, que a summo demissa est arte per Joh. Schüssler regie urbis Augustensis civem quam diligenter impressi Anno* &c.

4.

Lactantius, per Vindelinum. Venetiis. 1472. fol.

Huic editioni primum inserta est epitome Lactantii cum hac epigraphe: *Nephitomon. Lactantii Firmiani incipit.* En

En novum specimen soloecismi literarii, de quo argumento haud illepido aliquando post Clar. Lilienthalium differere constitutum mihi est.

5.

Rob. Valturii Opus de re militari. per Joannem Veronensem. Veronae, 1472. in fol. cum figuris.

Huic libro sequentia sunt inscripta: Melchior a Frundsperg Adamo Reis-„ nero suo (*y*) discipulus preceptori „ Tribunus militum commilitoni vice „ nummi militaris dono dedit in castris „ ad Mutinam tertio die Martii in ea „ profectione qua Roma expugnata est. „ Anno D. M.D.XXVII. „

Philippus Melanchthon ad Melchiorem a Fruntsp.

Armorum vestrae domui pater intulit amplam
Laudem, & Frundspergum nomen ad astra tulit

Altera

(*y*) Huic Reisnero debemus Historiam rerum a Georgio & Casparo de Frundsberg, patre & filio, strenue gestarum, Germanico idiomate prima vice. Francofurti ad Moenum A. MDLXVIII. in fol. editam, ubi quoque p. 155. Epitaphium Melchioris legitur.

Altera de ſtudiis Muſarum acceſſerit illi
Gloria, ſi perges ingenium excolere.

Epitaphium Melchioris a Fruntſperg.

Melchiori a Fruntſperg Georgii Equitis ſplendidiſſ. Cæſareique Germanici peditatus bello Italico præfecti filio, qui dum honeſtiſſ. ordines duceret, in Urbe immatura morte interceptus eſt. Gaſpar Swegler alumnus Quæſtor exercitus, militum Tribunus B. M. P. Vixit Annis XX. dies Obiit XII. Januarii MDXXVIII.

In fine vero duo carmina, in autoris laudem compoſita, adſcripta ſunt, quæ & hic locum habere merentur:

Baſſinii Parmenſis Poëtæ Clariſſimi Carmen ad Robertum Val.

Bella gerenda ducem decent quæ, quæque priorum
Exemplo, ac mira docuit Valturius arte,
Ingenium natura capax rationis acutæ,
Cui dedit: ille ſitu ſqualentia nomina telis

Omni-

Omnibus & fluxis signata vocabula rebus
Restituit: legemque dedit qua nosse liceret
Virtutesque animosque virum sumendaque pugnæ
Consilia & dignos antiquis laudibus astus
Nec quisquam post cuncta polo vestigia versi
Solis ad hanc victor potuit concurrere metam.

Marii Philelfi Poetæ laureati carmen ad Robertum Valturium Clar. Vir. Consularemque illustriss. D. Sigismundi Pandulfi Malateste.

Felices Italos & nostra volumina lingua
Clare Roberte tua, militiæque decus.
Extincti Reges dudum jacuere Ducesque
Signaque summorum diraque bella virum
A tenebris Valturi acies: figendaque castra
Et revocas cuncta munera militiæ.

Indu-

Indaperatores deceat quid quidque mini-nistros
Edocuit codex docte Roberte tuus.
Felices Italos, felicia tempora nostra,
Usque adeo celebrem quæ meruere patrem.
Quisque tibi debet Regumque Ducumque Roberte,
Cuncta phalanx debent quæque caterva tibi.
Prima tamen celebrem quam reddis in orbe vetustas.
Posteritasque tuis docta futura libris.
Militibus ferrum cingis, ducibusque decorum,
Pila refers castris, tortile quodque notas.
Machina nulla tuo, tormentum codice nullum,
Jactilis nullum deest genus & jaculi.
Et renovas priscos aboletâ ab imagine solus,
Historicos ornas docte Roberte novos.
Vota Sigismundi succedant singula dio
Auspicio, cujus tam grave dedis opus.
Nil poterat nostro præstari dignius ævo,
Dignus es, & digno das tua dona Duci.

6.

† *Das Sommertheil der Heyligen Leben. August. per Gintherum Zeiner*. fol. 1472.

7.

† *Albrecht von Eyb: Ob einem Mann sey zu nehmen ein ehrlich Weib oder nicht?* per eundem, 1472. fol.

8.

† *Bartolus supra Extravagantes. per Vindelinum.* 1472. fol.

Hos Vindelinus toto memorabilis orbe
Pressit tractatus Bartole clare tuos.
Emendatoris laus est æterna labori,
Nec minor artificis fama perennis erit.

9.

† *Moderna judicialis practica Joannis Petri de Ferrariis de Papia. Venet. per Jo. de Colonia & Vindelinum Spirensem.* 1473. fol.

10.

† *Historie von den sieben weisen Meistern. August. per Jo. Bamler.* 1473. fol.

11.

Jo. Boccacius de Certaldo de mulieribus claris, cum figuris. Ulmæ per Jo. Zeiner de Reutlingen. 1473. fol.

12.

† *Augustinus de Consensu Evangelistarum. Lauingæ,* 1473. fol.

13.

† *Eine schöne Historie, wie Troja die köstlich Statt erstöret ward. August. per Jo. Bæmler.* 1474. fol.

14.

† *Phalardis Tyranni Agrigentini Epistulæ cum procæmio Francisci Aretini,* qui eas e Græco transtulit. *in Sancto Ursio Vincen. district. Joannes de Reno impressit,* A. 1475. in 4.

15.

† *Joannis Matthiæ Tyberini, liber. art. & medic. doctoris ad Rectores, Senatum populumque Brixianum Epistola de martyrio Simonis pueri, qui Tridenti a Judæis interfectus est. in S. Ursio Vincen. district. Joannes de Reno impressit.* Data est Epistola An. 1475. d. 2. Non. Apr. in 4.

16.

16.

† *Leonardi de Utino Sermones de Sanctis.* *Ulm. per Jo. Zeiner de Rütlingen*, An. 1475. fol.

17.

† *Das Buch der Natur.* *August. per Jo. Bemler.* 1475. fol. cum figuris.

18.

Institutiones. *Romæ. per Udalricum Gallum Alemannum alias Han ex Ingelstat civem Viennens.* 1475. fol.

19.

† *Novæ Decisiones Rotæ.* *Romæ per Georgium Laur. de Herbipoli.* 1475. fol.

20.

Die Reformation, so Kayser Sigmund in dem nächsten Concilien zu Basel die H. Christliche Kirchen in beständige Ordnung zu bringen fürgenommen &c. *August.* 1476. fol.

† *Die Küniglich Reformation, so Kayser Fridrich zu Nürnberg aufgericht und zu halten geboten hat.* *Aug. per Jo. Bemler.* 1476. fol.

† *Eine Chronik von Christi Geburt an. ibid. per eundem*, 1476. fol.

21.

Franc. Philelphi Satyræ. Mediolani per Christoph. Valdarfer Ratisbonensem, 1476. fol.

22.

Anicii Torquati Severini Boecii de consolatione philosophiæ liber cum Comment. Thomæ de Aquino. Norinb. per Ant. Coburger. 1476. fol.

23.

† *Dyni Regulæ Juris. Romæ apud S. Marcum.* 1476. fol.

24.

Appianus Alexandr. de bellis Romanorum civilibus, ex versione P. Candidi. Ejusd. *Illyrius & Celticus. Venet. per Erhardum Ratdolt de Augusta una cum Petro Loslein de Langencen correctore ac socio suo.* An. 1477. fol. min.

Literæ initiales librorum elegantissime pictæ sunt.

25.

† *Stern Messiæ geschrieben wider die Juden von Bruder Peter Schwarz, Prediger Ordens. Eslingæ.* 1477. *per Conradum Feyner von Gerhausen.* in 4.

26.

† *Jac. de Alvarottis Opus. Venet.* 1477. fol.

27.

† *Oppianus de piscibus translatus per Laurentium Lippium Collensem. impr. in Colle oppido municipio Florentino per Gallum cognomine Bonum.* 1478. in 4.

28.

Lactantius. Venet. 1478, *impendio Jo. de Colonia & Jo. Manthen de Gherezem.* fol.

29.

† *S. Hieronymi Cardin. Presbyt. Vitæ Patrum* &c. *Norimb. per Ant. Koburger,* 1478. fol.

Huic libro, cujus litera initialis B. nitidissime picta oculos jucunde pascit, sequentia sunt inscripta: *Anno Domini M CCCC septuagesimo nono prima dominica post visitationis Marie obiit honesta mu-*

lier Margaretha Schampachin junior in Nurnberga, ob cujus memoriam datus est conventui Fratrum Ordinis Prædicatorum in Stutgartenn præsens liber, cujus anima requiescat in pace. Orate pro anima ipsius. Appicta sunt duo insignia cum effigie hominis demortui, nudi, & a vermibus arrosi &c.

30.

† *Fabulæ Philelphi. Venetiis expensis M. C.* 1480. in 4.

31.

† *Guil. Duranti Rationale divinorum Officiorum. Norimb.* 1481. fol.

32.

Claudii Ptolomæi Cosmographia.

Opus Donni Nicolai Germani secundum Ptolomæum finit Anno M CCCC LXXXII. Ulm per Leonardum Hol. fol.

33.

† *Der Sachsen Spiegel. Aug. per Jo. Schönsperger.* 1482. fol.

34.

† *Fasciculus temporum. Basil. per Bernh. Richel.* 1482. fol. min.

35.

35.

† *Der Seelen Wurzgart.* cum fig. *Ulm.* *per Conr. Dinckmut.* 1483. fol.

Hic liber agit de veritate religionis Christianæ.

36.

† *Das Buch der Weissheit der alten Weisen von Anbegin der Welt von Geschlecht zu Geschlecht. Ulm. per Leonh. Hol.* 1483. cum fig. fol.

Hic liber varios complectitur apologos.

37.

† *Von dem Concilio zu Costanz. August.* 1483. *per Ant. Sorg.* fol.

38.

Tabulæ Astronomicæ Alfonsi Regis cum Canonibus Joannis de Saxonia. 1483. *per Erhardum Ratdolt.* in 4.

Finis tabularum Astronomicarum Alfontii Regis Castellæ: impressionem quarum emendatissimam Erhardus Ratdolt Augustensis mira sua arte & impensa felicissimo sidere complere curavit Anno salutis 1483. *Sole in* 20. *gradu Cancri gradiente hoc est*

4. *non. Julii. Anno mundi* 7681. *Soli Deo dominanti astris Gloria.*

Kalendarium Joannis de Monte Regio. August. per eundem. 1483.

39.

Centiloquium Ptolomæi cum commento Hali. Venet. per eundem. 1484. in 4.

40.

† *Martyrologium nach dem Calender. Argentor. per Jo. Prüss.* A. 1484. fol.

41.

† *Hugo de S. Victore de Sacramentis. Argent.* 1485. fol.

42.

† *Æneæ Sylvii Epistolæ. Norimb. per Ant. Koburger.* 1486. in 4.

43.

† *Petri Comestoris Scholastica Historia. Basil.* 1486.

44.

Ovidii Opera Omnia. Venet. per Bernardinum de Novaria. 1486. fol.

45.

† *Thom. a Kempis von der Nachfolge Christi. August.* 1486. in 4. *per Ant. Sorg.*

46.

Apuleji Opera. Vicentiæ per Henricum de sancto Urso. 1488. fol.

47.

† *Vocabularius utriusque Juris. Argent.* 1490. fol.

48.

† *Summorum Pontificum privilegia, quibus Ordo Cistercienfis contra omnes injurias & insultus est munitus. Divione, per Petrum Metlinger Alemannum.* 1491. in 4.

49.

† *Fasciculus temporum.* Germanice. ad annum usque 1492. fol.

50.

† *Das Abc der Göttlichen Liebe von der Erhebung Menschlichen Gemüts in GOtt ex Tract. de imitatione Christi in Germanicum sermonem translatum per Joannem Michaelem, Carthusiæ Buxheimensis Monachum. Memmingæ, per Alb. Kunne de Duderstat.* 1493. in 4.

51.

† *Martialis cum comment. Calderini. Venet. per Bartholomæum de Zanis de Portesio.* 1493. fol.

52.

† *Persius cum comment. Barth. Foncii. per Antonium de Bactibobus.* fol. 1493.

53.

Nic. Perotti Cornucopiæ. Venet. per Jo. de Tridino alias Tacuinum. 1496. fol.

54.

† *Tractato die Maestro Domenico Benivieni Prete Fiorentino in defensione & probatione della doctrina & prophetie predicate da Frate Hieronymo da Ferrara nella Citta di Firenze, impresso in Firenze per Ser Francesco Bonaccorsi adi XXVIII. di Maggio* M CCCC LXXXXVI. in 4.

55.

Jamblichus de mysteriis: Proclus in Platonicum Alcibiadem, & de Sacrificio & magia: Porphyrius de dæmonibus: Synesius de Somniis: Psellus de dæmonibus &c. Latine. *in ædibus Aldi. Venet.* 1497. in fol.

56.

56.

† *Tractatus de Potestate Imperatoris ac Papæ: & an apud Papam sit potestas utriusque gladii: & de materia consiliorum: qui appellatur Monarchia. Editus per Antonium de Rosellis de Aretio. Una cum replica Inquisitoris Germaniæ fratris Henrici Institoris. Venet. per Jacobum de Leucho, expensis Petri Lichtensteyn.* 1499. fol.

57.

† *Die Cronice van der billiger Stat van Cœllen. Colon. per Jo. Kœlhoff.* 1499. fol.

58.

Persius cum Cornuti, Jo. Britannici & Barthol. Foncii commentariis. Venet. per Jo. de Tridino. 1499. fol.

59.

† *Eine Chronick mit figuren von Anfang der Welt. Augustæ.* 1500. fol.

60.

† *Hieronymi Epistolæ.* absque loci, anni & typographi indicio. fol. Editio antiquissima.

A. 1471. Opus hoc compactum est.

61.

† *Æneæ Sylvii Epistolæ & varia Opuscula.* fol.

Ex Udalrici Galli Officina prodiisse videntur.

62.

† *Prognosticatio Bruders Lolhart.* cum fig. fol.

63.

Platonis Opera ex versione Ficini. fol. *Florentiæ per Laurentium Venetum.*

Prima editio. (z)

64.

† *S. Hieronymi Vitæ Patrum Sanctorum* &c. *Ulm. per Jo. Zainer.* fol.

65.

† *Legendæ Sanctorum regni Hungariæ in Lombardica historia non contentæ.* fol.

66.

† *Isidori Origines.* fol.

67.

(z) Vide, si placet, quæ de ea dixi in Parte I. p. 90. sqq.

67.

† *Libellus consolatorius ad instructorium devotorum, quem quidam appellant libellum de imitatione Christi.* fol.

In calce: *Viri egregii Thome montis sanctæ Agnetis in Trajecto Regularis Canonici Libri de Christi imitatione numero quatuor finiunt feliciter per Gintherum Zainer ex Reutlingen progenitum.* Huic volumini inserti quoque sunt varii alii tractatus, eodem, ut videtur, charactere excusi, v. g. *B. Hieronymus de Viris illustribus; idem de essentia divinitatis: Augustini Soliloquium: Speculum peccatoris: Errores Judæorum extracti ex Talmud: Probationes Novi Test. ex V. T. per quas doctrina Talmud improbatur, & dicitur liber contra errores Judæorum* &c.

68.

Theocritus Latine redditus per Philethicum. impr. per Eucharium Argirium. in 4.

69.

† *Epistolæ Magni Turci a Laudinio equite Hierosolymitano editæ.* in 4.

70.

† *Die Güldene Bibel. Augustæ Vindel.* fol. (*a*).

71.

† *Fratris Henrici Ariminensis tractatus de quatuor Virtutibus cardinalibus ad Cives Venetos. Spiræ.* 1472. fol.

Hunc tractatum edidit, eique contentorum tabulam ordine alphabetico præmisit Thomas Dorniberg, Memmingensis, sacrorum Canonum & artium liberalium Doctor, de quo videsis Robertum Gerium (*b*). Hoc vero opus cum sequentibus superius suo loco recensere neglexi.

72.

Roberti de Licio opus quadragesimale. Basil. per Bern. Richel & Mich. Wensler. 1475. fol.

73.

(*a*) Liber hic ex Latino sermone, quo A. 1475. Ulmæ, in fol. ex officina Jo. Zeiner de Reutlingen prodiit, translatus continet collectanea Biblica, in certos titulos digesta, ut adeo inter editiones biblicas referendus haud sit, quod ad Longii Bibliothecam S. P. I. f. 252. notandum, qui ita de eo: *An hoc exemplar sacros contineat codices, non indicavit mihi Cl. Ottius, qui illud recenset in commentariis suis MSS.*

(*b*) In Appendice ad Partem II. Historiæ liter. Script. Eccles. Guil. Cavei f. 311.

73.

† *Guil. de Ockam in primum librum sententiarum.* A. 1483. fol.

74.

† *Chronicon Hartmanni Schedelii, Noribergense vulgo dictum.* Germanice. *Norib. per Ant. Koburger.* 1493. fol. cum figuris.

Rarius hoc Chronicon eo ipso anno Latino quoque idiomate ex eadem officina prodiit, cujus duplex exemplum Bibliotheca nostra publica possidet.

75.

† *Sant Brandons Leben. Ulm. per Jo. Zainer.* 1499. in 4. cum figuris.

76.

† *Liber moralizationum Biblie. Ulm. per Jo. Zeiner de Reutlingen,* 1474. fol.

77.

† *Soliloquium Hugonis in modum dialogi.* fol.

78.

† *Chronica von allen Kaysern und Königen von Christi Geburt an.* fol.

XIII.

XIII.

Libri alii rariores, e multis pauci.

I.

Conradi Celtis (c) *Protucii primi inter Germanos imperatoriis manibus poëtæ laureati IV. Libri amorum secundum quatuor latera Germaniæ. Norib.* 1502. in 4. Mäj.

2.

Pleraque Ulrici Hutteni opuscula, ea etiam, quæ Clar. Jac. Burkardus inter rarissima computat.

3.

Theurdank. Norinb. A. 1517. fol. cum figuris nitidis.

De hoc libro vide, si placet, quæ Part. II. p. 430. s. diximus. Hæc editio rarissima est, paucisque visa, vere Bibliothecæ cimeliis accensenda. In fine se-

(c) De vita, fatis & scriptis Conradi Celtis elegantissimam commentationem Vir longe Celeberrimus Nic. Hieron. Gundlingius Observationum suarum selectarum Tom. I. p. 1. sqq. inseruit.

sequentia leguntur: *Getruckbt in der Kayserlichen Statt Nürnberg durch den Eltern Hannsen Schönsperger Burger in Augspurg.*

4.

Idem. Augustæ Vindel. A. 1519. *per eundem* in fol.

Utrique editioni accessit clavis.

5.

Rituum Ecclesiasticorum sive sacrarum cerimoniarum SS. Romanæ Ecclesiæ Libri tres non ante impressi. Venet. 1516. *per Gregorios de Gregoriis.* fol.

Hujus operis autor fuit Augustinus Patricius Picolominæus, Episcopus Pientinus (*d*) editor Christophorus Marcellus, electus Archiepiscopus Corcyrensis, in cujus præfatione ad Leonem X. nulla veri authoris fit mentio. Cum in lucem vix prodiisset, privilegio Leonis Pont. Max. munitum, Paris de Grassis, tum temporis ceremoniarum in aula pa-

(*d*) Sub Innocentio VIII. P. M. ceremoniarum magister, cujus epistolam ad istum Pontificem A. 1488. datam, & Libro Ceremoniarum MSto præmissam Mabillonius in Musæi Ital. Tom. II. p. 584. sqq. exhibet. Minus recte ergo operis autor Paris Crassus dicitur in Plac. Theatr. An.

pali magister, acerbissimas coram Pontifice & Cardinalibus contra editorum effudit querelas, quod præter jus atque fas vero authori sua eripuerit, plagii reus, quod librum mutilaverit variisque in locis corruperit, quod denique res religioso tegendas silentio temere divulgaverit. Ita autem is inter alia in libello supplici, Pontifici oblato: *Novit jam pridem S. T. omnem Romanorum Pontificum auctoritatem; omnem majestatem hujus sacrosanctæ sedis pendere ex animis opinionibusque principum & prælatorum. Dum enim illi summos pontifices non tanquam mortales homines, sed tanquam Deos in terris existimant & credunt: illis se sponte sua subjiciunt, illis parent, illos suspiciunt ac venerantur, & etiam adorant; incredibilique quadam afficiuntur admiratione, cum aliquando audiunt aut vident supra humanum opus ab illis per eas, de quibus agimus, ceremonias in sanctorum numerum quempiam referri; Pontifices tanta solemnitate tantaque observatione eligi atque sanctificari; imperatores coronari, reges inungi, cardinales assumi, patriarchas, archiepiscopos, episcoposque consecrari, ac cetera effici, quæ tum rerum magnitudine, tum*

tum varietate divinitatem quandam præ se ferre videntur. Quod si sacrorum arcana pandantur, & sacræ publicentur ceremoniæ, ilico futurum est, ut omnis opinio minuatur, ut pontificia autoritas elanguescat necesse est. Suberit exemplo summus pontifex vel uniuscujusque plebeji hominis censuræ. Alius ritus non recte a majoribus ordinatos redarguet: alius non observatas traditiones objiciet: alius morem cultumque sacrorum perperam interpretabitur: alius gestus deridebit & subsanabit. Et cum antecessores tui consueverint, pro tempore, pro loco, pro necessitate ceremonias quandoque mutare; non erunt sumi pontifices sui arbitrii, neque sine vulgi murmuratione id exequi poterunt, utcumque res familiari cognitione in contemtum adducent &c. Hæc, etsi prolixiora, ex Mabillonii Musæo Italico (*e*) delibare haud piguit, quod scitu non sint indigna, liberque iste paucorum in manibus versetur: unde etiam sequentia (*f*), ex ipsis Paridis de Grassis commentariis MSStis petita, & ad operis laudati historiam pertinentia, enotare visum est: *Hanc epistolam cum in manibus Papæ dedissem, legissetque libenter & avide — versus*

(*e*) Tom. II. p. 588. sq. (*f*) l. c. p. 592.

sus ad cardinales aliquos, qui sibi forte adhærebant, dixit me rationem habere super petitionibus meis: & librum ceremoniarum nuper impressum omnino comburi simul cum falso auctore, sicut postulassem, aut saltem ipsum auctorem corrigi & castigari omnino debere prout præsentibus videretur. Itaque ad primum consistoriũ rem & causam differre, ut in ipso consistorio proponerem, prout proposui audientibus omnibus; & tandem Papa mandavit tribus Cardinalibus — — ut petitiones meas ad partes plenius intelligerent, & me, prout juris fuerit, ac sibi videretur, expedirent tam super libro comburendo, quam auctore castigando, & ad Urbem citando personaliter & comparendo. Itaque quid sequetur, hic etiam successive adnotabo. Sed reliqua, hanc causam spectantia, l. c. deesse doleo. Mabillonius tamen (*g*) Paridis postulationem pro ejus votis haud successisse memorat, cum neque liber editus, neque ejus editor ignis pœnam sustinuerit. Interim hujus operis editio Veneta rarissima est; immo nec altera, quæ Coloniæ Agrippinæ A. 1557. lucem adspexit

(*g*) In Commentario prævio in ordinem Romanum pag. VII. Tomi II. Musæi Italici.

xit (*b*), facile obvia. In compendium quoque redactum prodiit Germanice A. 1565. in 4. h. t. *Bapsts Gepreng auss dem Ceremonien Buch: auch etliche Ceremonien der Bischoffe, auss ihrem Pontifical sehr fleissig gezogen.* Nonnulla etiam inde decerpta in Wolfii Lectionibus Memorabilibus (*i*) exhibentur. Notatu vero dignum est, ipsius Paridis, qui hujusmodi arcana in apricum haud proferenda esse adeo vehementer contenderat, libros duos de ceremoniis Cardinalium & Episcoporum in eorum Dioecesibus posthac Venetiis A. 1582. apud Petrum Dusinellum in 4. typis excusos fuisse. Eorum ego exemplum manu exaratum possideo, & quidem illud ipsum, quod Ottoni Truchses R. E. Cardinali Episcopo Albanensi & Augustano, cui a Francisco Mucentio Romano dedicatum est opus, oblatum esse videtur, cum ejus insignia eleganti ligaturæ nitide sint impressa. Aliqua ex dedicatione, quæ editioni Venetæ fortassis præmissa haud est,

 heic

(*b*) Vid. El. Ehingeri Catalogum Bibliothecæ Augustanæ. f. 168.

(*i*) Tomo II. f. 701.

heic apponam: *Auther illius Paris Crassus Bononiensis celeberrimus suo tempore sacrarum ceremoniarum antistes, operam suam in eo munere per triginta & amplius annos apud summos Pontifices Alexandrum VI. Julium II. Leonem X. Hadrianum VI. Clementem VII. summo studio ac diligentia & magna cum laude præstitit, ac demum ob ejus merita episcopus Pisaurensis effectus est. Eum librum scripsit in gratiam Jo. Stephani Ferrerii Cardin. Bononiensis ecclesiæ perpetui tunc administratoris: in quo minutatim ac miro ordine omnia recensentur ac disponuntur, quæ per pontifices in eorum diœcesibus morantes circa divinum cultum observari debent sumpta quidem illa ex frequenti usu cappellæ (ut vocant) papalis, ex qua omnes exemplum sumere debent: ita tamen accommodata, ut distincte cognosci possint, quæ communes, quæ item summi Pontificis, quæ Cardinalium, quæ episcoporum propriæ cerimoniæ sint; atque inde affatim omnes præcepta haurire possint, quibus ad sacra ministeria instruantur.* Cæterum de Crasso conferri etiam meretur P. Bailius (*k*).

6. Cal-

(*k*) In Dictionar. Tom. II. Art. de Grassis fol. 1300. sq.

6.

Calculator Ricardi Suisseth Anglici. Accessit Victoris Trincavelli Veneti quæstio de Reactione juxta doctrinam Aristotelis & Averrois. Venet. 1520. *per hæredes Octaviani Scoti civis Modoëtiensis ac sociorum.* fol.

De hujus libri raritate testimonium Gabr. Naudæi adduxi in Parte II. p. 414.

7.

Pasquillorum Tomi duo, quorum primo versibus ac rhythmis, altero soluta oratione conscripto quam plurima continentur ad exhilarandum confirmandumque hoc perturbatissimo rerum statu pii lectoris animum apprime conducentia. Eleutheropoli. 1544. 8.

Hos edidisse perhibetur Cœlius Secundus Curio. Carmina procedunt a pag. 1. usque ad pag. 122. Pleraque adjecta etiam sunt Thomæ Naogeorgi Regno Papistico, A. 1553. in 8. edito, ubi præterea complura alia hujus generis leguntur.

8.

Antithesis Christi & Antichristi, versibus & figuris venustissimis illustrata. Genev. 1578. 8.

Hanc Jo. Wolfius Lectionum Memorabil. Tom. II. f. 711. inseruit. Prodiit etiam A. 1557. in 8. (*l*)

Expositio imaginum olim Nurenbergæ repertarum ex fundatissimo veræ Magiæ vaticinio deducta per D. Doctorem Theophr. Paracelsum. A. 1570. 8.

9.

Sermones de fide Bernardini Ochini Senensis. A. 1544. in 8.

Sermones ejusdem stampata in Genua. 1543. in 8.

Zwanzig Predigen Bernhardini von Siena. Neuburgi Danubii. 1545. in 4.

Bernardini Ochini Senensis de Purgatorio dialogus. Tiguri apud fratres Gesneros. Præfatio data est A. 1555. in 8.

Ejusdem Dialogi XXX. in duos libros divisi, quorum primus est de Messia, continetque dialogos 18. secundus est cum de rebus variis, tum de Trinitate. Basil. 1563. in 8.

Auslegung der Epistel S. Pauls zum Römern durch Bernh. Ochinum. 1546. *in* 8.

Di-

(*l*) De hoc & aliis hujus generis libris vide Observat. Halens. Tom. IV p. 171. sqq.

Disputa di M. Bernardino Ochino da Siena intorno alla presenza del corpo di Giesu Christo nel Sacramento della Cena. Non mai per l'adietro stampata in Basilea. MDLXI. in 8.

Bernh. Ochini 5. *Bücher seiner Apologen durch Christoph Wirsung verteutscht.* 1559. in 4.

Ob dialogorum libros Tiguro olim ejectus fuit Ochinus, quod polygamiam inibi defendere videbatur. De hoc Viro ejusque scriptis Legi omnino merentur Observationes Halenses Tom. IV. p. 406. sqq. & Tom. V. p. 1. sqq.

IO.

Petri Pauli Vergerii Opera. Tubingæ junctim edita. Tomus I. A. 1563. in 4. (*m*)

Ejusdem quoque nonnulla rariora seorsim adsunt: v. g.

Il Vergerio a Papa Giulio terzo, che ha approvato un libro del Mutio, intitulato le Vergeriane.

Risposta del Vergerio ad una ambasciata del Cardinal di Trento. Nell' anno M D LIII.

Delle commissioni & facultà che Papa Giulio III. ha dato a M. Paolo Odescalco Comasco

K 5 *suo*

(*m*) Vid. Amœnit. Tom. II. p. 407. sq.

suo Nuncio & inquisitore in tutto il paese di magnifici Signori Grisoni. Al signor P. Antonio di Nassale Atanasio. Nell' anno MDLIIII. in 8.

II.

Canones & Decreta SS. Oecumenici & Generalis Concilii Tridentini sub Paulo III. Julio III. Pio IIII. Pontificibus Max. Romæ apud Paulum Manutium Aldi F. MDLXIIII. in charta cœrulei coloris & formæ augustæ.

Editio prima & perrara.

12.

Le Cabinet de Roy de France, dans le quel il y a trois perles precieuses d'inestimable valeur: par le moyen desquelles sa Majesté s'en va le premier Monarque du monde & ses sujets de tout soulagez. MDLXXXI. in 8. (*u*)

13.

Statuta urbis Romæ auctoritate Gregorii XIII. P. M. a Senatu populoque Romano reformata & edita. Romæ. in ædibus populi Romani. 1580. fol.

14.

Illustraciones Genealogicas de los Catholicos Reyes de las Españas, y de los Christianissimos de Francia, y de los Emperadores de Constan-

(*u*) Vid. hujus opellæ Partem II. p. 342.

stantinopla, hasta el Catholico Rey nuestro Sennor Don Philipe el II. y sus serenissimos hijos &c. compuestas por Estevande Gariabay, Chronista del Catholico Rey su Padre, y con su Real privilegio impressas. Ell Madrid por Luis Sanchez. A. 1596. fol. reg.

Transeo alios Hispanici idiomatis libros.

15.

Hieronymi Vecchietti Florentini ab Ægypto Doctoris Theologi de Anno primitivo mundi ad annum Julianum accommodato & de sacrorum temporum ratione Libri Octo; eorum particulares tituli per singulos leguntur in altera superficie. Opus ingens ex superiorum permissu Augustæ Vindelicorum impressum domi & expensis ipsius Auctoris per Andream Aperger anno Christi Domini ecclesiastico M D CXXI. absolutumque sub feria tertia Sancti Paulini Episcopi in numero dierum 2035400. *a Creatione, cum vetitu ne ab aliquo intra decennium excudatur.* in fol. reg.

Primus est rerum fundamentalium.
Secundus historiarum exoticarum.
Tertius Scripturæ Veteris.
Quartus Gratiæ Evangelicæ.

Quin-

Quintus rerum consequentium.
Sextus ultimarum successionum.
Septimns significationum novissimarum.
Octavus totus est tabularum majorum.

Perrari atque publica authoritate suppressi hujus operis, quod Clar. Wendlerus (*o*) merito vastissimum ac sumptuosissimum vocat, duplex adest exemplum. Præter consuetum morem ipse author illud privilegio muniit, vetuitque, ne ab aliis infra decennium recudatur, hac obtestatione lectorem compellans: *Non aliqua supereminens potestate, nullo insignitus honore, nulla prærogativa conspicuus; sed illam solummodo intuens convenientem quæ ex tot laboribus sibi debetur observantiam, & quod sui juris sit de re propria libere disponere; tali fretus confidentia, omnibus & singulis librorum impressoribus ubique per totam Europam existentibus inhibet Auctor, ne infra decennium hoc opus etiam quod in aliam linguam conversum sit excudere audeant. Qui secus fecerint, nequiter se gessisse cognoscant, & nequaquam inter bonos homines esse connu-*

(*o*) In Diss. de variis raritatis librorum caussis. §. XI.

numerandos. Præfixæ sunt quatuor dedicationes: I. ad Christum, Mariam & Ecclesiam. II. ad Gregorium XV. Pont. Max. III. ad Ferdinandum II. Rom. Imper. IV. ad Jacobum II. Angliæ Regem. Digna nobis videntur, quæ hic apponamus, verba Jani Nicii Erythræi (*p*), fata hujus libri & authoris sic describentia: *Edidit insignem librum, in charta, ut ajunt, regia, magnis sumtibus, Augustæ Vindelicorum impressum, sed censorum animadversione in multis ac maximis vitiis deprehensum, ac propterea superiorum decreto cautum, ne in manus hominum perveniret. Etenim contra sacrarum literarum fidem, contra ecclesiæ universæ autoritatem, contra sanctorum Patrum sententiam conabatur ostendere, ex solis lunaque ratione, quam non bene, fortasse deceptus inierat, Christum Dominum pridie, quam pro nobis oppeteret, solemne illud paschalis cœnæ convivium una cum suis non celebrasse, & cum posset, temere dicta vel corrigendo vel interpretando, ex multis sese incommodis & ærumnis eximere, maluit severissimo Quæsitorum fidei causa ju-*

(*p*) In Pinacotheca. P. I. p. 196.

judicio se committere, atque ultro in vincula conjicere, ubi multos annos exacta jam ætate, in tenebris, in squalore, in sordibus jacuit; quam vel minima quidem ex parte de sententia decedere. Martyribus (q) igitur chronologicis fere annumerandus esse videtur Vecchietus. Hinc Jo. Frischmuth in Diss. de Quæstione vexa-

(q) Alium ejus generis ἐν παρόδῳ ex Wilh. Schikardi Tarich sive Serie Regum Persiæ p. 175. commemorare lubet, qui ob æram conditi orbis comburi se passus est, cum hujuscemodi martyres sint rariores, liberque iste minus obvius. Hunc vero is locum ibi ex Juchas. f. 134. b. a se Latine redditum producit: *Illo tempore (paulo antequam Hispania expellerentur) vixit Samuel Sarsa, qui scripsit commentarium legis & Michlol-Jophi. Audivi (ait corrector ejus editionis) quod Rabi magnus & excellens, Isaac Kinphanton (qui obiit Anno Jud. 5223. hoc est nostro 1463.) fuerit causa combustionis hujus viri. Cum enim aliquando congregarentur Rabini, ut recognoscerent syngrapham dotalem, dicerentque: hoc vel illo anno mundi, prout moris est: ille Sarsa, prehendens manu barbam, dixit; sic & sic habet! innuendo antiquitatem seculi, dum tenebat pilos barbæ suæ (vix certo numerabiles). Insurrexit vero adversus illum Rabi concitatus, & interrogavit: ecquare rubus ardens non consumtus est? (Exod. III, 3. indicare volens, tempora æque ac illud miraculum imperscrutabilia esse, nec ea propter contradicendum) Itaque duxerunt eum ad tribunal, & condemnarunt ad supplicium ignis, propterea quod asseruisset antiquitatem seculi coram judicio eorum.*

vexata: utrum agnum paschalem Salvator noster eodem die cum Judæis comederit; an vero festum ob instantem passionem suo paschate anteverterit? §. 1. & 2. ita fatur: *Hæc quæstio haud subinde intra verborum conflictum se continuit, sed quandoque in eum fervorem erupit, ut etiam pœnam & ergastuli durioris angustias pepererit dissentientibus. Damno id suo expertus dicitur Hieronymus Vecchietus. — — Sciscitanti, cur ob quæstionem philologicam vel historicam potius, quam theologicam & δογματικὴν in bonum illum Vecchietum tantopere sævitum sit a Romanis Inquisitoribus, respondemus, factum id esse propter consequentias, quæ inde eliciuntur. Problema enim philologicum natura mutata evasit inter Græcos & Latinos quæstio de fide, illis contendentibus Christum suo paschate Judæorum paschà antevertisse, pane non infermentato sed fermentato usum. Unde quæri cœptum est, utrum ἄζυμος an ἔνζυμος panis in cœna dominica adhibendus sit, quorum illud Latini, hoc Græci asseruerunt, suoque exemplo Christi factum exprimendum sunt arbitrati.* Sed J. H. Bœclerus (*r*) ob multa

vati-

(*r*) In Bibliographia Critica p. 155.

varicinia adversus urbem Romam sedemque papalem opus hoc omnino prohibitum fuisse asserit. Leo autem Allatius (*s*) hæc de eo habet : *Liber est apostolica authoritate proscriptus, & ejus de cœna Domini sententiam singulari libello de ea re edito Antonius Cappellus Franciscanus Conventualis refellere conatus est. Illius de toto opere acre sane legitur judicium Cap. I. Cum enim libri illi tria genera complectantur, theologica, astronomica, chronologica : in theologicis nihil ferme reperies, quod non insigni aliqua labe aspersum sit : astronomica sæpe videas errare toto cœlo : in chronologicis peccata innumera, nihil singulare.*

16.

Liber aureus inscriptus Liber conformitatum *Vitæ Beati ac Seraphici* P. *Francisci ad vitam JEsu Christi Domini nostri, denuo editus, correctus & illustratus a F. Jeremia Bucchio Utinensi sodali Franciscano Doctore Theol. Addita est brevis historia omnium virorum, qui sanctitate, probitate, doctrina &c. in Franciscana Religione* ad

(*s*) In Apibus Urbanis p. 136. edit. Romanæ.

ad hæc tempora excelluerunt. Bononiæ apud Alexandrum Benatium. 1590. fol.

Liber hic aureus, qui potiori jure impius & blasphemus dici debuit, tot ſcatet nugis atque ineptiis, ut, ſi in ullum, in hunc certe conveniat diſtichon illud:

R tenet Auſonium liber hic, tenet atque Pelasgum,
R tenet Hebræum, prætereaque nihil (t).

Autorem agnoſcit Bartholomæum de Piſis, primumque lucem vidit Mediolani A. 1510. quæ editio ipſa raritate rarior eſt. In Biblioth. Du Boiſiana P. I. p. 102. nec non in Catalogo Hiſtoricorum Fresnojo-Menkeniano alia quoque Mediolanenſis editio, A. 1513. curata, memoratur. In hac vero noſtra reſecta ſunt nonnulla, quorum ipſos puduit Franciſcanæ familiæ ſocios. Attamen ſatis adhuc ineptiarum ſupereſt. *Eraſmus Alberus* (u), *cum olim juſſu Electoris Bran-*

(t) Nil ſcilicet fere niſi errores. R namque Latinum exprimimus per ER, Græcum per RO, Hebræum per RES.

(u) Verba ſunt Jo. Lomejeri in Tract. de Bibliothecis. p. 140.

denburgici visitaret cœnobium Franciscanorum, Biblia quidem invenit nusquam, sed alios quosdam libros, tam horrenda & blasphema continentes, ut nemo sanus talia vel excogitari, vel scribi, nedum fidem apud alios mereri credere unquam possit: ex quibus, maxime vero ex libris Conformitatum S. Francisci, collegit librum, qui titulo Alcorani Franciscanorum circumfertur. Prodiit ille, quem ad manus habeo, cum præfatione M. Lutheri Wittenbergæ A. 1542. in 4. hac inscriptione ornatus: *Der Barfüsser Münche Eulenspiegel und Alcoran* (x). In præfamine editor Alberus præter alia: *Wenn die Wunderwerck, in der Barfüsser Alcoran geschrieben, alle geschehen weren, so möchte Franciscus samt seinen Brüdern Christo und seinen Aposteln wol trotz bieten. Denn Christus hat nur einmal aus Wasser Wein gemacht, Franciscus aber dreymal. Christus ward nur einmal transfigurirt; Franciscus aber zwanzig mal. Christus hat eine kleine Zeit Schmerzen seiner Wunden erlitten, Franciscus aber hat*

(x) Hic integer Relationibus Innocuis An. 1717. p. 205. sqq. 360. sqq. & A. 1718. p. 29. sqq. 252. sqq. 726. sqq. insertus est.

hat seine fünf Wunden zwey ganzer Jar nicht on geringe Schmerzen getragen. Franciscus und seine Brüder haben mehr denn tausend Todten auferweckt, mehr denn tausend Blinde sehend gemacht, mehr denn tausend Teufel von denen Besessenen ausgetrieben, mehr denn tausend Lame, beide Menschen und Vieh, Kühe, Kelber, Sew und Schafe gerade gemacht. In Summa, Christus hat nie nichts gethan, Franciscus hats im nachgethan, und viel mer gethan (y). Gallico etiam sermone in Bibliotheca Krafftiana servatur *l'Alcoran des Cordeliers, extrait mot a mot de ce malheureux livre des Conformitez de S. François &c. imprime per Conrad Badius.* MDLX. 2. volum. in 8. Immo Latine quoque *Alcoranus Franciscanorum Geneva* A. 1578. in 8. prodiit, contra quem *Apologiam pro libro Conformitatum Henricus Sedulius* Antwerpiæ An. 1607. in 4. vulgavit. Ex eodem libro excerpta vernaculo sermone Tubingæ A.

(y) Ita quoque ab Antonino Archiepiscopo Florentino in Historiali Parte III. tit. 23. & 24. Dominicus cum Christo comparatur, imo nonnunquam ipsi præfertur. vid. Hottomanni Fulmen brutum P. Sixti V. p. 25. sqq.

1591. in 4. edidit. Lucas Osiander h. t. *Ein schöner wolriechender Rosenkranz zusammen gebunden aus dem köstlichen, übertrefflichen Buch der Franciscaner Mönch, welches sie Librum Conformitatum nennen* &c. Varia quoque inde hausta Lectionum memorabilium & reconditarum Tomo I. fol. 621. sq. inseruit Joan. Wolfius. Locus de aranea in sacro calice per Franciscum imbibita, qui Zeæmanno tantum excitavit molestiæ, cujusque in secunda opellæ meæ parte p. 549. mentio facta, hic est: *In Aprutio jacet frater Franciscus. Iste dicendo missam, reperit in sanguine Christi in calice araneam, & nolens araneam sanguine Christi intinctam extra projicere, calicem cum aranea bibit. Sed post frater ipse fricans crus & scalpens, ubi pruritum sentiebat, ipsa aranea sine fratris lesione aliqua e crure exivit* (z).

(z) Exhibet eum e rarissima Conformit. editione Mediolanensi A. 1510. quæ in Bibliotheca Onoldina extat, El. Ehingerus in Histor. Eccles. Sec. XV. p. 818.

17.

Annales rerum belli domique ab Austriacis gestarum per Gerardum de Roo. Oeniponti 1592. cum figuris egregie illuminatis. in fol.

Hæc editio est rarissima ob exemplarium impressorum paucitatem: at An. 1709. Halæ Magdeb. cura Celeb. Nic. Hier. Gundlingii recusum est opus. Adest etiam versio Germanica Conradi Dieterici de Weidenberg.

18.

Christoph. Besoldi Documenta redivi-va Monasteriorum præcipuorum in Ducatu Wirtembergico sitorum, quibus præmissa est summaria deductio libertatis, immedietatis aliorumque jurium illis monasteriis competentium, juncta nonnullorum argumentorum resolutione succincta. Tubingæ. 1636. in 4.

19.

Ejusd. Virginum Sacrarum Monumenta in Principum Wirtembergicorum ergastulo literario justâ annorum centuria injusta detenta captivitate &c. ibid. eod. (*b*).

(*a*) Vid. Tom. II. p. 341. sq.

20.

Prodromus Vindiciarum ecclesiasticarum Wirtembergicarum sive succincta & in compendium redacta demonstratio, quod Monasteria in Wirtembergia, quæ Aug. Imperator noster D. Ferdinandus II. jure & armis Deo & Ecclesiæ restituit, sint libera, & Ducum jurisdictione immunia, emissa in publicum, & missa in antecessum, dum plenior ejusdem argumenti tractatio sequatur. A. C. MDCXXXVI. in 4.

Perrarum esse hunc Prodromum, qui diversus est a summaria deductione libertatis Monasteriorum Wirtemb. Documentis præmissa, vel exinde auguror, quod nec in Catalogo Historicorum Fresnojo-Menkeniano p. 188. nec in Bibliothecæ Historicæ Hamburgensis Cent. VII. ubi reliqua Besoldi Opera recensentur, ejus injecta sit mentio.

21.

Offenbahrung der Göttlichen Majestät, gedrukt bey Johann Wolf Däschen, im Hanauischen Buchladen. 1619. in 4.

Autor operis est Ægidius Gutmann, portentosi vir ingenii. *Tituli species*, verba

verba sunt Celeb. Struvii (*b*), *tantam libro caritatem fecit, ut vel quinquaginta Joachimicis olim venderetur. Maxime cum vel theologi, mystici, chymici, magici, medici, astrologi & quivis alii in eodem arcana plurima recondita quærerent detecta. Explicatio est hexaëmeri, qua integra creationis historia per quæstiones singulas declaratur, atque tales, quæ ex omni theologia & rerum sublimium arcanis sunt petita* (*c*). Nescio, an secunda hujus

 libri

(*b*) In Introduct. in Notitiam rei literariæ. Cap. IX. p. 455.

(*c*) Integrum opus nonnisi commentarium, vel potius commentarii duntaxat sciagraphiam complectitur in Caput I. Geneseos, quod inexhaustum omnium scientiarum oceanum esse duxit autor, in præfatione ita inter alia disserens: *Bey den kleinverständigen Menschen scheinets ganz unglaublich, dass unter einem jeglichen Wort, so in diesem ersten Capitel verfast, ein solches grofs und gewaltiges Buch begriffen seyn sollte, wo dasselbige seines würdigen Innhalts nach lengs ausgeschrieben sollt werden; dass es die ganze Landschaft Europa nicht verfassen, viel weniger ertragen möchte* &c. Eadem ingenii fœcunditate præditum fuisse oportet Ascanium Martinengum, quem in glossa magna in Cap. I. Genes. omnia, quæ ad totam rerum naturam pertinent, congessisse refert Morhofius Polyh. T. I. L. I. C. XXI. p. 261. Sic Wilh. quoque Schikardus in Bechinath Happeruschim p. 141. duorum Judæorum meminit, quorum pri-

libri editio, quæ cura Henr. Ammerbachii Amſtelodami 1675. in 4. prodiit, frequentius ſit obvia. Primam vero rariſſimam eſſe, vel exinde conjecturam facio, quod labore haud exiguo deſcriptum a nonnullis fuerit iſtud opus, quale exemplum calamo exaratum mihi ad manus eſt.

22.

Der kleine Catechismus Lutheri für die gemeine Pfarrer und Prediger. Lipſ. in 8. 1544.

Miraris fortaſſe, quod huncce libellum in rariorum librorum referam cenſum: ſed ex hac ratione id facio, quia in pagina ligaturæ agglutinata ipſa beati Megalandri manu ſequentia adſcripta ſunt:

---

primus ſuper partem aliquam capitis I. Geneſ. duo ſpiſſa ſcripſit volumina, & occaſione lucis totam Opticen, occaſione plantarum totum Herbarium, occaſione animalium totam phyſicam, prodigioſa μελαβασ ... ἀλλογενος inibi pertractavit: alter occaſione aſtrorum totam Matheſin impertinenter immiſcuit. Alius, ut idem refert, Raf Schemuel filius Cophni occaſione profectionis Jacobi (Geneſ. XXVIII. 10. & exivit Jacob.) totum itinerarium, & occaſione ſomnii (Gen. XXVIII. 12. & ſomniavit) totam ὀνειρολογιαν & modos interpretandi ſomnia docuit.

sunt: *Exodi 20. Ich der HERR bin dein GOtt, du solt nicht &c. GOtt heisst, der alles vermag, und alles thun will, was man bittet, wie auch die Heyden alles bey ihren Abgöttern suchen. Aber wir haben ein rechten GOtt, der do HERR heisst, der will uns vielmehr thun, dann wir bitten. Hie höret Glaub und Gedult zu. Mart. LutheR D 1544.*

23.

Præcipui doctrinæ Christianæ articuli, ex Latina, Germanica & Vandalica lingua in Croaticam translati, & literis Cyrulicis impressi. Tubingæ. in 4. (*d*)

Præfatio data est per Primum Truberum Carniolanum Anno 1562.

24.

Adversus caninas Martini Lutheri nuptias, adversusque alia ejusdem, vel gentilibus abominabilia paradoxa, opus novum fratris Conradi Kœllin Ulmensis, (*e*) *sacræ theologiæ Professoris studii Colon. Ordinis Prædicatorum regentis, ac per Moguntinam, Tre-*

 ve-

(*d*) Vid. Amœnit. T. II. p. 401.

(*e*) Vid. de ipso Tom. I. p. 308.

verensem ac Coloniens. provincias hereticæ pravitatis Apostolica authoritate inquisitoris. Tubingæ. 1530. in 8.

25.

Benedicti Spinozæ Tractatus theologico-politicus, Opera posthuma & principia philosophiæ Cartesianæ, more Geometrico demonstrata. in 4.

26.

Julii Cæsaris Vanini de Admirandis Naturæ, reginæ deæque mortalium arcanis Libri quatuor. Lutet. 1616. in 8.

27.

Claviculæ Salomonis & Theosophia Pneumatica, cura Andreæ Luppii. Vesaliæ, Duisburgi & Francof. 1686. in 4. aliaque hujus furfuris scripta, ab eodem edita.

In paucorum manibus esse hosce libellos, suppressis scilicet ab ipso editore exemplaribus, cum periculum capiti imminere rescisseret, monetur in nova Librorum rariorum collectione p. 747: ubi etiam prolixius de Claviculis Salomonis differitur.

Intactas relinquo præstantissimas variorum authorũ editiones Aldinas, Juntinas, Amerbachia-

bachianas, Frobenianas, Gryphianas, Plantinianas, Stephanianas, Valgrisianas, &c. Neque commemoro libros, figuris artificiosa Alberti Düreri manu ligno ærique incisis conspicuos. Hoc saltim adjicio, nec ab externis ornamentis Bibliothecam, cujus memorabilia enarramus, destitutam esse: imagines volo & statuas dimidiatas, quarum hic duodecim conspiciuntur ex marmore sex ex & alabastro non heri demum & nudius tertius confectæ, sed pleræque ex ipsa antiquitate petitæ, & veneranda canitie spectabiles. Ne quid dicam de peculiari Museo, rarissimis picturis, sculpturisve, variisque etiam antiquitatis monumentis, imagunculis scilicet æreis, instrumentis, urnis, lampadibus, aliisque vetustatis reliquiis & cimeliis superbiente.

Habes hic, amice Lector, secessus mei Ulmensis delicias, nunc Te dimitto. Tu Perillustri Domino Possessori fausta quæque & fata ad vota semper fluentia ex animo mecum adprecaberis. Ejusque nomen æternis fastis inter tot Illustres Musarum Patronos, quorum memoria omnibus literarum cultoribus merito gratissima atque immortalis est, inserendum esse censebis.

II.

II.

CATALOGI (a) LIBRORVM ARABICORVM, PERSICORVM, TURCICORUM, ET HEBRAICORUM, ASTRONOMICORUM, MEDICORUM, HISTORIC. ET PHILOSOPHICORUM IN

(a) Cum hactenus Orbis literati plausibus fuerit exceptus Catalogus MSStorum Bibliothecæ Mediceæ, ab Henrico Ernstio olim Amstelod. A. 1641. vulgatus, licet ex pagellis duntaxat cuilibet pluteo affixis sine privata codicum inspectione compositus, nec non alius, quam Apparatui sacro inseruit Ant. Possevinus, etsi mancus, tertius quoque Guilielmi Langii studio confectus, ac a Celeb. J. A. Fabricio cum Lambecii Prodromo Historiæ liter. publicatus, quartus denique Lucæ Holstenii, a Præstantissimo Lilienthalio inter selecta historica & literaria T. I. p. 91. sqq. luci expositus: hi certe, quos primus ex thesauro Krafftiano edo, eruditis non possunt non esse gratissimi, utpote ab ipso πολυμαθεστάτῳ Magliabechio, qui optime cognita habuit Bibliothecæ Mediceæ κειμήλια, scripti, ac plurima, quæ in cæteris frustra quæras, suppeditantes. Ex numeris adjectis facile, alius etiam generis Orientalium librorum catalogos a viro literatissimo fuisse confectos, auguror. Philosophici Codices ultimo loco comparent, cum juxta numeros primus ipsis deberetur; Sed hunc quoque ordinem in MSto servatum reperi. Cæterum Italico idiomate, quo ipse author usus est, eos exhibere placuit, ne nativus illis decederet decor.

IN BIBLIOTHECA PALATIANA MAGNI DVCIS ETRVRIÆ, MANU ANTONII MAGLIABECHII (*b*) SCRIPTI, NVNC PRIMVM EX AVTOGRAPHO (*c*) EDITI.

Astronomici 82.

LIbro Persiano che contiene Le Tavole Astronomiche di Nassir Eddin Turco. La sua Prefazzione che comprende vna Istoria in Ristretto dé Mogoli, e dell' Occasione del Componimento di queste Tavole, è curiosa, e per tanto ne tradurrò la maggior Parte.

Iddio

(*b*) Quis quantusque fuerit Magliabechius, neminem, nisi qui literas nec a limine quidem salutavit fugit. Ejus unius judicio plus se tribuere, quam mille aliis C. S. Schurzfleischius in Epistolis Arcanis T. I. p. 308. fatetur. Nec a vero abludit purissimum anagramma ex ejus nomine a P. Angelo Finardo confectum: *Is unus Bibliotheca magna.* Vita ejus curate descripta exhibetur in Giornale de'Litterali d'Italia Tomo XXXIII. nec non in Historie der Gelehrsamkeit unsrer Zeiten Vol. I. p. 326. sqq. Elogium ejus vide in Amœnitatibus Theologicis Venerab. Abbatis Jo. Fabricii p. 612. Hos vero tanti viri Catalogos meo opusculo summum conciliare ornamentum persuasissimus sum.

(*c*) Testatur id manu sua B. Theophilus Spizelius, cui cum Magliabechio frequens fuit commercium epistolicum.

Iddio eccelso, avendo dato a Cinghis-chan e a suoi Figliuoli l'Impero della Terra, e il commando sopra i Mogolii i qvali sono vna Nazion grande, che abita i Confini dell' Oriente e del Settentrione; Le Terre de qvali Più celebrate sono Vnan, Gheluran e dove sono Montagne, e Fiumi grandissimi alle Falde, e Sponde de qvali vi sono pascoli d'Animali grassissimi, i qvali confinano dalla Parte d'Oriente co'l Turkestan: Auvenne che Ilaka Sanghim figliuolo di Vnek Chan essendo Ré di qvelle parti, armò Le sue Genti contro di Cinghiz Chan: Qvesto risaputa la mossa dell'Armi del Rè, si messe con le sue Truppe in Campagna, e andò a campeggiare, e ivernare sù le Ripe del Fiume Palgiunè, dal qval porto mandando varie partite di Cavalli, ruppe e distrusse tutto l' Esercito di Ilaka Sanghim: Doppo di che la Gente di Mogoli per la maggior parte si accostò a Lui & ingrossò il suo Esercito, onde comminciò Cinghiz Can a diventar Monarca di tutti que' Paesi, a'qvali diede nuove Leggi: e qvesto accadde nell' Anno del Porco; (*) e gl'Astronomi del Catai di-

(*) I Mogoli anno vn Ciclo di 12. Anni, ogni-uno

dicono che fù nell' Anno Cuichai, che è l' vltimo Anno del Gran Ciclo chiamato Giunek Van dalla Creazzione del Mondo 8863. (*) van e. 9788. anni, il qval Tempo corrisponde all'Anno de' Greci (**) 1514. e aqvello degli Arabi, 599. (***) ed a qvello de' Persiani cinqvecento settanta due. (****). Dopo di qvesto Tempo Cinghiz Chan lasciò il Fiume Palgiunè, e soggiogò tutti i Chani (cioè Principi e Governatori) del Catai, e del Turchestan, e finalmente distrusse, ed amazzò Keselu Chan Rè di Baligh, (*****) e poi andò controil Sultan Muhamed Chuarezmsciah (cioè Rè del Paese di Chuarezm che è differente dal' Chorasan) e l' ammazzò con tutt'i suoi figlioli perche si

uno de'qvali ha il Nome di vn Animale; eqvesto Ciclo corrisponde alla Dodecaeteride Caldaica.

(*) Ogni van nel Computo del Catai è di 10. mila anni.

(**) Cioè d'Alessandro, altrimenti chiamati da' Persiani, ed altri Orientali Era biçorne, o del Bicorne.

(***) Cioè dell'Hegria.

(****) Cioè dal primo Anno del Regno di Jezdeghird figl. di Scicheriar vltimo Re di Persia della Stirpe di Cosroè, doppo del qvale i Maomettani regnarono nella Persia.

(*****) Da qveste due Parole Chan e Baligh si fà il Nome della Città di Cambelu mentovato da Marco Polo, per la qvale ritrovare si affaticano tanto i Geografi.

ſi era ribellato contro di Lui: Arrivò allora Cinghiz Chan ſin'alle Sponde del fiume Gihon, (*) il qvale non varcò, mà di là ſene tornò in Turcheſtan, dove mor'i Padrone di tutti qve' vaſti Paeſi, il Dominio de' qvali laſciò al ſuo figliuolo Ohtaj Chaan. A queſto ſuccedette nell Imperio Ihaiuk Chan, il quale regnò per poco Tempo, e gli ſuccedette nel Regno Manghii Chaan Figlivolo di Tvli Chan che fù figlivolo di Cinghiz Chan.

Queſto Manghu Caan mandò ſuo fratello Hulaghu Chan in Perſia a ſoggiogarla. Si partì dunqve Hulaghu e paſsò il fiume Gihon, che neſſunō dè ſuoi antenati Mogoli non aveva ancora varcato, e cominciando dall'India Orientale, ſi reſe Padrone di tutti i Paeſi dell' Aſia ſino all'Occidente (cioè ſino alla Soria) nel qval Tempo egli aſſediò la gran Citta di Bagdad, Stanza delli Califfi, ed vcciſe Muſtaazem Billah, che fù l'vltimo di qvelli della Schiatta di Abas. Di là ſi portò in Soria, preſce Damaſco, e dilatò i confini del ſuo Imperio ſino all'Egitto, diſtruggendo tutti qvelli che ſi opponevano a Lui, e onorando

(*) E qvel Fiume che sboccando dall' Oriente nel Mar Caſpio divide oggi la Perſia dal Paeſe delli Vzbeghi.

rando tutti qvelli che gli aderivano e si sotto mettevano. Mentre che faceva cotanti Progressi, prese anche la Città di Melahdan, nella quale io Nassir Eddin, che son nato nella Città di Tui nella Provincia di Chorasan mi trovavo per allora. Mi trasportò dunqve Hulaghù dà qvel Luogo e mi comandò ch'jo attendessi alle Osservationi Astronomiche, e mi diedez per compagni Fachreddin dalla Citta di Maraglia il quale sitrovava in Mosul; Muid Eddin da Vrz, il qvale dimorava in Damasco; Fachreddin da Achlat, il qvale stava in Teflis; e Negm eddin Debir, qvello che abitava in Cazuin. Ci ridusse tutti insiemé, e ci assegnò la Città di Maraga, dove furono fabbricati tutti gl'Instrumenti necessari, per fare tali Osservazzioni, e fatti venire da Bagdad, da Damasco, da Mosul, e dal Chorasan tutti i Libri iquali ci potevano ajutare a qvesta opera. Con tutti qvesti mezzi opportuni ci accingemmo a qvesta grand' Impresa, la fama della qvale si sparse per tutto il Mondo. In qvel mentre morì l'Imperatore Manghù Caan fratello di Hulaghu Chan, e gli succedette nell'Imperio vn altro Fratello minore, chiamato Coblai Caan, nel Tempo del qvale

mori Hulaghù Chan, al qvale ſuccedette il figliuolo, chiamato Abaka Chan Principe giuſto, il qvale pubblicò Leggi e Ordini co'l mezzo de' qvali i ſuoi Sudditi vivevano in ſomma Concordia, è pace. Nel Tempo che regnava qveſto Principe furono finite le Oſſervazzioni Aſtronomiche, dalle quali jo che ſono il minimo di tutti qve' grand' Vomini, che vi anno lavorato attorno, hò compoſto qveſte Tavole dette Zig Ilechani e le hò dedicate e preſentate al gran Monarcha Abaka Chan, alli di cui Occhi Dio mi conceda che poſſano eſſer grate ed accette. Qveſto Libro è diviſo in tre Trattati. Il primo tratta dell' Ere, e prima dell' Era del Cathai, e delli Tartari (*).

Dell' Era de' Greci, cioè d' Aleſſandro, dell' Era de gl' Arabi cioè dell' Hegira. Dell' Era de' Perſiani cioè di Jezdeghird, dell' Era nuova inſtituita dà Sultan Melikſciah, qveſta è la helalea.

Il ſecondo Trattato è della Cognizzione delle Stelle, la loro Teorica, il Luogo loro, la Longitudine, e Latitudine.

Il

(*) Seli chiama Turchi, ma non ſon qvelli che ci ſono vicini, mà qvelli di là dal mar caſpio donde qveſti noſtri vicini anno Origine.

Il terzo Trattato è intorno alla Cognizzione de' Tempi, delli Loromoti, e delle loro ascensioni e descensioni.

Questo Libro è molto stimabile, benche sia vn poco diffettoso nel fine, ed è scritto con Diligenza e con bel Carattere.

83.

Le medesime Tavole in piccolo tradotte dalla Lingva persiana nell' Arabica da David el'mosuli, cioè David della Città di Mosul.

84.

Tavole Astronomiche in Lingva Arabica compostè dà Abù Alùfa Muhammed Ben Ahmed el' burgiani.

85.

Libro Arabico che è il medesimo che sopra, vi è al fine qvalche trattatuccio d' Astronomia in Lingva Persiána.

86-87-88.

Tavole di Astrologia Giudiciaria in Lingva Persiana e Turchesca. Vi si tratta de' Giudizzi, e delle Elezzioni, che si prendono dalle costituzzioni delle Stelle, non solamente per conoscere l' auvenire, mà

ancorà per determinarſi nelle Operazzioni qvotidiane. Vi ſono anche gli oroſcopi di diverſi Perſonaggi, in favor de' qvali ſono fatte qveſte Tavole.

89-90-91.

Tre Calendari perpetui in Lingva Turcheſca con l' Applicazzione ſuperſtizzioſa de' Giorni a diverſe Operazzioni.

92.

Calendario Siriaco in Lingva Arabica, mà in Carattere Siriaco.

93.

Libro Arabico, nel quale ſi tratta prima dell' Orto, o aſcendente della Canicola, e delli pronoſtici, che ſi cavano ſecondo i Luoghi (*) ne' qvali ſi trova la Luna nel l' Orire, o aſcendere di qvella coſtellazzione.

2. Delli Giudizzi, e pronoſtici che ſi cavano dall' entrata nel Neurus (**)

3. Pronoſtici cavati dal ſeſto Giorno di Tubé (meſe qvinto del Kalendario Egizio, il primo Giorno del qvale corriſponde à

27.

(*) O Segni del Zodiaco.

(**) Qveſto è l' entrar che fà il Sole nel primo Grado d' Ariete.

27. di Decembre del Calendario nostro, e così il festo di Tube è il primodi Gennajo)

4. Pronostici cavati dalla festa della Croce (*)

5. Pronostici che si cavano dal primo Giorno del mese Muharram (che è il primo Mese dell' Anno Arabico.)

6. Pronostici cavati dal mese Canun el Acher, che è il qvarto mese del Kalendario Siriaco, il qvale corrisponde al nostro Gennajo.

7. Discorso sopra i Giudizzi di Daniel Profeta.

8. Discorso sopra i Cerchi che spesso si vedono intorno al Sole ed alla Luna

9. Discorsi intorno all' Anno de' Costi, o Egizzi.

Il primo Trattato di questo Libro (e forse tutti) è attribuito con somma ignoranza a Hermete chiamato dalli Orientali Hermes el' heuamesah cioè Ermette delli Ermeti, e da' Greci, Ermete Trismegisto.

94.

Libro Persiano, che è una esposizzione, e Commentario intitolato Bedr. Atta-

M 3 bavi,

(*) S'intende l'Invenzione che è alli 3. di Maggio.

bari, cioè Piena Luna del Tabarita sopra i trè Capitoli delle Tavole di Nassir Eddin Turco, nel quale si tratta dell'vso, e della prattica di dette Tavole. Vi è ancora vn Trattato in versi Persiani della Sfera Celeste.

95.

Libro Arabico, che è vn Commentario sopra il Libro intitolato Tedkereh, cioè Ricordo o Memoriale, composto dà Musa Celebi, cognominato Cadi zadè tratta della Sfera Celeste. Manca qvalche carta nel Principio. E stato Scritto nella Città di Sciraz L' Anno dell' Hegira 811. che è di Christo 1408. In vna delle prime facciate del Libro vi è un Indice di tutte le Osservaz. Astronomiche fatte in diversi Tempi da diversi Autori e ne numera 15. 1. d' Ipparco fatta avanti di Tolomeo 275. Anni Persiani. 2. di Tolomeo fatta prima di qvella di Mamon 690. Anni Egizii. 3. di Mamon (*) fatta nell' Anno di Alessandro 1154. coll' opera di Almed Alfargani (**) dii Muhammed Ben Musa el' Chivarez-

(*) Chalifa di Babilonia.

(**) Cioè della Città di Fergana nella Provincia Transosana, ed è quello che dalli nostri è chiamato Alfragano.

varezmi &c. 4. Fatta da Abu husaim Ben Essofi el' Scirazi, nella Città di Sciraz, della qvale era qvesto Autore. 6. Fatta da Abu Alufa (*) el' burgiani nella Città di Bagdad 5. fatta da Albetani nella Città di Riva in Mesopotamia. Da' nostri vien chiamato Albategnio. 8. Fatta dà Abu Giafer elihazer nella Città di Rey, ebbe per Compagno nelle sue Osservazzioni Abulfasal harun. 7. Fatta dà Abu Ahmed Essabi nella Città di Bagdad. 9. Fatta da Nasir Eddin (**) Tuseo nella Città di Maraga. 10. fatta da Vlugh Begh nella Città di Samarcand. 11. Fatta da Bene Musa, cioè i figlivoli di Moyse, nella Città di Bagdad. 12. Fatta dal Hazemi. 13. Fatta da Abu Rihan, chiamato per sopranome Elbriuni. 14. Fatta dà Muhammed Ben Isaac Esserchosei. 15. Fatta dà Abul Ibbas El Airaschekeri. Fà menzione ancorà del Canone di Theone Alessandrino, di Aristarcho; e di qvello di Cleopatra Regina di Egitto, addottrinata da Teone.

(*) La sua Opera si trova in qvesto Catalogo al Numero 84.

(**) La sua Opera si trova in questo Catalogo al Numero 82.

96.

Libro Persiano intitolato. I tre Capitoli, composto da Nasir Eddin Tuseo, tratta del modo di comporre Tavole Astronomiche.

97.

Libro Arabico intitolato. Tuhfe Sciahie Dono Regio, che contiene Le Instituzzioni Astronomiche composto da Cotb Eddin Esscirazi, cioè della Città di Sciraz in Persia; Libro scritto con Diligenzia, e con Carattere assai buono.

98.

Libro Arabico di Astronomia, intitolato Teb Sirat Elhiat cioè che rende intelligente, e perspicace nel considerar la figura e forma de' Cieli, diviso in due parti; la prima tratta dell' Ordine, figura, e Disposizzione de' Cieli, secondo il Sistema volgare. La seconda tratta dello Stato e figura della Terra, e delle Dependenze, che hà con il Cielo in Risguardo agl' ascendenti: (*) dove si tratta della Misura del Tempo, delli Anni, e mesi è composto dà Alfarabio Autor celebre, l'Anno dell'

(*) Cioè alli Orti e Occasi delle Stelle.

dell' Hegira 770. che è di Cristo 1368. Libro stimabile, ma di cattivo carattere. Hà bisogno di esser legato.

99.

Libro Arabico intitolato Nihaiet El Idrakfi Maarifat El aflak v Asrar El Cuakeb, cioè Termine fin dove può arrivare L' Intelligenza vmana nella Cognizione de' Cieli, e de' Secreti delle Stelle, composto da Cotb Eddin Esscirazi Autore di un altro Libro notato al numero 97. Il Libro è manchevole nel fine.

100.

Libro Arabico che tratta su'l Principio delle parti dell' Anno. Segve poi vn Trattato morale intitolato ketab El Murafik, Elmurafik cioè Concorso ed abbondanza di cose convenienti, ed è vna cosa simile al Libro di Cicerone de Officiis. E vn estratto delle Dicierie di Abulfarag Elgiuzi. Su'l fine vi è vna raccolta di Rimedi, o Segreti, e di Orazioni o Brevetti, come anche vn Trattato de' misteri delle Lettere, versetti e capitoli dell' Alcorano.

101.

Libro Arabico intitolato Hisab El kua-

keb ſi buiut Etne aſciat, cioè numero delle Stelle che ſono nelle 12. Caſe del Zodiaco, compoſto da Naſer Ibn nui Eddin Ibn Elhaſen Eſſciamas. Segve poi vn Libro intitolato ketab El koranat che tratta delle Epoche, e degli Anni, ed anco de' Giudizzi: compoſto da Sceich Ibrahim Ibn haſen Ibn Ali El feloſci cognominato el ketebi. Su'l fine vi è ancorà vn Trattato intitolato Midchal el mufid fel Hukn alal Mualid, cioè Introduzzione vtile a' Giudizzi delle Natività, compoſto da Jahia Ben Muhammed Ben Abbi Sciukur El Magreti el Andaluſi. (*)

102.

Libro Turcheſco intitolato el kul (**) ala Mezagiat el Cuatieb; Cioè Diſcorſo intorno alla Proprietà e Coſtituzzione delle Stelle. (***) Segve poi vn Trattato Arabico aſſai ampio della Sfera Celeſte compoſto dal Patriarca Mar. Ignazio.

103. Li-

(*) Cioè lo Spagnuolo.

(**) Queſto Titolo è Arabico benche il Libro ſia ſcritto in Turcheſco.

(***) La parola Arabica ſignifica propriamente i Temperamenti.

103.

Libro Arabico scritto con Carattere Affricano, che contiene il Qvadripartito di Tolomeo con vn Commentario. E senza Principio, e gvasto in più Luoghi, ma con tutto ciò Libro stimabile.

104.

Libro Arabico intitolato, Qvattro Discorsi intorno a' Giudizzi di Tolomeo Alfeludi, tradotto dà Hunain Ben Isaak, e corretto dà Tabit ibn Corah El Harani. Qvesto è il Qvadripartito di Tolomeo Pelusiota; qvel Thabit è volgarmte chiamato da' nostri Tebet. La sua Patria è Haran di Mesopotamia, detta dalli Antichi Carre, E bene scritto e ben condizzionato.

105.

Libro Persiano intitolato Ketab (*) Durer Ettag composto dà Mulana Cotb Eddin Muhammed cognominato Vlamah, ed è un compendio dell' Almagesto di Tolomeo.

106.

Libro Arabico intitulato Thmrah, cioè

(*) Cioè Pietre prezziose della Corona.

cioè frutto che è il Centiloqvio di Tolomeo così detto perche è in quel Libro tutto il frutto chesi può cavare da gl' altri suoi Libri come lo fà intendere a Severo suo Discepolo, al qvale lo dedica. Questo Libro è dichiarato, ed esplicato in Persiano a modo di Parafrase L' Anno dell' Hegirah 675. che è di Cristo 1276. Segrue poi vn Libro Arabico intitolato Deregiat Tenklusciah Babilonico. Tratta de' Pronostici di qvelli che nascono sotto qualsivoglia Grado de' dodici Segni del Zodiaco.

107.

Libro Arabico che tratta dell' vso dell' Astrolabio, la Dichiriazzione delle sue parti, e l' esplicazzione di tutti i cerchii, Linee, e Stelle descritte in esso, senza Nome di Autore. Vi è la Tavola de' Capitoli che sono cento e settanta. Commincia dall' esposizzione delle parti materiali del detto Instrumento chiamato dalli Orientali Astirlab, voce corrotta dal Greco, ond' è manifesto che anno avuto la invenzione di esso dai Greci.

108.

Diversi Trattati Arabici intorno all' Astrolabio, al Quadrante, ed alli Seni, di

di varii Autori, come del Mardini, di Abi Sciathir &c. Vi è ancorà vn Calendario perpetuo, e de' versi Turcheschi sopra ciascun mese dell' Anno.

109.

Libro Arabico che tratta dell' vso del Planisferio scritto nell' Anno di Alessandro 1887. vi è poi al fine vn Trattato pure Arabico di Geómanzia detta dagl' Arabi, Reml, cioé Arena perche i punti che si fanno oggi sù la carta si facevano anticamente dagl' Arabi e si fanno ancor oggi sù l' Arena. Vogliono gli Arabi che Edris, cioè Enocho sia L' Autore diqvell' Arte divinatoria, per mezzo della qvale gli Orientali credono che i periti di qvella possano predire gran cose. Non vi è il Nome dell' Autore. La scrittura è del medesimo Tempo che il Trattato del Planisferio, cioè nell' Anno di Christo 1576.

110.

Tavole Arabiche per l' vso del Qvadrante, o Planisferio Astronomico, composte da Sciamo Eddin el giarnaari, che fù maestro di Musslh Eddin el Ary, e dicepolo di Mulava zada Errcimi cioè il Greco.

111.

Libro Arabico che è vn Trattato di Cabala Litterale, il qvale insegna à far l' oroscopo permezzo delle Lettere de' nomi proprii, e ancora la Elezzione de' giorni propizzi per intraprendere qvalsivoglia negozzio; composto dall' Imam Fachreddin Abu Abdallah Muhammed Ben Omar Arranchi, scritto nell' Anno dell' Hegira 716. che è di Cristo 1316.

112.

Libro Persiano che contiene L' Esplicazzione de' Nomi d' Iddio, con vna esposizzione marginale in Turchesco. Vi è poi vn Libro Turchesco, che tratta dell' Astrolabio, e della composizzione delle figure Astronomiche, estratto da' Libri di Nassir Eddin Tuseo del qvale si è parlato sopra molte volte.

113.

Libro Turchesco, intitolato ketab Talèh, cioè Libro dell' Oroscopo, o Ascendente estratto dalla Syntasse de' Sapienti: Intende forse la Syntasse grande di Tolomeo, detta dalli Orientali Almegist.

114.

Libro Arabico che contiene varie Tavole Astronomiche delle Ascensioni e Descensioni de' Pianetti leqvali sonoimperfette.

115.

Libro Persiano de'trè Capitoli di Nassir Eddin Tuseo, sopra la composizzione e l' esplicazzione delle Tavole Astronomiche. E copia moderna ma buona, e poco più che comminciata essendo i tre qvarti del Libro di carta bianca.

Medici 116.

Libro Arabico, che contiene tutto il Canone della Medicina, composto dà Abu Ali Ibn Sina, cioè Auicenna. Il Libro è molto bene scritto, e merita d'esser risarcito e rilegato.

117-118-119-120. & 121.

Cinqve Volumi Arabici del Canone d' Avicenna, Scrittura Orientale.

122-123-124-125-126.

Cinqve Volumi Arabici del Canone di Avicenna, Scrittura Affricana più stimabili de' sopraddetti.

127.

Parte Prima di vn Commentario Arabico ſopra il Canone di Auicenna, intitolato; in El Malki, compoſto dal Dottore Vladino Ali ben Abilharam il Coraiſita, cioè della famiglia de' Coraiſiti, vna delle principali dell' Arabia, laqvale aveva la maggior potenza nella Città di Mecca al Tempo di Mahometto. E ſcritto qveſto Libro nell Anno dell' Hegirah 899. che è di Chriſto 1493.

128.

Commentario Arabico ſopra il Canone d' Avicenna, intitolato Elmoſctamil, cioè il Comprendente, o Collettore, compoſto da Samuelle El Corthobi, cioè Cordubenſe. Queſto Autore era moro di Spagna, hà ſcritto in Carattere Affricano. Manca nel Principio la Prefazzione el' Indice de' Capitoli fino al qvinto. E ancora imperfetto nel fine.

129.

Libro Arabico intitolato, ketal El Kulliat Fiſſancat Ettheb: cioè Libro de' Precetti Generali della Medicina, ſenza Nome di Autore. Manca molto nel Principio,

cipio, e comincia dall' Anatomia del Corpo vmano, finendo con le malattie delle parti posteriori. E scritto con bel Carattere Affricano, nell' Anno dell' Hegira 620. che è di Cristo 1223.

130.

Libro Arabico, che è la prima Parte del Commentario soprale Qvestioni di Hunain, intorno alla medicina, composto dal Dottore Abulkasem Abdurshaman Ibn Ali Ben Ahmed Ben Abi Sadik dalla Città di Nisciabur nella Provincia di Chocasan: Contiene qvesto Libro dieci Trattati. Primo della Natura della Medicina, 2. delle Malattie e Loro Specie, 3. delle Cagioni delle Malattie. 4. De' Segni e Pronostici delle Malattie 5. Della Sanità e della Cura de' Morbi. 6. De Rimedi Sananti semplici, e composti. 7. De' Polsi, 8. Delle cose concernenti la Natura, le qvali sono state tralasciate nel primo Capitolo, 9. Delle Febbri. 10. Vna Esposizzione più diffusa e prolissa di tutto il Libro, il qvale è molto bene scritto, mà è manchevole nel fine.

131.

Libro Arabico, che contiene i sei Li-

bri di Galeno dell' Arte della Sanità, cioè del modo di conservarla, che è l' Arte grande come dice il Traduttore, che è Hunnain Ben Ishak, il qvale vi hà aggiunto del suo alcune Dichiarazioni in modo di parafrasi: Manca qvalche cosa nel fine. Libro stimabile, e che meriterebbe d' esser con frontato col Testo Greco.

132.

Libro Arabico intitolato. Kesm El amiadli, cioè Divisione delle Malattie, composto dal Celebre Dottore, Muhammed da Samarkand, e spiegato dall' Imam Nefis Ben Audli. E Libro buono, scritto però da diverse mani, e per lopiù cattive.

133.

Libro Arabico, che è vn Commentario del Dottore Gelaleddin El bandarazi, sopra il Libro detto Mugiaz, cioè Compendio, composto dall' Imam Vladdin Abulhasen Ben Ennefis Ben Abi haram il Coraisita: il qval Libro è vn Trattato di Medicina secondo il metodo del Canone d' Avicenna. Qvesto Libro arriva fino a mezzo il volume, ed è imperfetto. Segve doppo vn altro Trattato, senza Principio, de' Medicamenti composti.

134.

134.

Libro Arabico, che contiene trè Trattati. Il primo delle Malattie interne che sopravengono all' vomo. Il secondo delle Malattie esteriori. Il terzo delle Febbri. Composto dà Abu Mansur Elhasen Ben Nuh El Camari. Scritto nell' Anno dell' Hegira 904. che è di Cristo 1498. da Bebrek ben Ali, Ben Husain Cueizi, dalla Città di Carbisi in Persia. Il Carattere è buono assai.

135.

Libro Arabico senza Principio, e senza fine, che tratta delle malattie, è de' loro rimedi, E molto bene scritto, e benche sia così imperfetto, merita d'esser risarcito.

136.

Libro Arabico intitolato, Ketab Ennagiat, Libro della (*) Liberazzione, composto dà Avicenna. Non è il Luogo di qvesto Libro, per che non tratta di Medicina, mà di Filosofia, cominciando dalla Logica, trattando poi della fisica, e

(*) E s'intende di qvella per mezzo di cui si libera L'intelletto dalli Errori.

anche della Geometria. E bene Scritto, e merita di esser risarcito.

137.

Libro Arabico intitolato ; Teffir Filmedawat v Etted bir ; cioè Commentario, e Esposizzione intorno a' Medicamenti, ed alla Dietà, composto dal Dottore Abu Merevan Ben Zoheri. Il Carattere è Affricano.

138.

Libro Arabico, che è vna Traduzzione de Libri di Galeno de' Medicamenti semplici, fatta dal Celebre Dottore Hunain Ben Ishak. Il Carattere è Affricano, e buono. Il Principio del primo Libro è molto gvasto, e L'vndecimo è supplito in parte con altra Mano. Merita di esser con frontato col Testo di Galeno e di esser risarcito.

139.

Libro Persiano, ch' è vn Tomo solo di vna Opera maggiore, nella qvale vien trattato tutto il Sistema della Medicina. Commincia dal Trattato terzo del Libro sesto, dove si discorre dell' Orecchio, e delle sue Malattie, con i Lor Rimedi. Finisce nel Trattato qvarto del Libro nono,

no, il qvale tratta delle morsicature de gli Animali velenosi. Merita di esser risarcito.

140.

Libro Persiano che tratta dell' Occhio, e delle sue Malattie, con ì Rimedii di esse, contiene nel Principio vna Anatomia molto esatta dell' Occhio. Vi è sul fine vn altro Libro intitolato; Rissalemh fi Kulliat Elugiud, cioè Epistola, o Trattato de gli attributi generali, ed accidenti dell' Ente.

141.

Libro Arabico, intitolato Ellamaat Elzafiah felladuiat Essciafiah, cioè Splendore, e ancora Specimine, o Saggio sufficiente intorno a' Medicamenti sananti, diviso in nove parti o Trattati, ogniun de' qvali hà molti Capitoli sotto di se. Libro buono, mà vn poco gvasto nel fine.

142.

Libro Arabico, intitolato, Raudhat Elathar; l' Orto, o Giardino dello Spezziale, contieneil modo e la preparazzione de' Medicamenti. Il Libro è diviso in vna Prefazzione e 44. Capitoli, ed è estratto da' seqventi Autori. 1. Il Canone d'

Avicenna 2. Il Dachirch (*) di Chwarezm Sciah. 3. Muchtar (**) Ben Elhabel. 4. El Irſciad, cioè Direzzione o Introduzzione. 5. El Malzi; nome di Autore. 6. El Mugiazi, cioè il Compendio. (***) 7. El Mofredat El Maleqvi; (****) cioè de' Medicamenti ſemplici, 8. Minhag Eddukan, cioè Prattica delle Botteghe. 9. Minhag, cioè Prattica di Ben Gezlah. 10. El Chavvi, cioè il Collectore, o la Collezzione di Negibaddin da Samaskand. 11. El kefaiat (*****) cioè la ſufficienza, o il Neceſſario. 12. Elzeheravvi; Nome di Autore. 13. Boſtan El Abba, Giardino de' Medici. 14. Carabadin Ben Ettalmid: cioè Libro delli Antidoti compoſto dal figlivolo del Diſcepolo. La detta Raccolta di Libri di Medicina, è curioſa. Il Libro è bene ſcritto, e ben condizzionato, ed hà per Autore Muhammed Ben Mahmud Ben Hagi Eſſcirvani. Scirvan è vna Provincia della Perſia, a piedi del Monte Caucaſo, che ſi eſtende verſo il Mar Caſpio

(*) Viatio o Proviſione.
(**) Scelta o Elezzione.
(***) Vedi a Numero 133.
(****) Aliàs ibn Beithar.
(*****) Sara forſe il Libro precedente, notato a numero 141.

ſpio ; nella qvale Provincia ſono le Città di Terku , Derbend , e Sumakiah.

134.

Libro Turcheſco , che è vn Compendio del Libro Arabico intitolato , Sciafi, che tratta de' Medicamenti : Non è intero , mà molto bene ſcritto , anche con le vocali , il che è raro ne' Libri Turcheſchi.

144.

Libro Arabico intitolato , El Etimad fitteb , cioè Confidenza nella Medicina : che è vn Compendio cavato dà varie Opere d' Ippocrate. L' Autore ſi chiama Almed Ibn Ibrahim Ibn Abichaled , il Medico , Non ſi eſtende in altro L' Autore, che in deſcrivere i Medicamenti ſemplici, molti de' qvali erano incogniti a Ippocrate. Vſano ſpeſſo gli Orientali di dar Nomi antichi alle Oſſervazzioni , e Scritture de' moderni. Il Libro è di poco buon Carattere.

145.

Libro Arabico , intitolato ; Hhal El Mugiaz , cioè qvello che ſcioglie le Difficolta del Libro detto Mugiaz. Qveſto è vn Commentario ſopra il Libro detto Mugiaz,

giaz, cioè Compendio, il qvale Abulharam El Coraiſci, (*) detto per Cognome Ibn Ennefis, hà composto soprail Canone d' Avicenna. Vedaſi vna altra Sposizzione sopra il medesimo Libro al numero 133. Il Nome di qvesto Esposito- re non vi è, mà dice di aver compilata là sua Opera dal kiamil, dal Hhawi El kem composto da Muhamedza charia Errazzi; dal Libro Mulefat di Negib Eddin El Serverkandi. Il Libro è beneſcritto, e ben condizzionato.

146.

Libro Arabico, detto; Mugiaz, cioè Compendio di tutta l' Arte della Medicina, secondo l' Ordine del Canone d' Avicenna. E Libro molto celebre, comentato, ed esplicato da molti. Vedi a numeri 133. & 145. L' Autore è Vla Eddin Ali Ben Abilharam El Coraiſci. E diviso il Libro in 4. Fen, o Trattati maggiori.

Il Primo tratta de principii, e Regole della medicina, tanto speculativa, qvanto Pratica. Il Secondo de' Cibi, e Medicamenti,

(*) Il Coraiſita.

menti, tanto semplici qvanto composti. Il terzo delle malattie proprie di vn membro, o parte singolare dell' vomo, e de' loro rimedi. Il qvarto delle malattie che non sono proprie di vn membro, o parte speciale dell' vomo, e de' loro rimedi.

Il Libro hà molte Annotazzioni marginali, il che dimostra il gran conto che si fà di qvello. Il carattere è di mano dotta, scritto da Hasan Ben Muhammed-Ben Emir Mahmud, L'anno dell' Hegirah 905., che è di Cristo 1499.

147.

Libro Arabico, che hàper titolo Kotab Dioscoridus, cioè Libro di Dioscoride, intorno alle Piante, alle loro Proprieta, ed vtilità. Può ben esser qvesto Libro cavato dà Dioscoride, mà non è il Testo, nel' Ordine de' libri di Dioscoride, perche qvesto osserva l'ordine dell' Alfabeto Arabico, secondo il qvale và descrivendo le Piante. Ariva solamente fino alla Lettera Z ed è di cattivissimo Carattere.

148.

Libro Arabico, che è la prima Parte del Libro intitolato Ketab El moghni, cioè Libro che Rende ricco e contento, cioè

che insegna tutto quel che è necessario, fel menasi El aduiat El mofiedat v Madharcha, cioè intorno alli Medicamenti semplici, tanto per sapere le lorò vtilità, quanto per sapere iloro nocumenti, e questo secondo il numero, e l', Ordine de' membri dell' vomo. Composto dà Dhia Eddin Abdvllah Ben Ahmed Ben Muhammed El Maleqvi Elasciab, conosciuto sotto il nome di Ibn Beithar. Il detto Libro è diviso in venti Capitoli. Il primo de' Simplici che giovano alle malattie dell' Capo 2. Alle malattie dell' Occhio 3. Alle malattie dell' Orecchio. 4. alle malattie del Naso. 5. alle malattie della Bocca. 6. alle malattie della Gola, e degl'organi dalla Respirazzione, &c. e qui si tratta anche de' semplici pettorali, e cordiali. 7. Alle malattie dello Stomaco, del fegato, e della milza. 8. Alla malattie de gl' intestini, dove si tratta de' Purganti degl'vmori. 9. Alle Vlcere o fistole dell' Ano, e delle morici. 10. Alle malattie delle Reni. *

149.

Libro Arabico che è la seconda parte del Libro Moghni, la di cui prima parte precede qvi immediatamente a Num. 148.

Co-

(*) Vedasi il Restonella seconda parte.

Comincia dal Capitolo 11. nel quale si tratta de' semplici giovanti alle malattie della Vescica. 12. Alle malattie delle parti che servono per la Generazzione. 13. Alle malattie dell' vtero. 14. Alle malattie Articolari, dove si tratta della Podagra &c. 15. Alle Piaghe, vlcere esteriori &c. e si tratta della Rogna. 16. Alle pustule, fignoli, Apostemi, e Tumori. 17. De' Semplici che servono all' Ornamento come a far crescere i Capelli, a mutargli Colore, a far morir le Bestiole che s'attaccano alla Carne, ed a Capelli. De' Lisci e belletti del volto. 18. De' semplici che giovano contro le Febbri, e corruzzioni dell' Aria. 19. Di qvelli che servono contro i Veleni, e de Semplici velenosi e mortali. 20. De semplici che servono a più sorti di malattie, e che anno vsi comuni. Il detto Libro è curiosissimo, bene scritto, benche di due mani, e ben condizzionato. La prima parte è stata scritta in Damasco, L' Anno dell' Hegirah 695 - di Cristo 1295. La seconda parte è stata scritta L' anno dell' Hegirah 919. che è di Cristo 1513.

150.

Libro Arabico intitolato, Sedhkerch El Kahhalin, cioè Memoriale de' Collirii, che

che è vna Lettera di Risposta ad alcuni Studiosi intorno alle Malattie degli Occhi, composta dà Ali Ben Isà. Il Carattere è buono, ed il Libro ben condizzionato.

151.

Libro Turchesco, che è vn Epitome di vn Libro maggiore di Nassir Eddin Tuseo, intorno alla Sanità, composto in Lingva Persiana.

152.

Libro Arabico, che tratta de' Medicamenti, e de' Cibi giovanti a mantenere la sanità. Tratta per Ordine delle Pozioni, delle Pillole, de' Cerotti, Impiastri, Lozioni o Imbrocazioni &c. E di cattivo Carattere.

153.

Libro Turchesco intitolato Rissalat Chisatsah, cioè Trattato di Salute. E vna Esposizzione sopra il Libro intitolato Bejan ilm abdan: Dimostrazzione della Scienza de' Corpi.

154.

Libro Arabico, che contiene diversi Trattati intorno alla medicina. Il primo è dell' Imam Ali Musà El ridha, che fù vno

vno de' dodici Imami, o Prelati descendenti in retta Linea dà Ali, molto stimati, e riveriti dà Persiani. E di mano assai cattiva.

155.

Libro Arabico di Magia Naturale, che contiene il modo di operar molte cose straordinarie da fare stupire gl' Ignoranti. Composto dà Abulkasem El Traki, il qval dice di averlo raccolto dà molti altri Libri. Tratta ancora della Cabala Litterale.

Segve poi vna parte delli Aforismi d' Ippocrate, pure in Linqua Arabica: Il Libro è manchevole nel principio, e nel fine.

156.

Libro Arabico intitolato, Rutbat Elhakim, cioè Gradini, o Scala del Sapiente, Tratta prima della Chimica, e Preparazzione de' metalli, e dell'vso loro per la Medicina, e per la fabrica della Pietra Filosofica. Tratta poi della Simiah, ch' è vn arte propria delli Orientali, con la qvale si arriva à conoscere la Qualità de' Temperamenti, per mezzo della Combinazzione delle Lettere, e interpretazzione de' nomi, e dalla cognizzione de' Temperamenti, si arriva à conoscere,

noſcere, ed à predire molte Coſe future. Nel fine tratta delle Proprietà delle parti delli animali, ad vso della ſervitù dell' vomo. E composto, o ſcritto dal Dottore, Ali Tarabuluſi, cioè da Tripoli di Soria nella Città di Damaſco l' Anno dell' Hegirah 960. che è di Criſto 1553.

157.

Libro Arabico, traſportato dà vn altro chiamato Fereg El Kerb, cioè rallegramento del Cuor meſto ed afflitto, nel qval vien compreſo tutto qvello che i Sapienti anno detto e inſegnato, intorno alla Scienza de' Metalli, e dell' Arte grande, cioè della Chimica. Non vi è il Nome dell' Autore, ed il Libro non è finito, è ſcritto di buon Carattere.

158.

Libro Arabico intitolato; Deſtur Ettegiareni: eſtratto da' Libri di Geber Ben Charan, e dalli Libri di Muhammed Ben Zacharia, e dà altri Autori Antichi. Tratta della Chimica, della Reſoluzzione de' Corpi naturali e compoſizzione degli Artificiali.

159.

Libro Arabico, che hà per titolo: Tutto qvello che è necessario ad vn eccellente Medico: Tratta della Composizzione ed Applicazzione de' Medicamenti. Vi è poi in Principio e sul fine vna Raccolta di molti Rimedii, o secreti, per curare diverse Malattie. E scritto di cattivissima Mano.

160.

Libro Arabico intitolato, Megmu, cioè Raccolta dà diversi Autori intorno alla Fisonomia, e massime cavato dal Libro intitolato Ketabsi ilm El firasat del Dottore Fachr Eddin Errazi, volgarmente chiamato dà nostri Razis. Il Collettore è Algiovini Bedus. Vi è poi un altro Libro intitolato; El Ectisad fell etticad: cioè il vero modo chesi dee tenere nelle cose della fede. Composto dal Dottore Elaz Alal bettri: E di carattere non buono, e gvasto sul fine.

161.

Libro Arabico intitolato; Azhar El anKiarsi Giouagir el hagiar, cioè Fiori dell' Intelligenza intorno alla sostanza delle Pietre, cioè intorno alle Pietre preziose. Composto dal Dottore Alimed Ben Jusef

Atti-

Attifasci El anesi, scritto l' anno dell' Hegirah 887. che è di Cristo 1482.

162.

Diversi Trattati Arabici del Canone di Avicenna, copiati modernamente, e sciolti.

163.

L' Opere di Avicenna in Arabico, stampate in Roma nella Stamperia Medicea.

164.

Libro Arabico che è vn Compendio del Libro detto El havvi, composto dal Razi, sopra la Medicina, estratto per opera di Abù-ali Ibn Daud El misri, cioè l' Egizzio. Comincia dal Trattato della Calvizzie delle cose, e Rimedii di essa, e poi tratta di tutti gl' Insetti che nascono ne' peli, nella Carne, &c.

165.

Libro Arabico di Medicina, manchevole nel Principio, e nel fine. Comincia dalle malattie che provengono dall' Intemperie del fegato.

166

Libro Ebraico, de' medicamenti semplici e composti, estratto dà Ben mascuiah, detto

detto volgarmente da' nostri Mesue. Vi è ancora qval cosa del Rasis &c. E bene scritto, e disposto in forma d' Indice o Catalogo che rende facile il trovare qvel che si cerca.

167.

Libro Arabico, che contiene i Libri d' Ippocrate della Natura dell' Vomo, e dello Sperma con le Dichiarazzioni di Galeno, e con il Libro del medesimo Galeno della Conservazzione della Sanità. Tutti i detti Libri son tradotti dal Greco in Arabico, dà Hunain Ben Ishak. Il Carattere è buono, e Affricano. Libro Stimabile, e da conferirsi col Testo greco.

Istorici 244.

LIbro Arabico, intitolato, Muchtesar Fiddul; cioè Compendio delle Dinastie, o delle Potenze che anno signoreggiatto il mondo composto dà Gregorio Abulfarag. Essendo questo Libro stato stampato, e tradotto, dal Gokokio, sarebbe inutile lo scrivere qvi ciò che contiene. E di diverse mani, e ben condizzionato, ma in fine vi manca qualche cosa.

245.

Qvestomanca.

Libro Arabico intitolato Tesimat Eddeher fi Mehasen Ehl elasser, cioè le Perle del Secolo, intorno alle Virtù ò alle Lodi de' primi Vomini di qvesto mondo. Contiene qvesto Libro le Vite, ed Elogi, con vna parte delle Opere de' Principali Poeti che anno fiorito fra i Maomettani. Ediviso il Libro in 4. parti. La prima tratta de' Poeti che anno fiorito &c. sotto la Casa di Hamadan, tanto di qvelli di Damasco e Paesi circonvicini, qvanto di Mosul e Assiria, e dell' Egitto: La seconda tratta de' Poeti dell' Iraca, che anno fiorito sul Principio delle Grandezze della casa Dilemia. La terza tratta de' Poeti Illustri, che anno fiorito durante il Regno della Casa Dilemia, e qvesti sono stati la maggior parte Veziri, Segretari o Cadi delli suddetti Principi nelle Provincie di Giebal, cioè Partia, di Fars o Persia di Giorgian, e Tabarestan, che sono l' Ircania. La qvarta tratta de' Poeti Illustri del Paese di Chorasan, e Mawarahnahara cioè Bactriana, e regione Transoxana, che anno fiorito sotto la Dinastia delli Samanii, e Ghazneuii. Vi è al fine il Supple-

mento

di qvest' Opera, composto dà Ahmed El kalai, scritto nell' Anno dell'Hegirah 989. che è di Cristo 1581. Qvesto Libro è scritto con bellissimo Carattere, e con gran Diligenzia, è intero e ben condizzionato.

246.

Libro Arabico intitolato; Ketab El bostansi Agiaib El ardh El boldan; cioè Libro detto il Giardino che tratta delle maraviglie della Terra, è de' Paesi. Composto dà Selamas Ben Kendghadi Essalehi. Il detto Libro è stampato in Roma mà non hò mai veduto altro esemplare che qvesto. Forse sarà stata soppressa l'Opera per qvalche mancamento. Vn tal Roberto Gianion Parigino, lo fece stampare l' Anno di Cristo 1584.

247.

Anche qvestomanca.

Libro Arabico intitolato; Rudhat El menadhir fi ilm El avvail vv El a vvachir; cioè Giardino o Prato di Considerazzioni sopra la Scienza delle cose prime, e vltime (qvesta Scienza è l'Istoria) Qvesto Libro è il Cronico di Abul vvalid Muhamed Ibn Kemal Eddin Abulfadhal ibn Essciuchneh Alhanafi.

248.

Libro Arabico, che è la seconda parte del Libro intitolato; Tarich El Mahbub di Costantino Manbegio Vescovo di Man beg. Comincia questa parte dall' Imperio di Augusto Cesare, e finisce con quello di Domizziano. Tratta più l'Istoria Ecclesiastica, che la profana. Il Libro è di pessimo Carattere, e manca qual cosa nel fine, del resto è curioso, e raro.

249.

Libro Arabico che è la prima parte delle tre della Vita di Alessandro bicorne, figlivolo di Darab, il Greco, il macedone, composta da Ibrahim Ben Mafrug Essuri, cioè il Tirio: Non è Istoria cavata dà Gréci, o Latini, ma scritta sopra le Tradizzioni degli Orientali molto infettata del maomettismo per che maometto fà menzione di esso in più Luoghi nell' Alcorano. Il Libro è bene scritto.

250.

Libro Persiano in versi, della Vita d'Alessandro Magno, estratto da vna maggiore Opera intitolata. Il Kender Nomeh, cioè l'Istoría d' Alessandro, Libro rinomato frà Persiani. Questo Libro dunque è come vn Com-

Compendio di vn altro più grande, ed è dedicato ad vn Rè di Persia chiamato Abulfasah Masaud Ben Arslan. E stato scritto da Abubeker Ben Ismail Ben Muhammed, Ben Esseich Abubeker Ben Ibrahim El babeli, nell' Anno dell' Hegirah 773. che è di Cristo 1371. E di buon Carattere.

251.

Libro Turchesco intitolato; Ketab Scidi Battal Ghazzi, cioè l'Istoria di Abu Giafer Essadik figlivolo di Hussain, figlivolo di Ali, detto dagli Arabi, Persiani, e Turchi, L' Eroe & il Gigante per le gran Prodezze che hà fatte controi Cristiani. E vn Romanzo a gvisa de' nostri Amadis. Vi sono i più pazzi Racconti del Mondo. Il Carattere è vario, per essere il Libro di diverse mani.

252.

Libro Arabico intitolato, Ketab agiait El Machlukat v gharaib el Maugiudat, cioè Libro delle maraviglie delle Creature, e delle cose più strane, e rare frà le Essenze. E vna Istoria Naturale, divisa in due parti. La prima tratta delle Cose superiori e Celesti, La seconda delle Cose inferiori, e terrestri. Qvesto volume contiene solamente la prima parte, mancando la seconda. Il

Libro è ſtato compoſto dal Dottore Zaccharia Ben Muhammed Ibn Mahmud El Kazvini, cioè dalla Città di Casbin in Perſia. E Autor celebre. Il Caratterr di queſto Libro è buono aſſai, e vi ſono delle figure mà molto goffe. E ſtato copiato dà Abdullah Daud El Nah ſi. L' anno dell' Hegirah 591. che è di Criſto 1544.

253.

Libro Arabico intitolato; Erraudh El Moglitenem fi fadhail zemzem, cioé Orto dovizzioſo delle eccellenze del zemzem. Queſto zemzem è l' vnico Pozzo d' Acqva potabile, che ſi trovi nella Città di Meccà, molto lodato nell' Alcorano per la ſoavità delle ſue Acqve, alle qvali i Maomettani comparano qvelle del Paradiſo, è vi è gran merito nel beverle in qveſto Mondo. Qveſto Libro è ſctitto con Carattere Affricano, e compoſto dà Abdullah Ben Maſcud Ben Abderrahmen El Marakeſei, cioè dalla Città di marrocco. E beneſcritto, e ben condizzionato.

254.

Libro Turcheſco, intitolato Sindubat, nel qvale ſono qvaranta Iſtorie, raccontate da gvaranta Veziri avanti ad vn Rè, la moglie del qvale accuſava il ſuo figliuolo d'

aver

aver tentata la sua Pudicizia. Le qvaranta Istorie di qvesti qvaranta Veziri son portate tutte per giustificare il figlivolo, e far vedere la Malizzia delle Donne. A qvesti Risponde la Regina con qvaranta altre Istorie, nelle qvali si raccontano gl' attentati degli Vomini sopra l'Honore delle Donne. Qvesto Libro è chiamato per lopiù dà Turchi il Libro de' qvaranta Veziri Ketab Kirk Vezir, ed è attribuito ad vn Filosofo Indiano chiamato Sindubad, o Sandaber, le parabole del qvale son comprese in vn altro Libro stimato molto da gli Orientali, il qvale si trova anche scritto in Ebraico sotto Nome di Misele Sandaber, parte in prosa e parte in Versi.

255.

Libro Turchesco intitolato, Ketab (*) El fadhail Meccah' v El medinak v El Kods v El chalil, cioè Libro delle Eccellenze, e prerogative della Meccah di medicinali di Gierusalem e di Hebron. Idue primi Nomi sono conosciuti, cioè Mecca e Medinah: s' hà dà osservare solamente che il vero nome di Medina è Sathreb, e che il suo Nome appellativo è medinat annabi, cioè

O 4 Città

(*) La Prefazzione è Arabica come accade nella maggior parte de Libri Turcheschi.

Città del Profeta, e per eccellenza Medina, cioè Città. Gierusaleme vien chiamata dà Maomettani Kods, e s' intende Medinat El Kods, cioè Città della Santità: Viene ancorà detta Kods Scerif, cioè santa e nobile. Hebron è detta dà Maomettani Chalil perche vi è il Sepolcro d' Abramo, chiamato nell' Alcorano Chelil allah, cioè Amico molto familiare di Dio. A queste quattro Città sono i quattro Pellegrinaggi famosi che fanno i Maomettani, e questo Libro tratta del Merito grande che si aquista in farli, come anche di tutte le Indulgenze che pretendono di guadagnare nella Visità de' Luoghi particulari di esse.

256.

Libro Turchesco imperfetto, che contiene diverse Istoriette, cavate dalle Tradizzioni Maomettane, intorno à gesti di Maometto, ed a' quelli delli Imami più celebri: vene sono ancora intorno à Profeti Antichi, & ad alcuni tenuti da' Maomettani per Profeti, come di Húd, di Locman &c.

257.

Istoria di Maometto in versi Turcheschi, che contiene i suoi gesti e miracoli favolosamente descritti. Segve poi vn altro Libro Turchesco, intitolato Dastan Sceiban cioè

Istoria

Istoria del Diavolo. Racconta la caduta di Eblis, cioè Lucifero, la tentazione di Adamo, e de' Profeti, seçondo Le Tradizzioni Maomettane.

258.

Libro Arabico intitolato, Kussus El Enbía cioè Istorie de' Profeti, comincia dalla Nascità d' Abramo, contro al solito degl' altri Libri che trattano la medesima Istoria, i qvali sogliono far Capo dà Adamo, poi vengono a Enocho, dopo a Noe, a Hud, a Salè, à Tarath o Azar, epoi a Abramo. Finisce qvesto Libro con l'Istoria di Maometto, e de' suoi Discendenti. Manca qvalche Cosa nel fine, ed è scritto conbuon carattere affricano.

259.

Cronologia Arabica, che comincia dà Adamo, ed arriva fino à Tempi di Costantino. E Opera di vn Cristiano Cattolico per che mette nella prima Riga i nomi de' Papi, fino a San Salvestro. E disposto il Libro per Casellini, mà per lo più voti.

260.

Istoria Turchesca in versi, degli Amori di Chosrù, e di Scirin molto nominata appresso i Persiani, dalla Lingva de qvali è stata tradotta. Qvesti Amanti erano Persiani,

Cosrù fù figliuolo di Sciavur, cioè Sapore Rè di Persia. Qvesto Libro e statoscritto da Ahmed Ben Seidi Saleh cognominato Ellhaueri del paese di Anadoli, cioè Natolia, l' anno dell'Hegirah 705. che è di Cristo 1305.

261.

Istoria Arabica, che contiene le Prodezze di Giafer Ibn Iahia El barmeki, che fù vno de' qvaranta figlivoli di Barmek, che viveva sotto il Kalifato di Aharun Errescid figlivolo di Mehedi, figlivolo di Hadi, supremo Chalifa de' Maomettani, della Razza di Abas. Segvono nel medesimo Libro Documenti Morali, che cominciano con le Lettere disposte secondo l'Ordine dell' Alfabeto. Vi è poi ancora vn Trattato della Cabala Litterale, ed altre cos uccie.

262.

Istoria Turchesça in versi, intitolata, Sciah Keda, cioè il Rè mendico. E il Racconto a gvisa di Romanzo di vn Rè che impazzi per amore, ed andò pellegrinando nel mondo.

263.

Libro Turchesco intitolato; Tarich Ehatai; cioè Istoria del Catay. E il Racconto di vn Viaggio fatto nelle Provincie del Catay, dagli Ambasciadori di Sciah Roch figlivolo di Tamerlano L' anno dell' Hegirah 823, che

che è di Criſto 1420. Qveſto Viaggio meriterebbe di eſſer tradotto tutto, perche vi ſono coſe curioſe intorno alla Cognizzione di vn paeſe molto nominato ed altrettanto ſconoſciuto à' noſtri Autori.

264.

Libro Arabico intitolato; Ketab Delil El Salek fi Chair El meſalek, cioè Gvida del Viandante nel più bello de' Viaggi. Contiene vna Deſcrizzione di tutto il Tratto del paeſe, che è dal Cairo ſino a Mecca, con notare tutte le poſate della Caravana, e le incomodità e comodità delli Alloggi. E bene ſcritto, e ben condizzionato. Vi è ancora nel fine il Viaggio che molti Pellegrini fanno dà Mecca a Medina.

265.

Iſtoria degli Animali in Arabico, compoſta dal Celebre Dottore Kemal Eddin Muhammed ben muſa Ben Iſa Eddemmiri Eſſciavii, cioè della Setta Sciafiana. Il metodo di qveſto Libro è di parlare degli Animali ſecondo l' Ordine alfabetico delli Arabi, e prima comincia gramaticalmente a dire il Nome dell' Animale, e porta i Sinonimi, e i ſuoi plurali. Scrive poi le Qvalità e Proprietà di qvello, e racconta tutto qvello che ſi trova ſcritto intorno ad eſſo nell' Alcorano, e

ne'

ne'Libri delle Tradizzioni Maomettane. Cita pochissimo gl' Autori Greci. E scritto di diverse mani ed in alcuni Luoghi pessimamente, senza punti diacritici.

266.

Libro Arabico intitolato, Nur El abasar v Sir El asrar, cioè Lume degli Occhi, e Secreto de' Secreti. E vna Istoria de' Metalli, e Minerali. Tratta ancora della loro permutazzione, e della Pietra chiamata Filosofale. Vi è poi vn altro Trattato intitolato; Rissalat El garit, cioè Epistola o Trattato del Pellegrino, che tratta della medesima materia. In fine vi è anche vn altro Trattato di Buiun El bashemi, cioè di Buiun il Brahmane dell' istesso argomento. Sogliono gl'Orientali, come anche i nostri, attribuire i Libri di questa materia a Vomini insigni, e di paesi lontani, come a Indiani, &c. qval era questo Buiun. Il Libro è di buon Carattere.

267.

Libro Arabico intitolato, Muchtesar El mualem ala huruf Elagiem fi Taabir Erruia, cioè Compendio delle Dottrine, secondo l' Ordine delle Lettere barbare, intorno alla Dichiarazzione ed esplicazzione de' Sogni, composto dà Abu Taher Ibrahim Ben Iahia Ben Ghanam El hanbeli detto l' Onirocrita.

Co-

Copiato da Muhamed Ben Ali Errohavi, cioè da Roha, osia Edessa in Mesopotamia.

Filosophi 51.

LIbro Siriaco intitolato, Corona delle Corone, sopra la Pratica della Logica, e i Dogmi della Sapienza, cioè della Fisica; composto da Gregorio Bar Ebrèo, cognominato il più diretto ed elogvente Oratore, di tutto l'Oriente. Vi sono alcune interpretazzioni marginali, in Lingva Arabica.

52. Libro Siriaco, che contiene molti Trattati di Logica; qvello degli Vniversali di Porfirio, il Libro delle Categorie; il Libro dell' Interpretazzione, e qvello degli Analitici d'Aristotile. Copia moderna.

53. Libro Arabico che contiene i Libri d' Aristotile intorno alla Logica, cioè il Libro de' Predicamenti il Libro del Sillogismo, che è l' Analitica, il Libro dell' Interpretazzione, Perihermenias, il Libro della Dimostrazzione, il Libro delle Topiche. Segvono doppoi Libri della Rettorica, e della Poetica. Tutti i detti Libri sono interpretati ed esplicati, dal celebre Sapiente, Abulwalid Ben Rased, detto volgarmente da nostri Averroè. Il Libro è stimabile, e molto bene scritto, con Carattere Affricano.

54. Libro Siriaco intitolato; Fiore del Latte della Sapienza, che tratta de' primi principì della filosofia cioè della Logica, e Metafisica, composto dà qvello eccellente Filosofo Gregorio Bar Ebreo. E stato letto qvesto Libro dà vn Vomo dotto, il qvale hà scritto nel margine di esso molte Annotazzioni, e Dichiarazzioni, in Lingva Arabica. Segvono doppoi Libri della Rettorica, epoi qvelli della Politica imperfetti, Vedi il Tomo segvente.

55. Libro Siriaco del medesimo Autore di sopra, e si può dire che sia il secondo Tomo della sopra scritta Opera. Comincia dal fine de' Libri della Politica. Segvono doppo ì Libri de Physico Auditu, e poi della Natura, e dell' Etica. Il Volume è imperfetto.

56. Libro Siriaco intitolato. Libro de' Segni ed Indizzi, composto in Arabico da Alí Ibn Flussain Elbochari, e tradotto in Lingva Siriaca dall' eccellente Filosofo Gregorio Bar Ebreo, Lume dell' Oriente. Tratta di Logica e Metafisica, cioè de principii di tutta la filosofia.

57. Commentario Arabico sopra il Libro intitolato Esciam Siah, che è vna Logica. Composto dà Cotb Eddin Filosofo illustre della Città di Sciratz (*) in Persia.

(*) L' antica Persepoli.

58-59-60-61-62. Il medesimo Libro co'l Testo solo, o con la esposizzione.

63. Libro Arabico intitolato. I Fondamenti, o Regole, della Dimostrazzione, che è vna altra esposizzione del Trattato di Logica intitolato, Essciam Siah, composto da Gemal Eddin.

64. Libro Siriaco che contiene l' Isagoge di Porfirio, ed il Libro Perihermenias d' Aristotile. Copia moderna, e cattiva.

65. Libro Siriaco che contiene il Trattato de' Predicamenti, e del Sillogismo d' Aristotile. Copia moderna.

66. Libro Arabico detto, El muakef, cioè Libro delle Stazzioni e Costituzzioni, ed è vn Libro di Teologia Scholastica e metafisica, secondo i principii d'Aristotele, accomodati a' qvelli del Muhammedismo, esplicato e comentato dà Seid Scerif. Libro intero, bene scritto, e ben condizzionato.

67. Libro Arabico che tratta delle medesime cose del prenominato, sotto nome semplice di Kitab El Kelam, cioè Metafisica Scritta la Feria seconda, alli sette del mese di Sciawal, l'anno dell' Hegirah 798. che è di Cristo 1396.

68. Libro Siriaco che contiene il Libro de

de gl' vniversali, e qvello delle Categorie. E gvasto nel principiò.

69. Libro Ebraico che contiene. 1. Vna Esplicazzione de' Termini della Filosofia, per Ordine d'Alfabeto, composto dà Rabi Samuel Ben Jehuda. 2. Trattato d'Etica cavato dà Aristotele 3. Vn Libro intitolato Ruach chen, cioè Spirito di Grazzia, che comprende in ristretto tutta la fisica d'Aristotile, composto dà R. Samuel Aben Tybbon che è il medesimo Autore il qvale hà tradotto dalla Lingva Arabica nell' Ebraica le Opere di Moisé Bar Majemon. 4. Vn Libro intitolato Keuonot ha pilosophim, cioè Intenzioni de' Filosofi, composto dà R. Josuah Ben Mardud. Alcuni l'attribuiscono ad Algazel. Tratta di Logica, ed è bene scritto. Il Carattere è molto antico.

70. Libro Ebraico che è vn Compendio, o Estratto de' Libri di Aben Rosed, volgarmente chiamato Averroe, sopra la Fisica d' Aristotile, tradotto dalla Lingva Arabica nella Ebraica dà R. Samuele Aben Tybbon.

71. Libro Èbraico intitolato; Nophes Zuphim, cioè Fauus Mellis ed è Libro di Rettorica, il qvale cita spessissimo Tullio, e tra l' altre Opere di esso i Libri de Oratore.

III.

III.

LEONARDI ARETINI IN CAROLUM DE MALATESTIS PROPTER DEROGATIONEM STATUÆ IN MEMORIAM MARONIS FACTÆ INVECTIVA. (*a*)

NOn est apud quem querar, vir Magnifice, nisi apud te, qui solus ex principibus nostræ ætatis tum omnis generis eruditos, tum maxime oratores & poëtas colis. Carolus de Malatestis & pa-
P ren-

(*a*) Invectivam hanc ex MSto Krafftiano, forte autori coævo, integram inserere placuit, cum ob ejus elegantiam, tum ob scriptoris celebritatem. Videtur ea adhuc inedita esse. Julius certe Niger Ferrariensis, Ignatianæ sodalitatis socius, in Historia Scriptorum Florentinorum, Ferrariæ A. 1722. excusa, ejus non meminit, qui tamen f. 352. sqq. cætera illius scripta tam impressa, quam anecdota, diligenter & curate enarrat. Poggii Bracciolini Orationem in funere Aretini habitam cum ejus epistolis superiore anno Hamburgi luci publicæ restituit Vir, immortaliter de re literaria meritus, J. A. Fabricius. Iis in epistolis p. 88. Carolus de Malatestis, in quem hic invehitur, egregie tanquam heros in toga & sago ab Aretino celebratur, invidendisque decoratur elogiis. Jacobus Philipp. Bergomas in supplemento Chronic. f. 274. Leonardum nostrum historicum & oratorem elegantissimum nominat, ac inter viros

 disci-

rentum memoria & ſuarum rerum gloria clarus, cum in eo bello, quod apud Mantuam geritur, dux eſſet, ſtatuam evertit; indigna res! ſed ejus autoritate indigniſſima. Nam Virgilii quidem nec obſcurare laudes, nec delere memoriam poterit. At vero ſe & res ſuas, quibus jam undique clarus habetur, teterrima nota labefactavit, & credidi quod potuit, (b) ejus exemplum ſecutus, qui Dianæ Epheſiæ incendere templum voluit, quo ſibi vel in maximo ſcelere apud poſteros memoriam pararet, niſi meliore jam ante via plurimus laudum & gloriæ cumulus partus ei eſſet. Ex quibus æternæ ſibi memoriæ

diſciplinis excellentes ob virtutem maximam ac dicendi elegantiam omnibus præferendum eſſe cenſet. conf. Hartmanni Schedelii Chronicon, quod vulgo Noribergenſe vocant, Ant. Koburgeri typis A. 1493. excuſum fol. 241. ubi eodem fere encomio ornatur. Quis vero ille princeps fuerit, cui hanc invectivam inſcripſit dicere non habeo: Tibique ſi tanto eſt, ex ejus ævi hiſtoria hariolandum relinquo. Sub calcem Ludovicum eum nominat. In Bibl. Paul. Lips. *Petri Pauli Vergerii Invectivam in Carolum à Malateſtis qui Virgilio & cunctis Poetis detrahebat* adſervari didici ex Joach. Felleri Catalogo ejus Bibliothecæ p. 296.

(b) Sic in MSto, ſed nullo ſenſu. Neſcio an legendum ſit: *& credi potuit*, vel *& credidi, quod potuit eſſe &c.*

moriæ fundamenta constituit. Quanquam qui potest esse non dico æterna, sed vix longa ullius rei memoria sine scriptorum ope? jaceret apud inferos incognitus Hercules, aut si magis volumus in cœlo cum diis nemini metuendus nisi poëtarum fabulæ figmentaque celebrassent. Suoque olim igne consumptum esset Ilion, nomenque cum memoria abiisset in cineres, nisi & Græcis & Latinis autoribus sustentaretur. Quid Ulysses? Quid Magnus Alexander? Quid Thebæ? Quid Farsalia? nonne nuda hæc essent nomina, imo ne nomina quidem, nisi quæ mortalia natura fuerant, divinis ingeniis immortalia redderentur. Quid Roma ipsa cum tot claris ducibus? Quid primus Romæ parens Æneas? nullius prorsus esses (*c*) de viris memoria, urbis autem solæ reliquiæ, imo vero ruinæ, quas videmus extarent. Abeas jam hinc Romam licet, & quemvis vel antiquissimum Romanum civem roges. Quis Romulus fuit alter urbis parens? Quis Numa? Quis Tullus uterque? Quis Ancus? Quis Uterque Tarquinius? Deinde ut ad Consulum tempora veniamus, Quis Bru-

P 2 tus?

(*c*) Forte legendum: *nullius prorsus esset de viris* &c.

tus? Quis Valerius Publicola? Quis fortis Oratius? Quis postea Fabricius? Decii? Metelli? Claudius Nero? (*d*) Livius Salinator? Papirius Curſor? Quid, ut cæteros prætereant, divini Scipiadæ? Quisquis inquam erit quem roges, non facile hæc norit niſi ſcriptorum hac egregia opera uſus ſit. Contra vero quot eſſe putas, qui ne Romam unquam viderunt, illuſtres tamen Romanos resque eorum magnifice geſtas ita norunt, ut interfuiſſe rebus ipſis videantur? Itaque fit ut res ab noſtra ætate, memoria remotas melius cognoſcamus, ſi modo ſint claris autoribus illuſtratæ. Quam quas recentior dies attulit. Memoria namque hominum facile perit, & vix unius ſeculi vivit ætatem; niſi libris & memoriæ litterarum commendetur. Errat ergo qui ſibi gloriam quærit, & Scriptores negligit, quum non poteſt partam gloriam famamque tenere ſine beneficio litterarum. Et eſt fortaſſe aliquid, neglexiſſe

(*d*) Sic citra omne dubium legendum eſt, etſi in MSto corrupte ſit. *Claudius. Neroclinius. Salinator.* Sclicet intelligitur Claudius Nero Conſul, qui cum Collega Livio Salinatore ſtrenue & feliciter contra Pœnos in bello Punico ſecundo pugnavit. vid. Florum Lib. II. Cap. VI.

glexisse scriptores, ut sint plerique tam magno & elato animo præditi, qui laudes famamque contemnant, bene gestarum rerum conscientia sola contenti. At vero indixisse bellum vatibus, oratoribus maledicere, damnare scriptores, si quis ex vulgo, qui hæc ita sentiret, paterer quidem, quasi illi cum laude & litteris nihil commune sit. In principe vero bonis artibus imbuto, cuique sit gloria & virtus in pretio non possum ista probare. Sed & Maronis quoque effigiem sustulit. Quid quæso severius in defunctum jam Domitianum animadverti potuit, quam quod senatus censuit, ut statuæ, quæcunque nomini ejus dedicatæ fuerant, tollerentur, utque ex omnibus publicis privatisque locis Domitiani nomen deleretur? An quicquam Virgilius ita demeruit, quod illa sævissima bellua humani generis inimica? ea solet esse publicorum hominum pœna, ut post supplicium capitis, a qua injuria jam tutus est Maro, statuæ monumentaque eorum comminuantur, & quorum est vita jure meritoque sublata, sit eorum quoque post mortem damnata memoria. Virgilio autem quis est qui tale crimen inurat? at hoc teterrimo quidem facto decla-

raſti te Carole, te ideoque ſi poſſes libenter facturum, ut divinum illud poema Virgilii, quod tanto ſtudio mirantur omnes & colunt, de memoria hominum prorſus tolleres. At vero non ita ſenſit Octavianus Auguſtus, aliquanto, da veniam, & potentia major, & gloria, ne dicam virtute. Nam incertum eſt de hujusmodi hominibus judicium. Auguſtus, inquam, non ita ſenſit, ſed æternum illud opus cœleſtem Æneida, cum Virgilius moriens propterea, quod incorrectum relinqueret, cremari juſſiſſet, is & imperii autoritate, & ingenii viribus vetuit. Extant quidam etiam tanti principis verſus usque in noſtram memoriam, tum magnæ litteraturæ tum & recti judicii teſtes, quibus ſupremam illam morientis voluntatem abrogavit. Niſi forte in hac una re imitandus tibi videatur, ut quemadmodum ille viventem Ciceronem neſcio an ex juſtis cauſis tu Virgilium mortuum ſine digna ratione odio habeas, aut, ut ille paſſus eſt, a collegis Ciceronem occidi, Tu Maronis ſtatuam, qu$\frac{\text{um}}{\text{ia}}$ aliud non potes, dirui jubeas: Verum ut audio, non uno hoſte contentus etiam Ciceronem Maledictis laceras. Bene actum cum eo eſt ex

negli-

negligentia posterorum, qui nullam statuam in memoriam habet. Jam enim, qui quondam unius violatus est, violentam alterius manum nunc sentiret. Non invenit. Virgilius, ut ad eum redeam, neque vivus, neque mortuus, qui invideret, quod tanta esset ingenii orationisque præstantia, ut nemo attingere posse videretur: mortuum qui oderit, post multa secula invenit. Et solent quidem morte cum invidia livorque, tum maxime odium cadere, quique viventi detraxerant, mortuo gloriam dare. Huic qui evicisse omnia splendore vetustateque debuit, odium ex integro nascitur. Res mira cum ita legetur: *Carolus de Malatestis, victis fugatisque hostibus apud Mantuam, ut & de poetis quoque triumpharet, quibus est hostis infestissimus, Statuam quæ in honorem Virgilii multis retro seculis steterat, evertit.* O facinus indignum & scelus omni seculo detestandum! Una ergo victoria & hostes finibus, & Virgilius patria sua pulsus est. Id quod etiam & princeps urbis & populus

 patitur;

patitur; at non ita de se merita urbs illa fuerat cujus casum, cum militibus divideretur, quod esset nimium miseræ Cremonæ vicina, lacrimoso carmine questus est. Fœtidis fortasse paludibus suis & insano aëre Mantua clara est? An vero magis ex Manta illa antiquissima Tiresiæ filia, quæ urbem condidit? & magis ex poëta Virgilio, ejus urbis alumno? quo quidem cive, ut hujus pace dixerim, aliquanto gloriosior est Mantua, quam Ariminum suo principe Carolo. Melior Homeri sors fuit, quem primum poëtarum Græci faciunt, nostri non negant, si modo Virgilius exceptus sit. Melior quidem sors ejus fuit, qui, qua esset patria, ignoraretur; plurimæ Græcæ civitates civem eum suum dixerunt. Hunc, quia, unde sit, constat, sua civitas ejecit. Et de facto hactenus. Nunc facti causam operæ pretium est videre. Sed imprimus novum religionis genus vide, imo vero superstitionis. Sanctis deberi statuas ait, poëtis negat, atque huic minus, qui gentilis fuerat. Non sum, qui negem, & statuas & honorem sanctis omnibus deberi, qui merito vitæ virtutumque doctrina digni sunt, ut colerentur in terris, & in cœlis beatam

sem-

sempiternamque vitam agerent. Poëtis iisque illustribus non video, cur non construi possint. Si enim munus tale in eorum memoriam fieri solet, qui illustres in vita præstantesque viri fuerunt: Quid ne vatibus quoque, si qui præter cæteros insignes sunt, talium rerum monumenta debeantur? Nam & posteris, cum hæc vident, magna sunt incitamenta animorum, ingeniisque ad virtutem & gloriam natis calcar ex his additur, quale solebat dicere Scipio, cum illustrium virorum imagines cerneret. Cumque poëtis hoc suo quasi jure concedam, non interdico tamen cæteris, qui in aliquo certo studio aut egregio artificio insignes fuerunt. Neque enim ut alios sileam, redarguendus is mihi videtur, qui cum Palladem finxisset in ejus se Ægidæ medium sculpsit. An fortassis bellorum ducibus solis habere statuas licebit? cum tamen in illorum gestis plurimum dominetur fortuna, in horum studiis minimum. Neque enim in rebus ingenii ullum est jus fortunæ. Aut magis Duces indigne ferrent hunc honorem vatibus reddi, qui honorem & memoriam ex vatibus habent? Absit! Non enim dignum est ut qui Ducibus gloriam pariunt,

illis duces suam invideant gloriam. Illud vero prætererire non possum. Quod Virgilius, qui gentilis fuerit, indignus sit statua. Simileque hoc videtur mihi eorum rationi, qui cum in templis, Judæorum gentiliumque imagines viderint Christum aut verberantium aut crucifigentium, oculos illis ut quæque iratior videtur eruunt, truculentasque lictorum facies ex multa religione pietateque deformant, quasi quidem in delendis imaginibus ac non magis in tollendis peccatis componentibusque (*e*) virtutibus meritum vitæ consistat. Jam ergo & Pharaonis imagines & Pilati atque Herodis: Item quoque & malorum dæmonum, quas tam horribiles, quam pictoribus placet, cernimus, templis avellendæ parietibusque delendæ erunt. Roma magnam ruinam sentiat oportet: in qua sunt tot vetustatis, tot priscæ religionis monumenta, sed si ita patiamur jubente eo dirui omnia, quæ ad Christianam religionem non attinent aut ullo pacto adversa sunt. Id vero non patiemur taciti quod de Virgilii & cæteris poëtis sentit, ac ne sen-

(*e*) Sic mendosa in MSto: forte *colendisque* sive *componendisque* vel simile substituendum.

sentit quidem tantum, sed & palam dictitat, poëtas omnes & Virgilium cum cæteris histriones esse; atque ne aliud lumen eloquentiæ Latinæ inoffensum prætereat; Ciceronem causidicum quendam & nugatorem fuisse ait: horum omnium artificium inanibus & sine ullo pondere verbis constare. Hæc est de Poëtis Oratoribusque sententia. Non est mihi nunc animus, monstrare quæ sit poëticæ vis aut Oratoriæ facultas: nam neque tu indiges, cui abunde cognita hæc omnia sunt, nec mihi vacat aliis studiis dedito, qui etsi otiosissimus sim, non satis fortasse sciam. De reliquis dicam. Ac de Cicerone quidem primum; de quo pleraque mihi convenit causidicum eum fuisse. Quod genus omnium in urbe hominum principe tunc primum habebatur: nunc nusquam tempore est. Quod si hic sciat, quas quantasque & populorum & regum ac maxime (f) quidem hominum causas egerit Cicero; non turpe judicabit fuisse causidicum. Nugatorem quoque eum fatebor ingenue, quando sibi ita placet, si jocos, quos stromata aut sales appellant, brevem

(f) f. *maximorum.*

vem & acutam ſententiam, quæ furtim pungat, palam lætitiam moveat, nugas dicit, in quo genere abundaſſe eum conſtat, ita ut libertus librum de patroni jocis texuerit. Nec vero Cicero tantum; Sed ut plurimi quoque alii, ante omnes Auguſtus tantus & tam doctus princeps his nugis ſuopte ingenio delectatus eſt; teſtes ſunt rerum ſcriptores, apud quos indubitata eſt fides. Verum id fortaſſe neſcit Carólus, quantus præter hæc philoſophus Cicero fuit, quam certus vitæ magiſter, ut eloquentiam taceam; in qua omnes, qui ante ſe quique poſt ſe fuerunt, anteceſſit. Legat enim libros qui magno pretio apud doctos habentur: aut ſi difficile putet multa legere, eum tantum libellum, qui eſt de officiis, videat. Adjiciet profecto ſuperioribus titulis, ut & philoſophum aut certe philoſophiæ doctum appellet. Quid & ſi illud ſciat, quantus Vir in adminiſtranda Republica Cicero fuerit, ita ut datum ei ſit á ſe patriam ſervatam, ſenatusque ei plerumque gratias egerit de benegeſta Republica? Non eum ita prorſus aſpernabitur, cum meo quidem judicio majoris ſplendoris ſit, fuiſſe tunc in Republica Romana poteſtatem, quam

quam nunc unius vel præclaræ urbis dominium eſſe. Ac de Cicerone ſatis. Ad Virgilium redeo, & poëtas cœteros, quos hiſtriones dicit. O ſacrilegium indignum! Vates, quos divinos appellare juſtum eſt, hic hiſtriones facit. Quod niſi me illud Ciceronis teneret non eſſe ſcribendum in eos, qui poſſunt proſcribere, acerbiore ſtudio injuriam hanc ulciſcerer. Sed venturi, mihi crede, ſcriptores rem hanc audient, cumque nihil erit, quod timeant libertate dicendi, defuncti memoriam lacerabunt. Veruntamen ab eo ſcire velim, quid ex aliena urbe hiſtriones pellat, quos in curia ſua nutriat? aut quid hiſtriones alios importunos ac nunquam ſaturos magnis muneribus donet, hunc, qui nihil ab eo peteret, tam turpiter ejeciſſet? honori ſibi Julius Cæſar duxit, ut ex talium hiſtrionum numero eſſet, atque in eorum collegio frequens aderat, quod nulli, quamvis ampliſſimo, erat turpe, poëtam eſſe. Et Auguſtus magno quidem ſtudio poëticam didicit: cumque eſſet Romanæ urbis princeps poëmata ſcribere adhortatus eſt, non ut hiſtrio, quales hic poëtas facit, ſed ut poëta & eſſet & haberetur, quos maximo ſemper ſtudio coluit, plurimos-

rimosque ex eis familiarissimos habuit. Ante alios Virgilium Mantuanum, qui patria sua proscriptus est, cui nihil necesse est ut patriæ nomen adjiciatur: quando proprio nomine cognitus est, ac magis sit Mantua ex Virgilio cognoscenda, quam ex Mantua Virgilius: Virgilium inquam familiarissimum habuit, ac non ut histrioni, sed ut amico, & ei, qui optime de se deque poëtica meritus esset, multa donavit. Nec vero ut ad nostram ætatem veniamus, alter ex hac ipsa familia de Malatestis Vir Eminentissimus Franciscum Petrarcham, qui post tot secula unicus vates emersit, ut histrionem coluit. Non Barnabas, non Galeazius non prudentissimus principum senior Franciscus aut ejus parens Jacobus de Cararia, non, qui omnes imperio gloria & virtute antecessit, Serenissimus Robertus. Horum ille omnium judicium damnat, cum poëtas nostros histriones facit. Quod si ita est, cur non & histriones suos poëtas effecit, & laurea, quæ poëtis ducibusque solis debetur, eos exornat. Fecit fortasse milites qui mos in consuetudinem apud principes venit, & cingulo aureis & calcaribus decoravit, quod quidem potest, poëtas facere non

pote-

poterit. Quod ſi quando ab hiſtrionibus tale aliquid confectum viderit; quale eſt apud Maronem, aut unum ex poëtis, tunc nominet poëtas hiſtriones, ſed me quoque favente hiſtriones ſuos poëtas appellet. Ac felix quidem eſſet meo judicio, ſi quis talis hiſtrio, qualis Maro fuit, aut quivis vel minimus ex poëtis, in curia ſua obſervaretur. Meminiſſe enim oportet jam rariores phœnicibus poëtas eſſe, quod ſemper phœnix aliquis, licet unicus, reperiatur, ut ajunt, rariſſimus autem aut vix in multis ſéculis unus poëta jam prodeat. Rara ſunt coelorum munera; ſcilicet cui Pierius ſpiritus datus eſt: hos iſte appellat hiſtriones; horum ſtatuas demolitur, hos patria ſua pellit, ejus fortaſſe judicium autoritatemque ſecutus, qui poëtas urbe pellendos cenſuit. Nam non eſt hæc nova ſententia. Sed quis dubitare poteſt illum, cum poëtas diceret, de miniſtris ſerio intendiſſe; his ſcilicet, qui fabulas agerent: quorum ludis populus ad laſciviam a bonis moribus averteretur. Sed alia eſt ratio poëtarum, & eorum maxime qui heroica ſcripſerunt, quorum unum propoſitum idque primum eſt, virtutem laudare, vitio turpitu-

pitudinique detrahere. Hæc ſunt, Ludovice, quæ dicere ad te volui; longiora fortaſſis, quam audire velles breviora certe quam dolor impetuſque meus ferret. Tu ſi qua via eſt, principem princeps hortare, ut ſententia cedat; poëtas oratoreſque ſi non ducit honore dignos, ſaltem non inſectetur infamia, Benegeſtis ſuis ampliſſimis & claritati nominis notam auferat, & Virgilii ſtatuam, quam evertit, magnificentiore impenſa ut ſe utque Virgilio dignam reſtituat.

IV.

IV.

DODECAS EPISTOLARUM INEDITARUM.

A.

DEberem quidem vos salutare ut Apostolico satisfacerem mandato, sed quia osorem meum vos esse intelligo, quamobrem pacis salutem vobis offerre ad præsens differo, sedistis enim in mensa cum Generoso & Illustri Domino Comite Gunthero ac aliis Reverendis & Eximiis Viris quamplurimis & solus vos in injuriam commissionis Apostolice qua fungor atque persone mee que vos nunquam offendit, post commendationem nominis mei dixistis Tezel non est Doctor sed vocatur *Bruder Johannes Tetzel*, verum quidem dixistis, vocor autem etiam Pater Johannes Tezel quia heretice pravitatis Inquisitor, & sancte sedis Apostolice ac Reverendissimi Illustrissimique Domini & Principis Primatis Germanie ac Sanctarum Magdeburgensis & Moguntinensis Ecclesiarum Archipresulis per prefatas Ecclesias ac Halberstadensis Dioeces. Generalis Subcommis-

missarius, ex quo ergo tantis maximis Principibus & Dominis dignus videor, deberem etiam vobis sufficere Doctori Italico non Germanico. Et ut paucis mentem meam intelligatis hoc unum vobis per presentes insinuo quod vobiscum in quacunque materia Juris Pontificii coram quibuscunque Universitatibus concertare volo, & talem me intelligetis quod Doctorem Italicum, vos puto, disputando, consiliando, nec timebo nec fugiam. Scivistis post Pascha statim & modo maxime Apostolica me fungi auctoritate pro cujus reverentia injuriis me non debebatis affecisse. Quia tamen Apostolicam Commissionem parvifacitis & meam personam agam, quo per vos non contemnar. Dicam etiam de vobis Reverendissimo Domino meo primati Germaniæ &c. quod Doctor estis Italicus, & quod ego de titulis Italicis nunquam male sensi nec etiam de aliis clarissimis Italicis Doctoribus.

De vobis autem solo hoc sentio, quod fortassis potationibus plus intenditis quam literis. Si enim de literis & prudentia vobis cura esset neminem contemneretis, & si placet ad certamen me citate in materia

Juris

Juris Pontificii ; In Theologia vos nihil ſcire pro comperto habeo.

Fama nominis mei nota eſt per Italiam & multa Regna totamque Germaniam, effudi etiam Theologie ac Pontificii Juris imbres coram totius Germaniæ Univerſitatitatibus, & nulla unquam me ſprevit, imo omnes etiam ante decennium ad ſacre Theologie Magiſterium me ardentiſſime invitabant, & fuiſſem Doctor Theologus ſi voluiſſem antequam vos coopertoria Juris & legum vidiſtis. *Vnd wil für euch bleiben Bruder Johannes Tetzel, ſteht und verthedigt euer Doctorat als ich verthedige die Sachen mir bevolhen dieſe meine Meinung vernemet euers Gefallens und halts darfür, ich will euch erben und lieben, wie Ir mir gethon hat, und lebet in mitler Zeit wie ich euch gon. Datum Eyſsleben* ipſo die Timothei anno &c. decimo ſeptimo

Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi Magdeburgenſis & Moguntienſis Eccleſiarum &c. Apoſtolici Principalis Commiſſarii &c.

Frater Johannes Tezel (a) sacre Theologie Licentiatus heretice pravitatis Inquisitor Generalis per omnia sue Apostolice Commissionis loca Subcommissarius.

Nobilis Generosi ac Illustris Domini Comitis Gebhardi de Mansfeld Domini mei gratiosi Consiliario asserto & fortassis Doctori Johanni Ruelli ad manus proprias.

(a) Has sequentesque literas ex autographis incomporabilis thesauri epistolici Krafftiani tecum communico. Oppido vero commemorabiles sunt hæ, a Tezelio, indulgentiarum nundinatore, scriptæ, cum inde edoceamur, etiam ante illud tempus, quo Lutherus thesibus publice affixis indulgentias aliosque abusus impugnavit, fuisse jam in ipsa Megalandri patria, qui Tezelii mores & arrogantiam, quæ vel ex hac elucet epistola, ægre ferebant. Ex incomto insuper sermonis genere Tezelii ruditatem agnoscimus.



B.

B.

FActus sum Immanuelis (*b*) hospitio & consuetudine é philosopho pene Theologus; ita me juvat ad Gamalielis hujus pedes acquiescere, & anni reliquum tempus in Theologiæ studio consumere: ut si forte sorbonista nobis insidietur, á religione (quam profiteor) minus inermis atque imparatus occurram. Scis enim non dico auspicia é garritu aut volatu pastuve avium nec astrologorum ex astris suis effata atque prædicta, sed ex omnium hominum ore omina in annum septuagesimum incidere & certa signa non antica illa solum (quæ adhuc nil nisi felix & faustum præmonstrarunt) sed nostratia hæc postica (quæ mox ingenti terræ motu excitabuntur;) huc rapido curru concurrunt. Quare noli mirari si meditatus huc accelerare cogito: Sed te ipsum eadem spe atque animo pari sustentato. Nil nobis respondisti ad literas quas nostro Sangueto ad te dederam, cave ne te mœror occupet, equidem nul-

 lum

(*b*) Tremellii, ni fallor, theologi olim Heidelbergensis.

lum hostem capitaliorem unquam putavi, & vides quo pacto contra me communiam. Mitte nobis sarcinam quam apud te deposui. Vale Heidelbergæ 6. n. Novembris 1569.

Tuus Ramus.

Sturmio

Argentinensis Academiæ
Rectori

Argentinæ

C.

C.

Salve V. Clariſſime.

Litterariæ divitiæ, quibus nos ornas rectè fuere redditæ & Hoeſchelius partem quam volebas accepit. Amo te de luculento munere, & gratias habeo, utinam tam promptum ſit referre. Themiſtio, quod Chriſtianam Religionem tribuis quam optarem me poſſe ſubſcribere? ſed verum tibi fatebor, ego hujus rei nullum veſtigium in his omnibus orationibus invenio. Vnum nimirum Salomonis locum adumbravit: idem alios itidem gentiles feciſſe novimus, & hunc ipſum Chriſtianus aliquis, nunquam profectò Aſſyriis transſcripſiſſet. At Gregorii Nazanzeni amicitiam coluit. Num non etiam Libanius Baſilii? Quid de reliquo in eo Chriſtianum eſt? Certè non philoſophi nomen, quod antiquitus de ullo unquam Chriſtiano abſolutè uſurpatum eſſe vix puto. Scimus Juſtinum Chriſtianum Philoſophum, ſed cum adjectione Martyris. Non ipſe ſcriptionis ſenſus in qua quam multa verè anti-Chriſtiana? & poſtrema à Duditio verſa oratio quam tota fere impia? quæ non

mica, ne horreo quidem ſalis, in homine Chriſtiano, unquam ſatis excuſari poſſit. Et meo animo multum intereſt intelligere, minime Chriſtianum fuiſſe qui ſcripſerit. De notis, cenſuram petis, ego tantum mihi non ſumo; ſed quando omnino vis, candidè ingenue, ut meus eſt mos, monebo, eſſe in præfatione & notis, obſcurè & dubiè jacta, quæ & eo pertinent, quo ſuſpicor facilè conjicas, ex una hîc noſtra ſuperiorum annorum congreſſiuncula, me iis non ſubſcribere. Nunc inter ſcribendum forte occurrunt notæ ad p. 57. ubi videris contendere priſcæ Eccleſiæ aras & altaria non fuiſſe, adductis Arnobii aliorumque teſtimoniis, ſed quod Heraldus nuper ad Arnobium de templis ſcripſit, ſi Deorum templa interpretemur quo ſenſu plerique priſci ſcriptores uſurpant, nulla Chriſtianis unquam fuiſſe templa, ſi contra, loca veri Dei cultui deſtinata tum Chriſtianos iis nunquam caruiſſe, idem ad aras & altaria optimo maximo jure transferamus licet. Creberrima in eam ſententiam ſuppetunt teſtimonia, quæ neque reſpectu ad Moſis tempora neque pſeudepigraphia, quod in Tertulliani & Auguſtini quibusdam locis conabaris, eludi poſſint. Quid

enim

enim clarius Tertulliano lib. de pœnit. t. 9: *Presbyteris advolvi aris Dei adgeniculari.* Cypriano lib. primo ep. 3. *Non meretur apud altare Dei nominari in Sacerdotum prece qui ab altari Sacerdotes & ministros voluit avocare.* Eod lib. ep. 7. *Quasi post aras diaboli accedere ad altare Dei fas sit.* Hilario lib. 3. ad Constantium. *Protraxerunt de altario sacerdotes.* Optato Milevit. *Conferta erat Ecclesia populis, plena erat cathedra Episcopalis, erat altare loco suo, in quo pacifici retro Episcopi obtulerunt, Cyprianus Lucianus & cæteri.* Lib. 3. *Cum altaria solenniter aptarentur*, Lib. 6. *Quid enim est tam sacrilegium, quam altaria Dei in quibus & vos aliquando obtulistis frangere, radere, removere? Quid enim est altare nisi sedes corporis & sanguinis Christi?* Ambrosio lib. Imo, de Virginibus: *Stabat ad aram Dei pudoris hostia, victima castitatis. Num melius, inquit, mater tu me quam altare velabis, quod sanctificat ipsa velamina?* Sed jam sum nimius, & si vix paucas spicas ex messe patrum & quidem Latinorum tantum legerim. Kirchmano etiam gratias, pro libris de funere, quos ego ante sex septem menses jam percurri. Vale V.

præstantissime. Et si quid in me, quod tibi tuis commodo & usui esse queat, dudum prolixè obtuli neque muto. Augustæ Vind. V K. vimbr. An. MDCV.

Tuus

Marcus Velserus (†).

(†) Duum viri hujus Augustani, summi olim Patriæ suæ, immo totius Reip. literariæ decoris, supplementum ad Antiqua, quæ Augustæ Vindelicorum extant, Monumenta, ad calcem rerum Augusta-Vindelicorum edita, adhuc ἀνέκδοτον, quintam Amœnitatum partem ornabit, a Clariss. Jac. Brukero mecum benevole communicatum.

D.

D.

Meinen Günstigen Gruss und geneigten Willen zuvor

Erbar, Hochgelarter, Lieber Besonder, es ist mir euer Beantvvortungs-Schreiben vom 25. Septembris, vvegen des Fontii Schrifften in dieser Wochen vvol zukommen; Thu mich zuforderst bedanken dass ihr nicht allein die Mühe im durchlesen dieses Authoris auf euch nehmen vvollen, besondern euch auch erbietet, ihn mit euerer præfation zu commendiren und zu zieren. Bin solches ins künfftige, vvürklich zu erkennen und zu ervvidern geneigt. Den seriem opusculorum (die vielleicht nach der Zeit, vvie sie der Author geschrieben, ungeachtet der materien, also geordnet,) berührend, stelle ich die angedeutete disposition euerer discretion anheim; dann ihr mit denselben nicht anderst, als vvann es euere eigene Arbeit und Gedanken vvären, zu schalten und zu vvalten haben sollet. Die Sphalmata Orthographica anbelangend, vermeine ich, dass in describendo fleissig auf das MS. (dievveil es sauber und leserlich, auf 100. Pergimentine Blätter geschrieben) Achtung gegeben vvorden; Was nun in denselben zu corrigiren seyn vvill; vverdet ihr unbeschvvehrt zu notiren euch gefallen lassen: und stelle es euch anheim, ob die Correctur, so ferne die Errata in MS. ipso, und nicht in der Copey so ich überschiket, gefunden vvürden, ad marginem zu setzen. Des Persii Satyræ, vverden hiemit auch übersandt, und vvollet ihr bey Zurüksendung des gantzen Werks, euer be-

bedenken, ob dieselben dem Commentario zuzuordnen, oder gar auszulassen, mir zuschreiben. Anbelangend den Druker, vermeine ich das Werk etwva zu Frankfort am Mayn oder zu Leipzig druken zu lassen: dann es vielleicht an denselben Orten besser abgehen möchte. Thu hiemit schliessen euch mit Gnaden gevvogen verbleibend. Vnd vverdet ihr zu euerer guten bequemen Gelegenheit, alles vvolvervvarlich mir zuzuschiken vvissen auf dass es etvva die künfftige Frankforter Oster-Messe heraussér komme. Eylig auf unserm Hause Hitzger den 9. Octobr. 1619.

AVGVSTVS der Jünger Hertzog zu Braunschw. und Lüneburgk

Mppr. (†)

Dem Erbarn Hochgelarten unserm Lieben besondern Georgio Remo der Rechten Doctori und der Statt Nürnberg vornehmen Rath.

E.

(†) Princeps hic, *Principum Germaniæ Phœnix* jure olim appellatus, unicus suo ævo literarum Stator & Vindex, omne præconium longissime supergressus, vivit adhuc & æternum vivet in omnium bonorum memoria. Unum, exempli causa, proferemus in medium Ejus elogium, a Jo. Valentino Andreæ, Theologo cordato, ipsi tributum in Rei Christianæ & literariæ subsidiis, ipsi dicatis, Tubingæque An. 1642. editis.

Gemma

E.

Meinen Günstigen Gruß und gantz geneigten Willen zuvor.

Erbar, Hochgelahrter lieber besonder, wessen ihr euch, auf mein letzthin, durch Forstenheuser beschehenes erinnern erkläret, solches habe ich vor diesem gnugsam verstanden, thu euch hiemit Copey des begehrten Schreibens, diewveil ichs unversehens unter andern Schreiben gefunden von hinnen zuschiken; Sowvohl auch meine Gedanken, wie etwa der Titul und Inscriptio einzurichten; doch euch hierinnen nichts vorgeschrieben. Sofern ihrs auch für nutz achten werdet, könte das Edle Büchlein de Pudicitia Conjugali des Bonfinii, welches innerhalb 50. Jahren nach der ersten Edition nicht wieder aufgeleget, etwa des Fontii Opusculis angefüget werden. Ob nun wol inter arma leges uti & literæ sileant, so muss man doch mit dem Diogene im dolio immer vort arbeiten: und ex portu so viel thunlich das Naufragium mit ansehen. GOtt lindere die scharffe Ruthe, so über Teutsch-

---

Gemma Ducum is: Princeps pietatis: Regula morum:
Orbis Germani Lux inclita: & una Corona:
Est sapiens unus, justus, bonus ille tuendus,
Divinus, dignus summis quin assidet actis;

Promtissimum Ejus literas & Literatos juvandi animum hæ luculenter testantur epistolæ.

Teutschland und das geringe Häufflein seiner Auss-ervväblten gebunden, gnädiglich, und schike alles, vvie vvir schvvache Gefässe es ertragen mögen. Verbleiben euch mit Gnaden gevvogen. In grosser Eyl Delmenhorst den 12. Februarii 1620.

AVGVSTVS der Jüng. Hertzog zu Braunschw. u. Lüneb. Mppr.

Dem Erbarn und Hochgelarten Unserm Lieben Besondern Georgio Remo, *der Rechten Doctori und der Statt Nürnberg vornehmen Geheimden Consiliario*

zu eigen Handen.

F.

Meinen günstigen Gruss und geneigten Willen allezeit zuvor.

Hochgelarter Lieber Besonder, es ist mir euer Schreiben von 15. Julii nebst der verfertigten Præfation vor vveniger Zeit vvol zukommen: Thue mich derohalben, sovvol auch des Carminis vvegen, bedanken, vvil auch mit dem ersten auf Mittel gedenken, diese Bemühung euch vvürklich zu erkennen zu geben. Die Præfation so ich hiemit, um den Druker mit dem ersten zuzuschiken, vvider zuruksende, vveiss ich zvvar nicht zu verbessern, alleine die darinnen angedeutete Encomia, schreibe ich mehr eurer sondern Adfection zu, dann dass sie dergestalt sich sollten erzeigen: aufs vvenigste incitiren sie ad virtutem tendentem. Ob der Druker etliche Exemplaria mir für die Communication etvva vvird zukommen lassen, habe ich von euch ferner zu vernehmen, auf vvelchen Fahl dieselbe dem Hamburgischen Buchführer M. Georg. Ludov. Frobenio in der Frankfurter Messe, könten zugestellet vverden. Was gegen die Posttage fertig, könten die Aubrü, vvochentlich dem Kays. Postmeister Johann von der Bürgden in Franckfurt versieglet zustellen; dann derselbe gute Gelegenheit hat, mirs auf Hamburg zuzuschiken, könte ich also mit Lust die Bogen durchsehen, und die vornehmste Errata dem Typographo um dem Werk anzuhänken, künftig communiciren. Werdet

det ihm solches unbeschvvert zur Nachrichtung verständigen; Anreichend den Bovillum, vel magis Bovem, habe ich zvvar dessen Calumnias, & Cæci de Coloribus judicium im Druk nie gelesen: Besondern der Trithemius gedenkt seiner, in der Polygraphia, daselbsten ihr könnet nachschlagen, insonderheit in der Edition, so der Glauburg in 8vo hat lassen ausgeben. Thu mich für die übersandte Jambos ebenmässig bedanken, und vvill solche zu ervvidern vvissen. Schliesslich ist mir vor diesem ein Theologisch MStum von Nürnberg zukommen, dessen Titul ist vvie folget: Reformatio Papatus juxta Confessionem Augustanam, quâ proponitur Romanorum PP. atque Conciliorum consensus cum Augustana Confessione in omnibus fidei Articulis depromta ex veteri Bibliotheca, pro Apologia veræ fidei, Catholicæ, Apostolicæ, & Confessionis Augustanæ: und soll dasselbe, vvie der Forstenheuser mir geschrieben, D. Johann Busenreiter Reip. Norimb. quondam Cancellarius gemachet haben.

Wann ich dann, auch diese Arbeit erster Tage einem Typographo dieser Oerter vverde zuschiken, und gleichvvol vorhero gerne vvissen vvolte, vvas dieser Author vor einer in vitâ gevvesen, und vvann er gestorben; Als habe ich euch desswegen ersuchen vvollen Gn. begehrend, dievveil ihr ohne Zvveifel dessen Person vvol vverdet gekennet haben, mir bey nächster Post tribus verbis hievon zu berichten, auch da es euch nicht vviderlich mit eurem Carmine, den gleichsam dieser Oerter unbekandten Authorem, zu commendiren

und

und zu zieren, die Arbeit vvird sonsten vor sich den Meister genüglich rühmen, und vväre unverantvvortlich, dass sie länger solte hinterhalten vverden.

Ich habe von dem General Superattendenten unsers Fürstenthums Lüneburgk Herr Johann Arndten eine Præfacion vor dasselbe Opus concipiren lassen. Thu hiemit schliessen, euch in Gnaden zugethan und gevvogen verbleibend. Eylig Hitzger den 12. *Aug.* 1620.

AVGVSTVS d. J. H. zu Br. u. L.

Mppr.

Dem Erbarn Hochgelahrten, unserm Lieben Besondern Georgio Remo, *der Rechten Doctori, und der Statt Nürnberg vornehmen Rath.*

G.

And. Schottus Eliæ Ebingero χαίρειν.

NArro tibi eruditiss. Elia redditum mihi librum, quem sponte miseras per manus Donckeri hic nostri, Græcè scriptum Catenæ in Epist. ad Romanos S. Pauli, verum beneficio non utar tuo, nisi integer reperiatur istic, aut alibi, nam hic â cap. VII. ducitur initium, & præmissa fuisse folia 24. indicat prima pag. 2di numeri affixa & ἀκέφαλα, imo ..... & quis demens excudat? Tametsi in vertendo sudaris vehementer, sumptusque toleraris. In Chrysostomo pleraque & Oecumenio reperiri posse video: & meam spectatam ætatem fessam fractamque, nondum tamen victam, laboro, studeoque τῷ Θεῷ Χάρις habetur. Et in Athanasio nihil adhuc Parisiis effectum, quod & procemium abesset, & in I. Psalm. (†) μετάφρασις adduci istic no-

(†) Descripsit A. 1627. B. Ebingerus Athanasii interpretationem Psalmorum e Codice Bibliothecæ Augustanæ, ac posthac versione Latina instructam in lucem emittere in animo habuit; verum temporis iniquitate prohibitus, illud consilium exequi haud po-

polunt, ut Athanasii esse γνήσιον partum credant, sed fortè ex Athanasii scriptis à monacho sedulæ instar apis collecta esse omnia. Et in Operibus sanctissimi viri Commel. edit. longiorum in Psalmos apparet specimen. Exspectabimus si forte in 1. Psalmum regia in Bibliotheca quid apparebit describendum.

Optassem Augustæ Catena illa in Paulum post Oecumenii cathenam, *Te interpretante atque obstetricante* (ut Cæsarius Nazianzeni frater, interprete Leunclaio) *lucem aspiceret*, habetis candidam chartam, operas, & mercatores istic qui libros edere suo ære non recusent, ut nunc quidem tempora sunt, cum soli libri decus tueantur nundinarum, *solique Germani hodie græca tractent atque evulgent*. Hic belli diuturni calamitate clausis mercibus Oceano jacet hæc ars, ac pene conticescit, nisi si quæ Pacis affulgeat spes. Salvebis mi Do. à Gasp. Geuartio patre Lanselio, atque Heriberto, qui mihi accessionem tuam librorum Augustanorum MSS. Græcorum ostendit, & lauta satis supellex est.

potuit. Vide Viri Præstantissimi, mihique amicissimi Jac. Brukeri Commentationem de Vita & Scriptis Eliæ Ehingeri p. 136. sqq.

Quæ inſeras folia in S. Hieronymo a Te deſiderata & in Gregorio magno curavi per Bellerum noſtrum Francofurdi ad te mitti, tradique Willero veſtro unà cum Epiſtolis S. Iſidori Peluſiotæ, Græcè hic tantum editis, quæ Latinum interpretem editio exſpectat alicunde, ut citius diſtrahatur. Vale in Dno. Antverpiæ, poſtridie. Feſti Pentecoſtes CIↃ IↃC XXVII.

Clariſſimo doctiſſimoque viro ELIÆ EHINGERO. in Collegio S. Annæ Profeſſori Auguſtæ Vindelicorum

Auspurg.

H.

H. (c)

Monsieur.

J'ay receu en mesme tems vos deux despesches du 18. Oct. & 15. Novembre avec

(c) Nicolai Claudii Fabricii de Peiresc Senatoris olim Aquisextiensis, cujus duæ hic exhibentur epistolæ, Viri ad juvandas literas unice nati, cujusque vel solum nomen elogium est, vitam curatissime descripsit Petrus Gassendus, quam biographiam verum exemplar vitæ descriptæ merito nominat B. G. Struvius in Introd. in Notitiam rei literariæ C. VII. p. 312. Conferri præterea de eo possunt authores Celeb. à D. J. A. Fabricio in Centuria Fabriciorum p. 61. laudati. Propensissimæ ejus in literas & literatos voluntatis vel hæ testes esse possunt epistolæ, quam præterea unico hic eoque luculento specimine, a Gassendo, nisi memoria me fallit, omisso, notatu tamen non indigno, probatam dare juvat, verbis non meis, sed Hadriani Valesii, in vita fratris Henrici p. 723. (inter vitas selectorum aliquot virorum Londini A. 1681. a Guil. Batesio in 4. editas) ita scribentis: Circa idem tempus (A. MDCXXXIV.) cum apud veterem auctorem de portu Smyrnæ clarissimæ urbis Joniæ legisset (Henr. Valesius) aliqua, quæ non facile possent intelligi nisi ab eo, qui locum vidisset; ac ea de re Fabricio Peirescio scripsisset: Peirescius una cum negotiatore Massiliensi pictorem ex Provincia Smyrnam proficisci jussit, qui de ipsa navi portum Smyrnæum diligentissime perspiceret ac delinearet, portumque penicillo expressum in membrana ad Valesium misit. Ex quo apparet

avec l' oraiſon de Libanius περὶ τῶ πλέθρε (*d*) dont je vous remercie tres affectueuſement, enſemble la memoire despieces du ſex Empyricus qui ſont en vôtre bibliotheque d' Auſpourg, & de ces XI. feuilles de vos memoires & obſervations concernant les (*e*) meſures Hebraiques en aucu-

paret hinc Valeſii in commentandis auctoribus curia atque diligentia; inde Peireſcii in juvandis ac promovendis ejus ſtudiis benignitas ſingularis. Egit gratias Peireſcio Valeſius, ſic tamen, ut ingenue fateretur, aliqua ſupereſſe, de quibus dubitandi cauſam haberet. At Peireſcius graviter ferens nihil actum tanta impenſa miſſi in Aſiam pictoris, reſcripſit Valeſio, omnia ſe facienda feciſſe, quibus deberet eſſe contentus; quodſi exactiſſimæ delineationi portus non acquieſceret, non pictoris, non ſuam, ſed ipſius plane culpam eſſe, cui nihil ſatisfacere poſſet.

(*d*) Hanc orationem ineditam adhuc extare etiam in Codice Biblioth. Barberinæ optimæ notæ monet Vir ſummus J. A. Fabricius in Bibliotheca Græca Vol. VII. p. 412.

(*e*) Diligentiſſime in pondera & menſuras veterum inquiſiviſſe Peireſcium, teſtatur paſſim in ejus vita Gaſſendus, p. 309. edit. Quedlinburg. A. 1706. in 8. ſpeciatim memorans, curaſſe eum exſcribi MSS. omneis, & Græcos quidem potiſſimum, de Ponderibus & Menſuris, ex Bibliotheca Vaticana, ex Regia, ex Auguſtana & cæteris. Jacobus quoque Sponius in itinere ſuo T. I. p. 3. edit. German. refert, eum centena propemodum Volumina MSS. poſt

aucunes desquelles vous avés fait entrelasser quelques mots du texte Hebraique & en aulcunes autres les auez fait laisser en blanc. Regrettant neantmoinque bien fort la peine que vous y auez prise, & le temps qui auez fait mettre au copiste, que l'ay merays bien mieux avoir esté employé, a quelque chose de celles que je demandoys, mais je ne laisse pas de vous scavoir fort bon gre de vôtre bonne volonté, & n'ay pas esté marry devoir vos sentiments sur cette matiere. Ma recherche est fort esloignée de tout ceque l'Arrias Montanus & tous les autres modernes en ont escript, c'est pour quoy j'en recherche la confirmation, dans les anciens autheurs Grecs & Latins non imprimés, ou dans de bons MSS. biens anciens & bien authentiques des imprimés, qui peuuent ayder a corriger les faultes qui s'y sont glissées, lesquelles sont très grandes & importantes, & ont fait faillir touts les modernes qui ont escript aprez. Il ne sera plus de besoing de copier les orai-

post se reliquisse partim manu sua, partim librariorum exarata, e quibus unus codex de veterum mensuris ac ponderibus agat. vid. J. A. Fabricium in Centuria Fabriciorum p. 62.

ſons de Libanius (*f*) non imprimees, par ceque Mr. Godefroy m'a remis celles que vous luy avez envoyées, & je luy ay fait payer la ſomme qu'il à trouvé bon de vous envoyer croyant que vous l'aurez deub recevoir, avant la preſente lettre. Et ay eſcript á Paris pour voir quel moyen il y aura de vous faire contenter pour la tranſcription du St. Cyrille de Trinitate (*g*) dont

(*f*) Orationes Libanii collegit Peireſcius in gratiam Henrici Valeſii. Ita enim Gaſſendus l. c. p. 346. Quid heic referam continentem illam ſollicitudinem, qua procuravit, ut Valeſius orationes Libanii cum acceſſione editurus recuperaret ineditas? Exſcribi jam ante curarat, quæ in Bibliotheca Auguſtana extant: hoc tempore vero cum haberet Romæ paratum Dormalium, qui ad exſcriptionem extantium in Vaticana ſe accingeret, dedit operam, ut auctoritate Cardinalis Barberini id exequeretur. Non autem prodierunt in lucem hæ orationes. Hadrianus Valeſius in vita fratris Henrici p. 729. hæc habet: Valeſius ipſe cum jaceret in lecto, & intra paucos dies moriturus falſo crederetur; mihi opera ſua commendans, aſſerebat ſe Libanii ſophiſtæ orationes quindecim, ad hiſtoriam pertinentes, ex priſcis membranis eruiſſe, ac in linguam Latinam convertiſſe, commentariisque expoſuiſſe. At ipſo mortuo, Græcas orationes Libanii quatuor tantum aut quinque, ac ne eas quidem hiſtoricas, in Latinum ſermonem translatas, ejus in ſcriniis reperi; cæteras, ſi quæ ſunt, haud quaquam vidi.

(*g*) Pro Joanne Auberto, cujus ſtudio poſthac A. 1638.

dont j'attends la responce : & vous en advertiray en son temps desirant de vous servir en tout ceque je pourray & particulierement en cela s'il est possible, sur quoy je prie á Dieu qu'il vous tienne en sa St. Garde & demeure

Monsieur

à Aix ce 3. Januier 1633.

Votre tres affectioné Serv.
de Peiresc. (gg)

A Monsieur

Monsieur le tres docte Professeur Ebingerus Bibliothecaire de l'Eminentissime Republique d'Auspourg.

A Auspourg.

1638. Lutet. septem Tomis excusa sunt Cyrilli Alexandrini opera, hunc librum cum aliis ex Bibliotheca Augustana A. 1633. exscribi curasse testis est Gassendus l. c. p. 282. conf. Ehingeri Catalogum Bibliothecæ Augustanæ. f. 22.

(gg) Spem aliquando factam esse in lucem edendarum Epistolarum Peirescii & virorum doctorum ad eum scriptarum binis voluminibus in folio, refert J. A. Fabricius in Centuria Fabriciorum. p. 62.

Monsieur.

VOus avez accepté & executé de si bonne grace, & avec tant de marques de vôtre honnesteté, & de vôtre Candeur, les ordres qu'il á pleu á Messieurs les Illustrissimes Seignieurs (*b*) Jean Antoine Lauginger & Jean Udalric Oesterreicher (très dignes surintendants de vôtre Riche Bibliotheque Augustaine) vous donner, á l'instance de l'illustre Seignieur Philippe Hainhofer (*i*), & á ma tres humble Supplication, pour raison

(*b*) Horum auspiciis Elias Ehingerus A. 1633. Augustæ in fol. edidit Catalogum Bibliothecæ Augustanæ, rarius jam obvium propter exemplarium impressorum paucitatem. vid. Amoenit. T. II. p. 390.

(*i*) In hujus laudes excurrit in Selenianis Augustal. p. 267. sqq. præclari nominis & rarissimæ probitatis Theologus Wirtembergicus, Jo. Valentinus Andreæ, qui in ipso inexhaustam vim ingenii, septem linguarum non vulgarem peritiam, omnium aularum notitiam, usumque clarissimorum undique hominum plurimum prædicat, post alia his eum, A. 1647. d. 13. Julii, cum septuagenario jam proximus esset, defunctum celebrans: Memoriam Viri tuebuntur cum omnes, quotquot artes linguasque liberaliores colunt; tum artificum mechanicorumque omne genus, cui architectus ipse admirabili judicio præfuit: sed & Magnates, quorum negotia solicite & diligenter egit; imo Religio ipsa, cujus causæ patronus impiger fuit; amicorum vero innumera turba, qua cum literarum commercium assiduum

raiſon des œuures non imprimées de Libanius, que l'on deſireroit mettre au Jour á Paris: Que je vous en ſeray à jamais tres redeuable en mon particulier auſsy bien que les plus Galants hommes du ſiecle. Et ceux de la Poſterité qui vous devra ce benefice. Pour laquelle je ſtipule très voluntiers & accepte la grace qu'il vous plaiſt m'offrir tant de la part de ces Meſſieurs que de la vôtre. Vous envoyant á ces fins le bordereau de quinze ou vingt Harangues & actions oratoires de ce grand perſonage que nous ne croyons pas eſtre comprinſes en l' edition de Paris que le feu Sr. Morel auoit faite à ceque nous en avons peu juger des tiltres qui ſont enoncez au Catalogue cy deuant imprimé des livres MSS. de vôtre Bibliotheque ſur le quel nous en avons choisy une quinzaine qui ſemblent aſſeurement differentes de tout ce que l'on avoit cy deuant, mais il y en a troys de plus en reſte

du

duum habuit, exaruiſſe hoc calami flumen, & defeciſſe tam liberale officium dolebit. Epitaphium, quod ſibi ſuisque vivus ſcripſit Hainhoferus, tum temporis Sereniſſimorum Ducum Sedini Pomeranorum a Conſiliis, vid. in Danielis Preſchii Epitaphiis Auguſtanis p. 184. ſqq.

du bordereau qui pourroient bien y estre comprinses. Si tant est que vous y trouviez du rapport, à cequi en a estè Cotté. Je vous supplie donc très humblement de nous faire transcrire les pieces contenües au dit Bordereau que vous jugerez n'auoir encore veu le Jour, ou de la main de quelque copiste si exacte, que l'on n'aye pas de regret, de les faire mettre sur la presse ainsin qu'elles se trouveront transcriptes, & diligemment collationecés, sur le volume original cotté du nombre 95. Monsieur Lumaga de Lyon envoyera tre de credit au dit Sr. Hainhofer pour fournir les fraiz du Copiste grassement, a celle fin qu'il n'y espargne pas la peine. Et je vous supplie tres instamment Monsieur d'y vouloir tenir la main, & y donner un coup d'oeuil auant que la copie sorte de vos mains, pour esuiter les equilloques & autres faultes qui pourroient eschapper au dit copiste. Car sur vôtre foy, l'on en fera imprimer le texte aussy confidamment que si l'on nous avoit confie la veüe du volume original. En revanche de quoy je vous offre la pleine disposition de touts mes liures, & mon entremise & employ de tout mon foible credit,

dit, pour vous faire obtenir pareille gratification des livres de mes amys, ou des lieux publics, ou je pourray pretendre quelque droit de communication, comme j'ose vous en promettre de tout ce qui est en la Bibliotheque du Roy, en celle de m. de Thou en celles de Messieurs du Puy, & mesmes en Italie si besoing est ou j'ay conservé de bons amys Ne pouuant assez prixser á mon gré l' acquisition de l' honneur de vôtre bienveillance (que je tascheray de meriter si je puis par toute sorte de services, & de redebuances, á vôtre vertu & á vôtre singuliere erudition) Dont je vous remercie par un million de foys, comme aussy de la relation qu'il vous a pleu me faire de la subsistence quoyque cachée de la Bibliotheque Peutingeriane, dont je me conjouys de bon coeur, & de celle de feu Monsieur Marc Welser jadis mon intime amy dont j'ai esté infiniment aise d'apprendre le bon heur d'estre tombée en si bonnes & si dignes mains, & que vous nous en fassiez esperer bientost le Catalogue imprimé que je tiendray á grande faveur, de vôtre main. Et qu'il vous plaise m'envoyer par mesme moyen un petit bordereau des ouurages que vous

avez

avez maintenant en main, & dont vous faites estat d'ayder le public, á celle fin qu'en faisant mention de vous comme il est necessaire, on puisse par mesme moyen toucher quelque chose de vôtre merite & de vôtre vertu. Je vous supplie aussy par mesme consideration, de me faire sçavoir s'il y a rien de particulier qui soit bien notable en la personne tant de Messieurs vos Intendants, & de Monsieur Hainhofer, que de leurs ancestres ou de la qualité de leurs familles, s'ils sont rendu quelques signalés services a leur patrie ou au public pour le faire valloir ainsin qu'il appertiendrà en leur rendant les eloges d'honneur & de Gratitude qui leur seront deubs par la gratification qui sont daignes faire de ces belles pieces à une persone si eslongnée & si incogneüe. Que si dans vôtre Bibliotheque publique ou dans aulcune des particulieres de vos amys, il se trouvoit quelque exemplaire MSt. bien ancien & de bonne marque de ces liures de *MARCELLUS* que lon surnomme Communement *Empyricus*. Je desirerois bien qu'il vous pleut me faire transcrire fort exactement & avec les mesmes parolles & escritures (soit correcte ou fautiue) de l'original

M. S.

M. S. seulement les deux ou trois pages qu'il y a en teste de l' ouvrage, qui ne concernent que le desnombresment des poids & mesures des anciens tant en grec qu'en Latin vous suppliant d'y faire plus scrupuleusement obseruer les articles, concernants le *CYATHUS.* le *COTYLUS* & le *OLYSCION.* que les autres & les notes numerales adjoustées au denombrement des mesures Greques aussy bien que des Latines. S'il y auoit aussy quelque vieil exemplaire en parchemin de bien ancienne escritture de les petits opuscules de la mesme matiere *de mensuris & ponderibus*, qui se trouuent imprimés auec les oeuures de Galien sous divers noms d' Autheurs, tant de Dioscoride & de Cleopatras que du dit Galien bienque abusivement. Ensemble les anonymes qui ont esté imprimés derriere le texte Grec du Nicander, vous m'obligeriez grandement de meles faire transcrire com'aussy ce qui s'entrouue M. SS. en diverses bibliotheques soubs les noms d'*APHRICANUS*, *ORIBASIUS HERON.* &c. autres anonymes sur cette matiere de Mensuris, qui sont touts opuscules de fort peu de feuillets. J'en paye tous volontiers la despence du copiste, par ueu que

que cela fust extrait sur des exemplaires bien anciens, car par de Copies en papier, de 200. ans en ça. Il s'en trouue par tout une grande quantité, qui retiennent la plus part les mesmes faultes les vns que les autres. C'est pour quoy ils ne meriteroient pas la peine de les faire transcrire. En ayant deja recouuré bon nombre de divers Endroits de France & d' Italie sur l' occasion de certain ouurage que j'ay maintenant en main sur ce sujett. Vous m' obligerez beaucoup en cela si vous m'y pouuez apporter quelque secours & ces Messieurs Vos Illustrissimes Seignieurs surintendants de vôtre Bibliotheque, ne meriteront pas moings enuers le public de m'en faire octroyer la communication que pour le supplement des oeuures de Libanius. Et je tacheray de publier leur Zele envers le bien public au moings mal qu'il me sera possible. Il me reste encor une priere à vous faire, pour apprendre s'il est possible par vôtre moyen qu'est devenu un gentilhomme de vôtre ville d'Ausbourg que j'ay veu en ce païs icy dez. l'an 1608, en Juillet. Il auoit nom Joannes Petrus á

Deger-

Degerstain (*k*) cognomento Hainzel armiger Augustensis Rheticus, il portoit par Armoiries une espée mise en Bande, & auoit recueilly de fort curieux memoires des Genealogies, & alliances de plus Nobles. & Illustres maisons & familles de l' Europe & des origines des Armoiries. Je ne vis jamas homme qui en fusse plus intelligent & plus instruict que celuy là. Et tiensque s'il est encor en vie comme je le souhaiterois, il fault qui soit au service de quelque Grand Prince. Mais je m'imagine qu'n pourra Sauvir à Auspourg par quelqu'un de ses parents le lieu ou il peult estre & l'estat ou il se trouue, quand bien il seroit habituè ailleurs au plus profond de l'Alemagne. Que s'il estoit á Auspourg je vous supplie de l'assurer de ma part que je suis tousjours son serviteur, & que j'ay recouuré une infinité de pieces qui seroient

(*k*) Sepultus is est Savonæ, hocque ipsi positum epitaphium: SISTE. GRADVM. VIATOR. ATQVE. HÆC. PAVCA. SI. LIBET. PERLEGE. JOAN. PETRVS. HAINZEL. A. DEGERSTAIN. ARMIGER. AVGVSTEN. RHETICVS. HIC. SITVS. SVM. DE. ME. FORTASSIS. ALII. ALIA. EGO. NIHIL. ALIVD. NIL. NISI. DIVINVM. STABILE. EST. HVMANA: LABORANT. VIX. ANN. XXXVI. M - D - O. A. E. C. MDCVIII. DIE. XX. M. SEPTEMBR. vid. Praschii Epit. Aug. p. 232.

bien de ſon gouſt, & de ſa curioſité dont je je ſerois tres aiſe de luy faire part, en revanche de celles qu'il luy pleut me laiſſer á ſon paſſage par icy. Mais que direz vous Monſieur de la multiplicité de mes Importunitez pour la premiere foy, que vous m' avez ouuert la porte de chez vous, & que vous m'y avez donné un ſi favorable accez, que celuy de vôſtre honeſte lettre de la veille St. Jacques remply de tant d'obligantes offres de l'honeur de votre amitié á laquelle je vous promets ſolenellement, que j' apporteray toute la meulleure correſpondance, qui pourra dependre de moy & de tous les miens vous offtant Monſieur & par conſequant non ſeulement mes livres mais tout ce qui peult eſtre á ma diſpoſition, & de mes amis auec toute la franchiſe que vous à voüée

Monſieur

A Aix en Provence ce 5. Sept. 1633.

Votre tres humble & tres Affectioné Serviteur de Peiresc.

A Monſieur

Monſieur le tres dotte Profeſſeur Elias Ebingerus Bibliot. de l'Emin. Republique d'Auspourg.

à Auspourg.

K.

K.

EHrenvester vvolvorgeachter insonders Geehrter Herr, und alt vertrauter Freund, desselben geliebtes den 6. Junii hat Herr Berger communis amicus mir vvol zugefürdert, deme ich unlängsten mit vvenigem angediten, dass die Fabula Keiliana (a) *numehr*

(a) Digitus intenditur in Joannem Keilium Geerlingensem ex agro Wirtembergico, qui eo tempore visiones quasdam jactavit, tandem vero fraudibus detectis imposturæ convictus est. Legi relationem de apparitionibus angelicis, prodigiisque, ab ipso confictis, A. 1648. Germanico idiomate typis exscriptam, sed publica authoritate mox suppressam. Extat etiam concio Tobiæ Wagneri, Pastoris tum Eslingensis ex de re habita, cui annexa est ejusdem disquisitio: *an his etiam ultimis temporibus Deus Ecclesiæ suæ extraordinarias visiones Propheticas, revelationes & apparitiones, sicuti in Vet. Test. & apostolica Novi Fæderis Ecclesia factum est, dare velit?* In illius concionis exordio breviter Wagnerus rem hanc sic exponit: *Es ist nicht allein Kirchen- Statt- und Landkündig, sondern nunmehro auch in gantz Teutschland erschollen, ob sollte GOtt nach seinem allein weisen Rath einem gemeinen Burgers-Mann von Geerlingen, Leonberger-Amts, Namens HANS KEYLEN, auf offenem Feld in seinem Weingarten einen Engel vom Himmel gesandt, und durch diesen Engel ihme einen Befelch Hohen und Nidern, Geist- und Weltlich- Mann- und Weibs-Personen Buss zu predigen aufgetragen, auch solchen Befelch mit einem Wunder-Zeichen Blutschwitzender Reben bekräfftiget haben; Welches alles nicht allein alsbalden fast von männiglichen mit grossem Eyfer, auch Zulauf von zwey biss in die drey tausend Personen*

numehr entdecket, und der Impostor seine verdiente Strafe zu empfahen haben vverde; vvie solches förderlichst durch offene Ausschreiben und Gegentruk männiglich communicirt vverden solle. Es hat aber der Teufel hiedurch viel gevvonnen und an statt Hochnothvvendiger Buss und Reformation dieses Ludibrium in den Weg gelegt, damit man in allen andern Ostentis, Prodigiis & Ominibus desto sicherer verbleibe, und in aller Dissolution fortsetze, damit man desto gevvisser und frolicher zu grund gehe.

Von

---

nen in den Augenschein zu bringen ist gesucht, sondern auch mit offentlichen in Truck gebraebten weit und breit verschickter Relationen dermassen beglaubt gemacht worden, dass nicht allein fern entlegene Ort nicht mehr daran zweiffeln, sondern auch der gröste und meiste Theil dieser allhiesigen Statt und Gemein in solcher Andacht gegen disem vermeinten Propheten steckt, dass sie bald gegen Mosen und den Propheten nicht könnte grösser seyn. conf. Jo. Valentini Andreæ Seleniana Augustalia p. 422. & 425. ubi inter alia his verbis ubitur: *Interea fabula Keyliana propemodum tota denudata, in ludibrium abiit. Nam cum homo subinde exploratus parum sibi constaret, conjectus in carcerem, & minis territus vacillare cœpit, tandemque piam, quam sit commentus, fraudem quasi fateri & deprecari, nondum tamen omnem Imposturæ ordinem explicare, qui per quæstionem extorquendus jam videtur, cum aliam post aliam præstigii telam vir minime simplex texerit. Dici non potest, quot quibusque viris, nedum mulieribus, fucum fecerit, quorum in utramque partem digladiationes in risum publicum & ruborem intimum abibunt.*

Von meinem SUFFICIT habe ich noch etliche Disticha Explicatoria communiciren wollen. (*b*)

1.

Quid mihi *livor* iners? quid inanis *gratia* mundi?
Sufficit in Domino ſpes poſuiſſe meas.

2.

Andreana mihi *crux ſufficit* euge redemptor
Intextamque Tuis *ſufficit* euge *roſis*.

3.

Glorior in Domino mihi gratia *ſufficit* ejus
Cujus in imbelli corpore robur amo. 2. Cor. 11.

4.

Sufficit, omne malum toto jam increbuit orbe:
Sufficit an cui quam vivere dulce ſiet.

(*b*) Verbo: SUFFICIT, ſymboli loco uſus eſt pientiſſimus hic theologus. Alia in illud diſticha, non minus elegantia, invenies in Selenianis Auguſtal. p. 301. ſq. & 388.

5.

Sufficit in terris & *amara* & *amœna* ſubiſſe
Hæc *deguſtavi* nauſeo & illa ſatur.

6.

Sufficit, eja veni JEſu miſerere laborum Dan. 12. 6.
Sufficit ah finem, quando benigne dabis. Apoc. 22. 20.

7.

Sat Patriæ, ſatisque datum, quid demoror ultra!
Sufficit hinc placida porro quiete fruar.

8.

Sufficiat metam vitæ tetigiſſe ſupremam Pſ. 90. 10.
Quicquid Jova dabis inſuper omne lucrum eſt.

9.

Septenos novies tetigi feliciter annos,
Sufficit, hinc canos intumulabo meos.

10.

Sufficiet vitæ jam *climactera* ſecutum LXIII.
Nunc Te Chriſte ſequar, quando ubicunque velis. 11.

11.

Sufficiat mundi, tot decoxisse labores
Nunc *rude* donandus arma repono libens.

12.

Sufficiat mundi fucatam agnoscere larvam
Nunc *cœlo* experiar quid mihi fata parent.

Sed Sufficiat wwomit ich diese Chartam an statt unangenehmer Zeitungen ausfüllen und bey denen geliebten Herrn Mich expectoriren wwollen, GOtt wwolle dass wwir das zeitliche Sufficit wwol practiciren, damit wwir der ewwigen Sufficient und Superabundanter geniessen mögen. Hiemit mich zu getreuem Hertzen und uns samtlich Göttl. Schutz befehlend den 20. April. 1648.

Salutem & Officia fautoribus & amicis

Tuus

antiquâ fide

Jo. V. A. (*c*)

(*c*) Jo. Valentinus Andreæ, S. Theol. D. & Aulæ Ducalis Wirtemberg. a Sacris Consil. & Concionibus., D. Jacobi Andreæ nepos, Vir supra laudem positus, cujus permultæ epistolæ, maximam partem Germanico sermone exaratæ, in thesauro Krafftiano ad-

Dem Ehrenvesten Wol-vorgeachten Herrn Andreæ Reinharten in des Heil. Röm. Reichs Statt Memmingen Wolverordneten Stattschreibern, Seinem insonders Grossg. Herrn und alt vertrauten Freund.

Memmingen.

adservantur. Juvat hac occasione scripta ejus deperdita enarrare ex J. C. Lib. Baronis de Boineburg, Equitis literatissimi, Epistolis ad Jo. Conr. Dietericum p. 322. sq. cujus hæc sunt verba: *Jo. Val. Andreæ ingenium mihi multum placuit: perierunt ejus viri multa, quæ insignem, si superessent, rei literariæ sacraque afferrent utilitatem. Catalogum deperditorum, quem amici ope impetravi, tu quoque habeas: perierunt Hyacinthus, Comœdia de honestis Hyacinthi & Flosculanæ amoribus: Esther, Comœdia: Theodosius, sive de rectiore juventutis educatione sub ficta historia L. III. Carcer animæ Christianæ in corpore Lib. IV. Detestatio Veneris contra seculi lasciviam. Artis & Martis duellum. Mundus absonus, seu de cæco oculato, oratore muto, auditore surdo, & cursore claudo. Fabula de Christo, seu Pseudo-Christianorum & cæcopoliticorum abusu nominis & beneficiorum Christi. Mythologiæ Christianæ L. 4. 5. & 6. Theophilus, seu de Christiana religione sanctius colenda, vita temperantius instituenda, & literatura rationabilius docenda consilia, dial. 3. &c. Hæc omnia a viri optimi diligentia jam habuimus, si iis uti frui per fatorum atrocitatem licuisset.* Sed ejus Theophilum Stutgardiæ A. 1649. in 12. jam typis exscriptum, adeoque de perditis Andreæ opusculis accensendum haud esse, ex Catalogo Bibliothecæ Spizelianæ f. 170. didici.

L.

JO. ANDR. MATTSPERGERO.

Suo

S.

Ben. Dav. Carpzovius. (*d*)

TUas ad me literas ὦ φιλοτησις accepi; inclusas exhibui. Scribis me adulationis morbo correptum eas in tuam de Problematis dissertationem laudes effudisse. Cave hoc pûtes: veritas, ut ista scriberem, me adegit. Sed quæ tua est insignis modestia, videris ista mihi ad cujusdam Peirescii imitationem â Te removisse. Quæ de Decanis ex Scaligero ad Manilium excerpseras, mirè placuerunt: rogoque ut operam hanc in excerpendo mihi præstare pergas, in iis etiam, quorum, sacro hoc tempore veniebat in mentem, ad Salvatoris nostri ἐν ταφιασμὸν spectantibus. De Sudario scribit Salmasius, ep. II. de cruce: antiqua vox est origine græca, ut ex Hermispo citant vetustissimi Grammatici, qui σωδάριον dixit, ut

(*d*) Haud exiguus numerus epistolarum hujus Carpzovii, exasciata eruditione refertarum, in Bibliotheca Krafftiana latet.

ut alibi notamus. Analogia verò respuit, ut sudarium appellatum sit â sudore. Hæc ille contra omnium fermè, nî fallor Eruditorum mentem, qui Latinam vocem, sed ut alias multum ab Hellenistis usurpatam contendunt. Rogo itaque Te, uti si libri suppetant, quinam sint illi vetustissimi Grammatici additis eorum & ipsius Hermispi verbis exponas. De linteis sepulcralibus, si præter ea quæ Salmasius in de Cruce & Aringhus in Rom. subterr., scripserunt addideris, si quæ habes alia, erunt illa quàm gratissima. Vocem λίτρας quidam itidem Latinam existimarunt: ego putârim Græcam; Tu, quid senties exponas. Nam illius quoque fit mentio in descriptione Sanctissimæ Sepulturæ. De sepulcro ipso duo sunt, in quibus velim â Te erudiri: Unum, an, cum Josephus dicatur â B. Matthæo προσκυλίσας λίθον μέγαν τῇ θύρᾳ τοῦ μνημείου (quibuscum confer quæ habent Evangelistæ cæteri) lapis ille debeat advolutus sepulcro, an vero instar operculi impositus intelligi. Alterum erat, quemadmodum excisum intus fuerit sepulcrum, ut non rectà introspicere sed παρακύψαντα & obliquato porrectoque collo oportuerit. Hæc facile poteris ex ipsius sepulcri structurâ decla-

declarare, Juvabit inſpicere Exercitationes Plinianas *τȣ̃ ἐκείνȣ*, ſi adſint ad manus; ſin minus, alios eruditorum libros rariores, quos Te ab Amico poſſe conſequi nullus dubito. Quâ quidem in re ſi mihi fueris gratificatus, incredibili voluptate perfundes. Poteris cumprimis ad eam rem declarandam aſſumere illam מערת המכפלה ſeu ſpeluncam duplicitatis, cujus fit in Geneſi mentio. A me vero nunc quidem iſta habe. Ex quo tempore Conſtantinus M. ſuper ſepulcrum Dominicum Templum ædificavit, locus ille, non tantum ΑΓΙΟΝ ΜΝΗΜΕΙΟΝ. ſed etiam ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ & ΝΕΟϹ ΙΕΡΥϹ ΑΝΑϹΤΑϹΕΩϹ vocari cepit. Gregorius Nyſſenus modo *Μνῆμα*, modo *Ἀνάςασιν* ſimpliciter vocat. Qua de re *ὁ πάνυ* Caſaubonus not. in Gregor. Nyſſeni Epiſt. ad Euſtach. pag. LX. Quæ idem de ſepulcris habet in Exercitationibus Anti Baronianis, nolim excerpas; nam lecta jam ſunt. Quoniam hic ſepulcrorum facta mihi mentio ſemel eſt, non ſpero tibi ingratum fore, ſi adjiciam Epigramma argutiſſimum *τȣ̃ δεῖνα* de ſepulcro uxoris Loth.

Quod

Quod ſpectas oculis, viator hoc eſt
Sepulcrum nec habet ſuum cadaver.
Quod ſpectas oculis, viator hoc eſt
Cadaver, nec habet ſuum ſepulcrum
Sepulcrum tamen eſt, & eſt Cadaver.
Qui poſſit fieri, rogas? habeto
Conjux facta Lothi ſalis columna.

Redeo ad Problema tuum, in quo adeo mihi ſuffenus non ſum ut quicquam perperàm poſitum arbitrer, nedum corrigendum; etſi Tu â me id exigas. Illud ſolum addo quid חידה ſit, quod Ἑβραΐζοντες Helleniſtæ Alexandrini πρόβλημα tranſtulerunt. Ita enim exponit Rabbi David Kimchi in Sepher Schoreſchim ענין הבל דבר סתום שיבינו חסיבים דבר אחר מתוך אותו הדבר h. e. חידה. ſignificat rem abſconditam, ob quam illi, qui intelligunt, aliud quid concipiunt. Don Iſaac Abrabaniel ad Jud. XIV. הת ספיר הדבר הסתום H. e. eſt enarratio rei abſconditæ. Eſt autem, ut exiſtimant nonnulli á חדה acuere. Quemadmodum â שנן quod idem eſt, dicuntur προβλήματα & dicteria acutè cogitata שנינות. Tu vale, & quod â me ro-

roga-

rogatus es, cura ut persequaris, Amicorum Certissime. Dab. Jen. d. xi. April. CIↃ IↃC LV.

Pereximio & Eruditissimo

Dn.

JO. ANDR. MATTSPERGERO

Phil. Mag.

Amico honoratissimo.

Lipsiam.

M.

M. Jo. Andr. Mattſpergero.

Suo

S.

Ben. Dav. Carpzovius.

MIrè placuerunt, amiciſſime Mattſpergere, quæ nuper ſciſcitanti mihi de ſepulcris Ebræorum noſtrique omnium Salvatoris, reſpondiſti. Diſtinguebas tum rectè inter ipſum ſepulcrum, & cubiculum in quo illud contineretur. Sic enim ſe res habet. Solebant Judæi cavernam in petra excavare, longam VI. & latam IV. cubitos; in illa autem caverna, octo alia excavabant foramina, ad ſingula corpora reponenda; quoniam qui unius erant familiæ, ſepeliebantur quidem ſinguli â ſuis in ſua quisque cavernâ; omnes tamen in ſepulcro unico. Talem namque ſepulcrorum Judaicorum formam nobis exhibent Dd. Talmudici part.IV. lib.III. בבא בתרא c.VI. Et liquido apparet ex illa מערת המכפלה cujus ſit in Geneſi mentio.

Cæte-

Cæterùm quia tuo quoque judicio ſunt ambigua, & ventilari in utramque partem poſſunt, quæ Authores hac de re prodiderunt, tanto igitur magis ad indagandum, ſi quid forte ſimilius vero inveniri poſſet, illectus ſum. Sunt enim hæc quoque ἐκ τῶν προβλημάτων; quorum neque ego diffiteor jucundiſſimam eſſe συζήτησιν, & tu non ita pridem feciſti fidem, vetus hæc eſt ut ſcis & Socratica diſputandi ratio, ut, cum is, qui audire vellet, dixiſſet, quid ſibi videretur, tum alter contrà diceret. Nam ita facillimè, quod vero ſimillimum eſſet, invéniri poſſe Socrates arbitrabatur. Mihi verò nunc quidem duo ſunt, quæ contrà afferam. Scribis, lapidem non tam fuiſſe toti ſpeluncæ advolutum, quam illi ſaltem conditorio, quo ſanctiſſimum corpus claudebatur. Ad quam ſententiam accedere etiam Magnum Virum in Concordiâ Evangelica video. Cui tamen ut crèderem, nondum potui inducere animum. Quid enim? an non Solicitæ mulieres de lapide devolvendo leguntur? Cui verò id fini? nimirum ut ingredi ſepulcrum ſeu ſpeluncam poſſent, non ingreſſuræ, ſi obſtructum lapide fuiſſet. Quo devoluto, ſic demum ingreſſæ ſunt. Ca-

ver-

vernam nè illam quæ ſepultum Salvatorem continuerat? non opinor. Hæc enim tam arcta erat, ut vix uni cadaveri ſufficeret, tantum abeſt, ut intrari permitteretur. Imo vix introſpici, niſi obliquato collo poterat, Itaque παρακύψας βλέπει κείμενα τὰ ὀθόνια Johannes. An advolutum ergo illi cavernæ lapidem dicemus, quæ ut maximè devolveretur lapis, nec ſic tamen introiri poterat. Atqui eo revoluto, copia mulieribus facta intrandi. Non ergò unicæ cavernæ ſed totius ſpeluncæ oſtio fuerat advolutus. Porrò & ipſis Judæis, quorum hâc in re non exigua auctoritas eſt, hæc adſertio refragatur. Hi nullorum faciunt ſaxorum mentionem quibus cavernæ ſingulæ munirentur: unius faciunt, quo tota ſpelunca. Quatuor enim quaſi partes conſtituunt ſepulcri. Totam illi ſpeluncam vocant â figura מערה a fine קבר: quæ a numero cavernarum opinor, quas in ſe idem continebat, cognomen Sortiebatur. Sic in geneſi מערה המכפלה ſpelunca duplicitatis â duabus cavernis. Ipſâ vero foramina ſeu cavernæ dicuntur illis כוכים erantque opinor nullo vel ſaxo, vel alio operculo munitæ. Neque enim ulla iſtius rei mentio. Totius autem ſpeluncæ ori advol-

volvebatur lapis, quem illi גלל vocant. Denique ante ostium speluncæ atrium erat quoddam חצר appellatum. Alterum erat, quod contendebas, impositum potius in morem operculi, lapidem fuisse, quàm advolutum. Quam tu â Viro Summo allatam prius opinionem exemplo sepulcrorum Persicorum adstruere conatis: Cum verò simile sit, quemadmodùm in multis aliis ita in his quoque commune quippiam habuisse incolas Orientis. Neque id magnopere abnuo; & secederem ipse in eam opinionem, nisi textus sacer suaderet contrarium. Quid enim, Si impositus lapis intelligitur (speluncæ nimirùm; non uni ex conditoriis ut antea probatum) opus habuissent sancti Evangelistæ ad eam impositionem significandam, improprio verbo προσκυλίσαι uti, cum propria complura ἐπιτιθέναι & his similia suppeterent? Nam προσκυλίσαι quidem nunquam, quod sciam, imponendi notione, â quoquam græcè loquentium usurpatum reperias. Et hæc quidem de Sepulcro. Addis de sudario non videri Tibi hanc vocem Latinam esse, sed Græcam. Inquam ego: & mihi: fundamentum ex

T co,

co, quod eâ usi fuerint vetustissimi Græcorum, & qui nihil quicquam Latini suo sermoni admiscuerunt. Cæterum, quas adjicis probationes, dubito tam esse robustas, ut evincant, significatione quoque Græcorum σudάριον â Sudario Latinorum distulisse, unam illarum è Suidâ petis, qui σudάριον partim exponat, κεκρύβαλον & σαβανάθιον, partim κεφαλοδέσμιον. Ea vero esse κόσμον γυναικῶν quibus mulieres capita revincire fuerint atque ornare solitæ. Et quidem cumprimis, quod κεκρύβαλον attinet, certa res est. Epigramma Græcum

Πορφύρεον χαίτας ῥύτορα κεκρύφαλον

Nimirum quodlibet velamen capitis sic appellant, ἀπὸ τȣ̃ κρύπτειν τὴν κεφαλὴν. D. Paulus 1. Cor. XI. ἐξȣσίαν dixit. Quam primus omnium lectionem sollicitavit. V. C. Jac. Gothofredus suffecta ἐξȣσίας voce quam idem adversus Salmasium qui eam Tr. de Coma p. cccccc XCIV. seqq. traduxerat, defendere deinceps conatus est, peculiari libello de Exuvia capitis, ad Car. Labbæum, superiori anno Genevæ edito. Sed annon Sudarium

σudά-

σϰδάριον & revinciendo capiti, & arcendo simul sudori inservire poterat? Sanè ut plerasque vestes, quas hominibus primùm induit necessitas, in ornatum denique abiisse videmus, ita non est improbabile idem & huic contigisse. Pollux Sanè, cujus meritò æstimanda præ Suida autoritas est, σϰδάριον interpretatur ϰαφιδρώτιον. Idem contigisse video voci *orarii* quæ & ipsa Hellade donata ὠράριον. Autor Etymologici exponit τȣ̃ προσώπȣ ἐϰμαγεῖον. Atqui & inter ornamenta muliebria referebatur, quod primò extergendo vultui destinatum erat. Lucillius apud Nonium, Ricini aurati ricæ & oraria mitræ. Etymologicum: Μίτραι ϰυρίως οἱ ἀπὸ φασϰιῶν ϰαὶ ὠραρίων γινόμενοι ςέφανοι. Sed ista quidem hactenus. Quæ paulò persequi diligentius volui, nullo contradicendi studio, sed partim, quia mihi â Te facta illius rei copia fuit, partim, quia nihil esse inter amicos jucundius quam suaves illas disputatiunculas, semper habui persuasum. Vale & responde. E Museo d. XXV. April. CIƆIƆCLV.

Inſcriptio

Pereximio Eruditiſſimo

Dn.
Io. ANDR. MATTSPERGERO
Auguſtano Philoſ. Mag.

*Amico ſuavıſſımo hono-
ratiſſimoque.*

Lipſiam.

FINIS.



AMOENITATES LITERARIÆ,


Quibus

VARIÆ OBSERVATIONES,

Scripta item quædam anecdota & rariora Opuſcula exhibentur.

Tomus Quartus.


FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Apud DANIEL. BARTHOLOMÆI,
MDCC XXV.



Elenchus eorum, quæ in quarta parte continentur.

I.

Notitia rarissimi cujusdam primigeniæ Typographiæ monumenti.



Pus aliquod typographiæ vix enatæ ac in cunis adhuc vagientis tempore excusum, cujus nemo, quod sciam, hactenus meminerit, curatius recensere in hujus opellæ Tomo II. p. 329. promisi: nunc fidem meam exsolvere fas est. Quanquam enim hujuscemodi librorum notitia, si res in iis tractatas spectes, facile & absque detrimento orbem eruditum carere posse, probe norim; mereri tamen divinam & auream hanc artem (*ingeniorum*, judice Octavio Ferrario (*a*), *ministram, ac literarum propagatricem, quæ immortali Dei beneficio*

(*a*) In secundo Variorum Operum Tomo p. 375. 378. edit. Wolffenbütt.

ficio magnorum virorum monumenta intercidere non patitur, & contra ævi impotentiam ingeniorum fœtus extendit in ævum, chartaque, qua nihil fragilius, & plumbo minutatim secto, temporis voracitati, ferrum ac marmora exedenti, obluctatur) quilibet justi rerum arbitri mecum fatebuntur, ut quævis vel minima, ad uberiorem ejus historiam concinnandam facientia, solicite comportentur. Præsertim vero illa opera, quæ primis typographiæ rudimentis accensenda veniunt, eo majori studio describenda esse videntur, quo rariora sunt, paucissimorumque subeunt oculos. Ejus generis libros sacra quædam λείψανα, non sine intimo quodam voluptatis sensu a Musophilis attingenda atque lustranda, jure vocaverim. Mihi certe, quem curatiorem istiusmodi operis notitiam in I. Tomo p. 1. sqq. dedisse nondum pœnituit, talem librum inter reliqua thesauri Krafftiani κειμήλια oculis usurpare jucundissimum fuit. Hinc magnæ saltim lectorum meorum parti pleniorem ejus descriptionem, quam heic inserere apud animum statui, non prorsus ingratam fore spem concipio. Exoravi quoque Perillustrem Dominum Possessorem, ut primam paginam, speciminis loco exhiben-

bendam, delineari, lignoque incidi (†) permitteret. Hac enim ratione plura ejusmodi λείψανα, fortassis in pulverulentis angulis latentia & neglecta, detegi ac ab interitu conservari posse arbitratus sum, si schema aliquod primitiarum typographicarum publice extaret, oculisque subjiceretur: in memoriam mihi revocans, quæ Chevillierius (*b*) narrat: *Il étoit* (de Speculo humanæ salutis raro itidem primigeniæ typographiæ monumento loquitur) *dans la Bibliotheque de feu Mr. de Ballesdens, amateur connu des antiquités. Les Libraires ne sçurent point, que ce fut un livre rare & curieux: ils le mirent dans un pacquet coté 99. & prisé 4. l. passant un jour par le Quay de la Tournelle, je le trouvai ouvert sur une table, qui servoit de montre a une boutique, & l'achetai aussitot.* Quæ verba cum retulisset Clarissimus Dan. Maichelius (*c*), Professor nunc suo merito Tubingensis, non

(†) In figuræ quidem textum variæ irrepserunt mendæ: interim tamen ex ea de ipsius prototypi, quod hoc ectypo paulo adhuc rudius est, ratione judicare potes.

(*b*) L'Histoire de l'Imprimerie de Paris. p. 281.

(*c*) In Introductione ad Historiam liter. de præcipuis Bibliothecis Parisiensibus. p. 123. edit. Lipſ.

non abs re hoc judicium ſubjecit : *In præſenti exemplo Chevillierius tantum Librariorum meminit, qui iſtud Speculum ſalutis ignorabant, ac proinde negligebant: at ſine dubio & literati iſtum locum prateribant, & pretium libri ignorabant, alias emiſſent illum ſine dubio, neque ille ad Dn. Chevillierium perveniſſet.* Sed ad rem ipſam accedo.

Liber iſte ejus formæ eſt, quam tabula ligno inciſa repræſentat, conſtans foliis triginta novem, haud opiſthographis, ita tamen, ut & hic, decoris gratia, duæ paginæ ſemper glutine commiſſæ cohæreſcant, charactere Gothico, uti vides, majuſculo, rudi & impolito expreſſus, variis figuris, textui additis & ubique immixtis ſcatens. Non imagines duntaxat, verum etiam ipſum textum tabulis inſculptum eſſe ex ſpecimine patet. Illius operis, quod in prima parte recenſui, literas paulo majores, figurasque, textui non immixtas, ſed ex ejus latere in peculiari folio expreſſas, aliquantum rudiores eſſe noto. Singulis paginis heic ad ſeriem chartarum deſignandam appictæ ſunt per ordinem alphabeti literæ, ut prima litera *a*, ſecunda litera *b* &c. inſignita ſit. Prima ſeries usque ad literam *u* incluſive pertingit (ut nihil tamen deficiat), inque

ea

iteræ *a b c* &c. haud additis punctis ıſpiciuntur; in altera vero ſerie ſingulæ :ræ ex utroque latere puncto ſtipatæ ſunt, ·c modo. *a*. *b*. &c. exceptis *n o r s*. Exbet vero liber iſte tam in textu quam firis hiſtorias quasdam & vaticinia Veteis Teſtamenti, quæ juxta autoris mentem Chriſtum Soſpitatorem noſtrum resque ab 'o in humani generis ſalutem geſtas ſignificarunt. In ſuperiore ſcilicet ſingularum paginarum, in novem quaſi ſectiones diſpertitarum, regione utrinque memorantur illæ veteris Teſtamenti hiſtoriæ, quæ typum Salvatoris exhibere authori videbantur, rarius quædam vaticinia: interſtitium vero intra utrumque textum occupant ſemper effigies eorum ſcriptorum ſacrorum; quorum loca paulo inferius ita adducuntur, uti in primo folio locus Eſajæ: *Ecce virgo concipiet & pariet filium*, & Davidis: *Deſcendet Dominus ſicut pluvia in vellus*. Has utem icones ex ſola ſculptoris imaginatioe & arbitrio fluxiſſe vel inde liquet, quod em ſcriptor ſacer in diverſis foliis diverſa crumque & alia facie delineatus ſiſtatur, cuti v. g. Eſajas ac David, ſæpius obvii, Protei inſtar varias induerunt in hoc opere formas.

Infra textus hiſtoriarum vel vaticiniorum memoratos in media foliorum regione figuræ ſemper conſpiciuntur utrinque, illas Veteris Teſtam. hiſtorias, quæ Servatoris typum geſſiſſe viſæ ſunt, adumbrantes: medium vero inter has figuras locum ornat particula quædam hiſtoriæ Chriſti ligno inciſa, quæ videlicet iis Vet. Teſtam. hiſtoriis ſignificata fuiſſe ab authore exiſtimabatur. In paginarum calce ubivis comparent utrinque ſinguli verſus, in vaticinia illa vel hiſtorias, figuris expreſſas, compoſiti: duæque rurſus in medio icones Scriptorum θεοπνευςων V. Teſtamenti, Prophetarum præcipue, quorum verba ubique eadem ratione adjiciuntur, qua folio primo Ezechielis & Jeremiæ. His vero imaginibus itidem verſus ſubjectus eſt, plerumque hexameter, figuram hiſtoriæ Chriſti, in paginæ umbilico poſitam, breviter declarans. Cæterum integer liber vocum Syllabarumve compendiis, quæ abbreviaturas nominant, refertus eſt, characteresque literarum ad MSStorum ejus ævi formam proxime accedunt.

En tibi folii ſecundi, litera *b* inſigniti contenta. In priori ſuperioris regionis columna hæc verba ſunt expreſſa: *Legitur in libro*

libro Exodi III. Cap. quod Moses vidit rubum ardentem, & non ardebat, & dominum audivit de rubo secum loquentem. Rubus ardens qui non consumitur significat beatam virginem Mariam parientem sine corruptione integritatis corporis, quia virgo peperit & incorrupta permansit. In tertia columna: *Legitur in libro Numer. XVII. Cap. quod virga Aaron una nocte fronduit & floruit: quæ virga figurabat virginem Mariam sterilem sine virili semine parituram filium suum Ihesum Cristum semper benedictum.* In media superioris regionis columna conspiciuntur imagines Danielis & Esajæ, citatis hujus nono, illius secundo capitibus & subjectis utrinque sequentibus: *Lapis angularis sine manibus abscissus est a monte: parvulus natus est nobis, filius datus est nobis.* Primo textui in media paginæ parte subjuncta est figura, Mosen delineans, pascentem gregem, terræ insidentem, atque exutis calceis, manu ac oculis elevatis rubum ardentem aspicientem, in quo Dominus Mosen alloquens comparet. Alteri textui subjecta est figura, Aaronem & sacerdotes, ut videtur, duos repræsentans, virgamque florentem. Medium harum figurarum interstitium ornat præsepe, cui Servator recens natus injacet, bove asselloque

loque ſuperius proſpicientibus, inferius Maria lecto inſidente, quæ librum præ manibus habens, lectioni intenta eſt: prope lectum in ſella aſſidet Joſephus, Chriſti nutricius, adjunctis hinc inde vaſis quibusdam domeſticis. Primæ figuræ ſubjectum legis verſum: *Lucet & igneſcit, ſed non rubus igne caleſcit.* Alteri: *Hic contra morem producit virgula florem.* In medio inferioris regionis icones Abacuci & Michæ exhibentur, his verbis utrinque appoſitis: *Abac. III. Domine audivi auditum tuum & timui. Mich. V. Tu Bethlehem terra Juda non eris minima in principibus Juda.* Imaginibus Prophetarum hunc ſubjectum in folii calce legere licet verſum: *Abſque dolore paris Virgo Maria maris.*

II.

De artis typographicæ originibus.

ANimus erat, quædam de primis typographiæ originibus congeſta exhibere, largæque aliorum meſſi tenue ſubjungere ſpicilegium: ſed monitus a Venerando Præceptore meo, qui nunquam ſine honoris

ris præfatione a me nominandus est, D. Gust. Georg. Zeltnero, Celeberrimum Academiæ Altorfinæ Professorem & Bibliothecarium Jo. Dav. Kölerum monumenta præstantissima antiquissimaque & primigenia Moguntia adeptum, proxime ὀφθαλμοφανεςῶς integro tractatu ostensurum esse, Guttenbergium, qui & Gensfleischius a Sorgenloch dictus est, primum artis inventorem, & quæ de lite cum eo a Fausto agitata apud Trithemium narrantur, falsa esse, remque omnem contrario potius modo actam, consilium istud abjeci, cum, quæ a Kœlero Viro ἀκριβεςάτῳ & eruditissimo expectanda nobis sunt, non queant esse nisi consummatissima.

Inseruisse tamen heic juvabit carmen in primorum typographorum laudem, hactenus, quod sciam, nulli memoratum, quod in Bibliotheca Krafftiana ex editione Decretalium Schoifferiana, cujus Maittaire haud meminit, descripsi. In calce ejus editionis hæc leguntur: *Anno incarnationis dominice M. CCCC. LXXIII. IX. Cal. Decembris Sanctissimo in Christo pre ac Dnq Dno Sixto Ppa IIII. Pontifice maximo. Illustrissimo, Nobilissime domus Austrie,*

U 5 *Fri-*

Friderico Romanorum Rege gloriosissimo, rerum Dnis. Reverendissimo in Christo Pre Dno Adolpho Archipsule Maguntino, in nobili Urbe Maguncia, quæ nros apud majores aurea dicta, quam divina etiam clementia dono gratuito p ceteris terrarum nationibus arte impressoria dignata est illustrare, hoc pns decretale Glossa cum ordinaria Dni Bernhardi, non atramentali penna canave sed arte quadam ingeniosa imprimendi, cunctipotente aspiranti DEO Petrus Schoiffer de Gernsheim suis consignando scutis feliciter consumavit.

Sub hujus igitur editionis finem comparent carmina quædam, his ἐπιγραφαῖς ornata:

1. *Cur Deus ultimis temporibus artis impressoriæ novum seculo munus invexerit?*
2. *Apologia vel excusatio cleri de ignorantia & carentia librorum.*
3. *Excusationis repulsio & artis impressoriæ commendatio.*
4. *Exhortatio ad comparandum libros.*
5. *Primorum artis magistrorum typus, & Petri præconium.*

Quin-

Quintum heic adjicio, paucis notaminibus stipatum. Asperum equidem est & incomtum, at nonnulla, ad nobilissimæ artis historiam spectantia, continet, etsi quædam ita ἀνιγματωδῶς sint expressa, ut Oedipo opus habeant.

Scama tabernaculi Moises, Salomon quoque templi
Haud preter ingenuos perficiunt Dedalos.
Sic decus ecclesiæ majus major Salomone
Jam renovans renovat Beselebel & Hyram.
Hos dedit eximios sculpendi in arte magistros,
Cui placet en mactos arte sagire viros.
Quos genuit ambos urbs Moguntina Johannes (*a*)
Librorum insignes Protocaragmaticos.

(*a*) Per duos hos Johannes FVSTVM & GVTTENBERGIVM indigitari, quilibet facile, me non monente, videt. Guttenbergium vero & Gensfleischium unum eundemque esse, tritum jam est & tralatitium, cum olim ex uno hoc homine a summis etiam Viris duo communiter effingi solerent, e quibus exempli causa jam tantum nomino J. H. Bœclerum (in Orat. de Typographiæ, Argentorati inventæ, divinitate & fatis, quæ annexa est Concionibus D. Jo. Schmidii in festo typographiæ seculari A. 1640. habitis p. 68.) & Jo. Schilterum (in annotationibus ad Kœnigshofianum Alsatiæ Chronicon p. 442. sqq.)

Legi

Legi duas tabulas pactorum emtionis ac venditionis, ex Ecclesiæ Thomanæ Argentoratensis Libro Salico B. fol. 293. a. & fol. 302. b. descriptas, in quibus noster expressis verbis plus simplici vice *Joannes dictus Gensfleisch alias nuncupatus Gutenberg de Maguncia Argentinæ commorans* appellatur. Priores tabulæ A. M CCCC XLI. VIII°. Kalend. April. posteriores A. M CCCC XLII. XV. Kalend. Decembr. datæ sunt. Utrasque in itinere suo Argentorati ex autographis a se descriptas gratiose mecum communicavit Generosissimus Dominus MARCVS ANTONIVS DE KRAFFT, Reip. Ulmensis, Senator & rerum pupillorum curationem concernentium Præses meritissimus, uti reliquarum Paternarum virtutum, ita & propensissimæ Ejus in literas voluntatis æmulus, Patronus meus demisse colendus, cujus non possum, quin hac occasione eruditionem eximiam, incomparabilem humanitatem, & summum literas juvandi ardorem in literati orbis conspectu devota veneratione prosequar. Quæ omnia pariter jam non sine prolixo mentis affectu prædicanda mihi sunt in Generosissimo Ejus Fratre, Domino RAYMVNDO DE KRAFFT, Senatore itidem Reip. Ulmensis optime merente, mihique, faventissimo, & Paterni nominis, & præstantissimarum virtutum Hærede. Sed ad primos typographos redeo, hocque duntaxat adjicio, quinto Amœnitatum tomo me insertururum esse egregiam Dissertationem epistolicam B. Jo. Cunr. Dürrii, Theologi & Philosophi olim Altorfini non incelebris, ad Perillustrem Dominum Georg. Sigism. Fürerum ab Haymendorff, Septemvirum quondam Reip. Noriberg Ecclesiæ item atque Scholarum Ephorum, & Universit. Altorfinæ Curatorem Primarium A. 1677. scriptam, adhucque ineditam de Joanne Fausto, in qua ingeniose fabulosas de Fausto præstigiatore famoso narratiunculas ex historia Fausti typographi confictas esse præter alia ostendit. Debeo eam benevolentiæ Viri Celeberrimi de-

que

Cum quibus optatum Petrus (*b*) *venit ad*
Poliandrum, (*c*)
Cursu posterior introeundo prior.
Quippe quibus præstat sculpendi lege sagitus
A solo dante lumen & ingenium.
Natio quæque suum poterit reperire caragma
Secum nempe stilo præminet omnigeno.
Credere difficile est doctores quam pretiosa
Pendat mercede scripta recorrigere.
Orthosyntheticum cujus syntagma per orbem
Fulget, Franciscum (*d*) *præsto magistrum habet.*

Me

que me multis nominibus optime meriti D. Gust. Georg. Zeltneri.

(*b*) PETRVS scilicet SCHOIFFERVS, qui licet primus non invenerit artem, ingenii tamen sui felicitate cultiorem reddidit, in solertiæ præmium Fusti filiam thori sociam adeptus. Hoc igitur sensu is hic cursu posterior, introeundo prior nominatur. vide, si placet, quæ de eo diximus Tom. I. p. 5. 7.

(*c*) Quis sub Poliandri nomine lateat, si me edocueris, eris mihi magnus Apollo. Delio certe natatore hic opus est.

(*d*) Pariter ignoro, quisnam Francisci nomine indigitetur. Observavit equidem Jo. Jac. Hofmannus in Lexici Universal. Tom. II. f. 508. ex Chronico Sebastiani Franckii, Matthiæ Quadi Germania & Martini Zeileri (sic enim loco Seileri legendum) Carin-

thiſ

Me quoque conjunxit illi non vile tragema,
Publica sed commoda & terrigenum columen.
O utinam exscobere falsis moliantur ideam,
Qui syntagma regunt (e) & protocaragma (f) legunt!
Aureola indubie premiaret eos Logothece
Quippe libris cathedræ mille suberudiunt.

---

thii Itinerario Teutonico, artem æris inciſoriam, typographiæ æmulam & exornatricem, primum reperiſſe *Franciſcum a Bocholt*, Montenſis Ducatus Opilionem, eique ſucceſſiſſe Iſraëlem a Meckenich ex Eifflia oriundum, & Martinum Stockium, Alberti Dureri præceptorem: ſed hoc loco *Franciſci nomine typotheta* primæ officinæ typographicæ innui videtur.

(*e*) Typothetæ.

(*f*) Correctores.

III.

COMMENTATIO
DE
VITA, FATIS, MERITIS AC SCRIPTIS FRANCISCI LAMBERTI AVENIONENSIS, THEOLOGIÆ IN ACADEMIA MARPURGENSI PROFESSORIS OLIM PRIMARII.

Συνοψις.

EOrum præcipue vitæ describi merentur, qui circa Reformationis tempora utilem Ecclesiæ præstiterunt operam §. 1. Ex his Franc. Lambertus, de cujus anno locoque natali §. 2. Is Juvenis Minoritarum Ordini se consecrat, sed agnita veritate tandem illum deserit. Hic integrum inseritur scriptum, quo rationem hujus desertionis reddidit. §. 3. Exponuntur res gestæ ab eo in Helvetia §. 4. Isenaci §. 5. Wittebergæ (inseruntur hic aliquot ejus epistolæ ineditæ) §. 6. Ibi conjugium cum honesta virgine init (hic rursus exhi-

exhibentur duæ epiſtolæ ineditæ) §. 7. Metas proficiſcens, ut Evangelium annunciaret, quæ fata habuerit? §. 8. Merita ejus de Eccleſia Haſſiaca. §. 9. Quo ſucceſſu interfuerit colloquio Marpurgenſi? §. 10. de anno ejus emortuali, judiciumque de ipſo. §. 11. Scripta ejus recenſentur §. 12.

§. I.

Licet penes æquos rerum æſtimatores extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit, vitas eruditorum curate deſcriptas inſignem parere utilitatem; illorum tamen, ſi quid judico, memoria præ cæteris conſervanda, deque iis, quæcunque poſſunt, ἀξιογνωςα colligenda ſunt, qui circa tempora repurgata a priſtinis ſordibus ergo diocte potiſſimum B. Luthero, exquiſitis ad tantum opus feliciter perficiendum donis cœlitus inſtructo, religionis vixerunt, ac Eccleſiæ commodis vita, voce, conſilio ſcriptisque pro virili inſervierunt. Hac enim ratione non juſtus modo pro immortalibus in cœtum puriorem meritis honor iſtis habetur, gratiæque, quas ipſis debemus, referuntur: ſed & hiſtoria pariter literaria ac eccleſiaſtica lucem inde aliquam acci-

accipit. Eum vero in censum jure suo referri meretur Franciscus Lambertus, Theologus pietate ac eruditione ornatissimus, de cujus vita, meritis ac scriptis hac vice commentari apud animum statui. Novi equidem, vitam ejus jam breviter & concinne descriptam esse a Celeberrimis Relationum innoxiarum de rebus theologicis nov-antiquis (a) Authoribus, nec non nuperrime a Viro erudito, qui literariam Hassorum historiam Germanico sermone (b) vulgare laudabili studio cœpit: veruntamen meam hanc opellam non prorsus supervacaneam censebunt, spero, benevoli lectores, si consideraverint, multa a me plenius ac dilucidius esse exposita, haud pauca, memoratu non indigna, addita, cum ex editis beati viri libris, tum præcipue e monumentis anecdotis iisque authenticis, quæ Bibliotheca Perillustris Domini de Krafft mihi suppeditavit.

(a) Unschuldige Nachrichten An. 1709. p. 17-25.
(b) Kurtze Historie der vormaligen und gegenwärtigen Gelehrtheit der Hessen. Trimestr. I. p. 24.-31.

§. 2.

Germania noſtra Lambertum (*c*) Galliæ debet, foecundæ illi doctiſſimorum hominum matri & nutrici. Natus enim eſt Avenione A. R. S. M CCCC LXXXVII. (*d*) patre legationis Pontificiæ & palatii, ut vocant, apoſtolici Secretario (*e*), e familia, quæ ex Burgundia, nempe ex Orgeleto, originem traxit (*f*)

§. 3.

In tenella ætate patre orbatus puer ſanctis divini ſpiritus motibus ad meliora quævis excitatum ſe ſenſit. Hinc eam vitæ rationem inire deſideravit, qua Deo optime ſer-

(*c*) Alius Lamperti (ſic enim & noſtri nomen ſæpius ſcriptum reperi) Auguſtiniani Monachi, cui prænomen Joanni fuit, Bruxellis ob veritatem Evangelicam A. 1523. combuſti, meminit Sekendorfius de Lutheranismo L. I. §. CL. f. 280.

(*d*) Hoc anno natum eſſe inde concludo, quod in libello de ſuo ex ordine Minoritarum exitu decimo quinto ætatis anno ad eorum habitum convictumque ſe receptum fuiſſe dicat, in dedicatione vero Commentarii de conjugio annos circiter viginti inter Minoritas ſe fuiſſe verſatum. Ex ſequentibus autem patebit, A. 1522. ordinem hunc eum deſeruiſſe.

(*e*) Vid. Dedicat. Commentarii de Conjugio.

(*f*) Vid. Dedic. Comm. in Mich. Nah. & Habac. p. 3

servire, seque ipsius cultui totum consecrare posset. Eo animo se decimo quinto ætatis anno Ordinis Minorum Monasterio Avenione mancipavit, externa sanctitatis specie deceptus. Perspectis vero dein penitius lupinis, qui sub splendida fictæ pietatis imagine ac pelle ovili latebant, moribus, summa anxietas miserum conturbavit pectus, de salute solicitum. Accedebat, quod, cum ob dotes, quibus egregie instructus erat, præco, quem vocant, apostolicus constitutus veritatisque cœlestis radiis aliquantum jam illuminatus esset, in sociorum suorum invidiam ac odium incurreret, variisque hinc premeretur molestiis. Unde suæ sodalitatis tædio Carthusianorum ordini se addicere decrevit, sed Minoritis contra nitentibus ad suos redire coactus est: quorum deinceps odium eo acrius in se concitavit, quod Lutheri nostri libros amaret seduloque legeret. Ipsis vero illi ereptis, ac flammis ultricibus traditis, felicem tandem nactus est occasionem, ex ergastulo suo evadendi, & in Germaniam, quam veritatis divinæ lux serenis radiis jam collustrabat lætis auspiciis se conferendi; ubi posthac rationes, propter quas Minoritarum conversationem habitumque rejecerit,

 publico

publico ſcripto (*g*) ediſſeruit, quod integrum hic adjicere viſum eſt, cum breve ſit, tamque rarum, ut fere pro inedito haberi mereat.

FRANCISCI LAMBERTI AVENIONENSIS,

Theologi rationes, propter quas Minoritarum conuerſationem habitumque rejecit.

FRANCISCVS LAMBERTVS AVENIONENSIS,

Inutilis Ieſu Chriſti ſeruus, pio lectori, Chriſti graciam & pacem.

Quoniam in Minoritarum (quos obſeruantes titulo, prorſus non Chriſtiano appellant) olim fui conuerſationem receptus, atque in eorum habitu, annis plurimis uerbum domini in diuerſis regionibus, & prouinciis declamaui: nouiſſime autem compulſus, eorum & conuictum & habitum dereliqui: neceſſum fuit, ut cunctis palàm facerem, quæ fuerit cauſa mei egreſſus, factique

(*g*) E quo quædam excerpta exhibet B. Seckendorfius in Scholiis ad Indicem I. Comment. de Lutheranismo.

ctique mei apertam redderem rationem. Alioqui pusilli & simplices scandalizarentur, nisi intelligant me, id quod feci, secundum Christum facere potuisse. Huius rei gratia libellos duos ædidi. Primum habes, quo nonnullas & uere ex compluribus paucas dicti mei egressus causas posui. Reliquus propédiem emittetur, quo quid de Minoritarum regula sentiendum sit, aperte cognosces. Hos dum legeris, si Christianus es, non tantum non scandalizaberis, sed & mecum senties me ab illis necessario fuisse egressum. Vale, Gratia Christi tecum.

APud Auenionam inclytam Galliarum urbem, me tenello adhuc puero existente, patre defuncto, & Christi spiritu animum pueri ad meliora solicitante, occurrit externus ille Minoritarum (quos obseruantes uocant) splendor, multam sanctitatis speciem habens, quos tales fore interné puerili æstimatione sentiebam. Admirabar in illis tegumentorum decentiam, uultus demissos, oculorum inclinationem, suauissima fictæ pietatis eloquia, pedes nudos, sandaliis calepodiisue utentes. Laudabam in eis gestuum grauitatem, incessum maturum,

brachia complicata, exquisitos & eosdem expolitos prædicandi gestus: & similia quæque. At ignorabam lupinum illud, uulpinumque pectus; sub uestimentis ouium latens.

Sanè, ad id me quammaxime prouocabant, qui in publicis concionibus hæc Christo acceptissima prædicabant, & mihi ad partem euocato plurima de claustri fructu, ac cellæ quiete, deque studiorum opportunitate, & similibus plurima egregie mentiebantur. Quæ autem reuelare oportuerat, diligentissime occultabant. His me autem stimulis agitato, anno ætatis meæ 15. Aueniona fui ad eorum habitum conuictumque receptus, deceptus profecto uehementissime. Verum deus alto suo consilio uoluit me ab humano decipi, ut probarem quid rei esset quod tam sublime propria sententia uidebatur. Nihil quoque dubitauerim, me inter eos fuisse, Deo prouidente receptum, quodque ab me externis illorum faciebus seduci uoluerit, donec ueritate cognita egrederer, cunctisque palàm facerem quæ sub sepulchris istis dealbatis spurcitiæ latitarent.

Probationis igitur anno, ne à sumpto proposito dimouerer: quæ apud eos impia

pia erant, mihi diligentissime abscondebantur. Hanc quippe habent consuetudinem, quod secreta sua, id est impietates, nouiciis occultant. Quandoquidem certi sunt, quod nullus unquam uellet apud eos ad professionem recipi, si quæ apud eos latent, nouiciis fierent manifesta. Dicuntque impii homines, quod si quispiam uel minimum quiddam admiserit, unde illi ansam suscipiant, ab eorum congregatione abeundi, crimen inexpiabile sit. Verum si semel professionem emiserint, nihil est quod amplius eorum scandala timeant. Hinc palàm fit, quod Christum potius, quàm sectam suam deseri uolunt. Dum enim timent magis scandalizare nouicios, ne ab ipsis discedant, quàm professos, ne à Christo separentur: quid aliud faciunt, quàm quod seipsos magis timent deseri, quàm Christum?

Completo de hinc probationis tempore, tantum annos sedecim, & menses aliquot natus, professionem emisi, penitus quid facerem nesciens. Mox internis eorum mihi patefactis, animaduerti multum inter interna externáque referre: & quo magis me confusum ab omni mea expectatione conspiciebam, eo magis tristis, adflictus, lan-

guidusque uiuebam. Non poteram tamdiu concupitam mentis nancisci quietem. Contristabar ideo in exercitatione mea,& conturbabar ab impiorum tribulatione. Vocatus demum ad salutare uerbi ministerium,quantum me non pro illorum uoto prædicantem discruciarint, satis referre non possem. Audiebant populi uerbum Dei, illudque auidissime suscipiebant: soli autem illi, sicut aspides surdæ & obturantes aures suas, non exaudiebant uocem altissimi. Aiebant omnifarie, ut & adulator & uerbi sancti adulter essem,quibus non dissentire non poteram.

Post multos denique annos, electus ad uniuersaliter nunciandum Christi euangelium, factus'que apostolicus (ut uocant) prædicator. Præter crucem illius laboriosissimi ministerii, erant mihi illi continua & eadem intolerabilis crux: apostolicis autem prædicatoribus, impositum est, ut apostolorum more per orbem proficiscantur, semperque oblata sibi opportunitate euangelizent. Hæc dum immensis cum laboribus pro mea uirili implerem, quæcunque dominus per me operari dignabatur, calumniis fucatissimis impugnare moliebantur. Quos dum uiderem nimio liuore torqueri, nolui uti multis facultatibus, mihi pro mi-

nisterii

nisterii mei necessitate concessis. At nec sic à Christi pauperis diuexatione cessabant.

Fatigatus sæpe aliquot mensium prædicatione continua, dum in cœnobia regrediebar, confestim ab impiis ueritatis hostibus, mihi pro bonis mala retribuebantur. Maledicentiæ, iniuriæ, conuicia, ordinaria ciborum meorum condimenta erant. Corporeæ déinde imbecillitatis causa, dum ad Christi Euangelium nunciandum pedester nequirem proficisci; uel hoc mediò à ministerio sancto me impedire nitebantur. Quandoque uero ingenti & dolo & rapacitate asinos mei gratia ab amicis meis comparari permiserunt: quos post dies aliquot uendebant, aut cæteris pro sua uoluntate tradebant.

Cum ante annos 4. apud quandam Galliæ ciuitatem euangelizassem, & populi resipiscentes, laruas, taxillos, chartulas, & similia pleraque ad præparatum incendium pariter ferrent: quidam ex ueritatis hostibus prædictis, ex eis nonnulla furtiue sustulerunt, laruam præcipue similem puellæ lasciuienti. Quos dum pro hac re furti arguerem, aduersum me pariter coniurarunt, tractantes quibus mediis id fieri posset, ut à sancto ministerio efficerer alienus. Nihil

pro hac re neglexerunt, mendacia, falsaque testimonia excogitarunt: quæ ueruntamen mihi nota facere ausi sunt nunquàm. Verum dissipauit dominus consilium Achitophel, ut hac de re nec concionem quidem unam inquàm dimiserim.

Insurrexit aliquando aduersum me quidam bullarum Antichristianarum improbus assertor: in quem sic Christi spiritu dirigente processi, ut à præsidibus urbis in qua hæc agebantur, damnaretur, quod factum impii illi homines condemnarunt.

Perueniens aliquando in domos eorum qui Minoritas hospitantur: ubi mihi notum fuit eos esse publicos scortatores, aut usurarios, aut raptores, secretò illis salutis consilia dedi. Quod illi, ut rem summe illicitam condemnabant. Dicebant enim (ut animalia uentris sunt) forsitan amodo non hospitabitur & reficiet nos: magis (ut uides) timentes cœnam unam perdere, quàm animarum hospitum damnationem. Tametsi nullum uiderim, qui fuerit minus ad hospitalitatem procliuior.

Cardinalis quidam, Rhomani episcopi à latere (ut uocant) legatus, noluit ut die quodam Christi uerbum enuntiarem. Mox æmulorum meorum surrexit inuidia, duorum

rum præcipue seniorum, à quibus iniquitas est egressa. Horum unus Guardianus erat: qui die statuto adueniente, imò proxima euangelizandi hora insaniens, ad Cardinalis cucurrit palatium, factusque impius mendax, me ægrotum fore confinxit. Expauescebant hi Babylonici senes, ne forsan non satis Cardinali & magistratibus adularer. Dumque prædictum Guardianum admonerem, carceres & tormenta comminabatur. Is postmodum minister prouinciæ factus, pristinæ malignitatis non immemor, aduersum meas, uelit nolit, pias & ueras conciones quædam scripsit. Vnde timens aliquando in eorum quandoque manus incidere, & per omnia inutilis fieri, eorum conuersationem proposui derelinquere, & fieri Carthusianus. Timebam enim, ad communem hominum redire conuersationem, ne uniuersis regionibus, quibus Christi uerbum prædicaueram, scandalo forem. Dicebam quoque: si non possum dei eloquia populis in pace nunciare, saltem libellis quos poterò edocebo. Sed uere satanæ illusio fuit, quandoquidem nec isti scripta mea sustinuissent.

Minoritis demum me perturbantibus non potui ad Carthusianorum habitum recipi, quam-

quamuis me susceperint ad osculum pacis, ut loquuntur. Perturbatus ergo à Carthusianis, Minoritis tunc mihi adulantibus, redii ad ministerium meum. At mox redeunte uerbo, grauis quoque rediit persecutio.

Hi libros uere Euangelicos, theologi Christianissimi Martini Lutheri, quos habebam, abstulerunt, sigillaruntque: quos in prouinciæ capitulo non inspectos, & uix à limine salutatos, condemnarunt, & combusserunt: saltem illos legere oportuerat. Clamabant tantum, hæretici sunt, hæretici sunt. Sic iudicant & condemnant, quod penitus ignorant. Ego confidenter loquar, credens in domino quod uerum sit, quod plus syncerioris theologiæ in libris prædictis continetur, quam in omnibus scriptis omnium monachorum, qui à principio fuerunt. Da ueniam lector optime, quod te horum pharisæorum insaniis tamdiu occuparim: qui ut breui concludam, mihi pro Dei ueritate zelanti, tam grauia intulerunt, inferuntque adhuc omnibus, qui paris sententiæ sunt, quod nec plurimis libris possent uniuersa conscribi.

Hi sunt qui se obseruantes esse supercilioso titulo iactitant. Christus Lucæ 17. dicit:

dicit: Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. Illi uero, ut uel ipsó etiam nomine, eos sancti uerbi contemptores esse scias, dicunt: Obseruantes sumus. Vniuersos dehinc monachorum status in suam isti traxerunt sententiam, ut ex omnibus jam inueniantur qui obseruantes uelint appellari, Nullus profecto ecclesiæ Christi magis nocuit unquam, hominibus istis, obseruantiæ titulo gloriosis.

Verum, quid synceræ obseruationis in eis esse potest, qui nec regulam quidem suám intelligunt, neque intelligere uolunt? Scio enim quantum me afflixerint, de eadem uaria sæpenumero aut declarantem, aut colloquentem: quandoquidem illius zelotes plus æquo aliquando fui acer'que nimium eiusdem transgressiones: sed nondum reseratum erat sepulchrum domini gloriosum, nec ablatus humanorum operum ac carnis sapientiæ lapis à præclaro euangelii monumento, quo amabilis dei eloquiorum ueritas contegebatur.

Heu quantum fui seductus. At quem non seduxerunt isti obseruationis sacri euangelii acerrimi hostes? Non sustinebant dei eloquia pronunciantem, persequebantur

tur pro regulæ obſeruatione zelantem. Quid ergo feciſſem cum impiis iſtis?

Acceptis igitur commiſſionis (ut uocant) literis ad ordinis Generalem, aut uicegeneralem, à Galliis ueni in Germaniam, ubi opportunitate accepta, phariſaicum illud tegumentum reieci, ſciens quod nihil faciat ad Chriſtianismum, ſic vel ſic, hoc vel illo colore ueſtiri. Teſtificor autem coram domino, quod nunquàm eos reliquiſſem, ſi ſalua ueritatis euangelicæ libertate, apud eos manere potuiſſem: ſed cum eandem neutiquàm ſuſtinent, me ab illis egredi neceſſarium fuit. Feceram primum contra illud Pauli, 1. Corinth. 7. Precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum. Hi fiunt ſerui hominum, qui eorum ſtultis conſtitutionibus alligantur. Qui ergo deceptus me ſeruum feceram hominum, quid agere debui, niſi ut obſeruarem eiusdem conſilium, quod ubi ſupra ſcripſit: Si potes fieri liber, magis utere. Segregatus igitur à malignantium conuenticulis, ueni ad illam uere ſupremam orbis Academiam Witenbergen. in qua nihil quod ad ſacras, bonasque literas pertineat, deſyderatur. Cuncta enim illic traduntur abunde. Doleo me factum eſſe quaſi mutum, quod

non

non possim uiuo uocis actu uerbum domini populus nunciare : uerum expectabo quid mihi imperet dominus, & sustinebo manum eius : interim uero quantum potero nitar, ut uel saltem scriptis, tam latinis quàm uulgaribus cunctos ad euangelii synceritatem admoneam.

Habes lector ex compluribus admodum pauca, quæ animum meum admouerunt, ut à Minoritis seiungerer : sed mihi sufficiat nunc uel breuiter mei egressus rationem ostendisse. . Hoc totius negocii tantum præludium erit. Habebis post dies aliquot, nostros in eorum regulam commentarios, in quibus paulò manifestius rem omnem intelliges. Tandem ut sciant omnes, quid propositi mei atque sententiæ sit, hæc tria paucis accipiant.

PRIMVM, Quia olim seductus, & quid agerem penitus ignorans, uotum emisi, à professione Christiana plurimum dissentiens : omnibus Minoritarum inuentis abrenuntio. Sanctum Euangelium, & meam & omnium Christianorum regulam necessariam esse cognoscens.

Secundum, Reuoco, quicquid aliquando ubilibet terrarum prædicaui, sacri Euangelii simplicitati non per omnia consentiens.

tiens. Obſecro autem omnes qui me aliquando prædicantem audierunt, aut ſcripta mea legerunt, ut omnia rejiciant, quæ ueritati nunc reuelatæ minime conueniunt. Verum confido in eum qui me à captiuitate plusquam Aegyptiaca eduxit, quod illius auxilio tractatibus & libellis uniuerſa errata mea reparabo abunde.

Tertium, Quia nullus poteſt ad ueritatis cognitionem pertingere, niſi à papa Antichriſto diſſenſerit: ideo illi & omnibus decretis illius abrenuntio, nolens ſui regni apoſtatici particeps eſſe: ſed uolens ab illo perpetuo eſſe excommunicatus, cum ſciam idem regnum eſſe à Deo excommunicatum & maledictum. At de his paulò pluſcula alio libro tractabimus ad gloriam domini noſtri JEſu Chriſti: cui ſit honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

§. 4.

Itaque Lambertus poſt ſeceſſum e Gallia A. MDXXII. in Helvetia primum veritatem a ſe agnitam variis in locis non ſine fructu libere & fideliter docuit. Benevole inprimis exceptum ſe gratus profitetur a Sebaſtiano de Monteſalcone, Epiſcopo & Principe Lauſanenſi, in dedicatione Farraginis

ginis omnium fere rerum theologicarum ad ipsum directa scribens: *Superioribus annis cum apud urbem tuam Lausanam verbum Christi annunciarem, animi tui pietatem, adulatorum vero ac seductorum quorundam, impietatem, multifarie expertus fui. Siquidem ubi nostris prædicationibus aderas, verbum Domini sincerissime amplectebaris, ubi autem ob negotiorum tumultus abesse compellebaris (quod semel atque secundo fuit) sicut mihi nonnunquam dixisti, a verbo Domini te facere alienum nonnulli moliebantur, adserentes quod hæretica prædicarem. Verum tandem sic te vicit potentissima veritas, ut multis pro me scripseris, & libenter fatear, tui causa apud Bernenses, Tigurinos, Basilienses, & Friburgenses bene mihi fuisse. Abeuntem quoque adjurasti, ut nonnunquam ad te scriberem, quæ pietatis erant, quod & me oportune facturum spopondi.* Et multis interjectis: *En quam multa fiducia tecum ago, memor veteris amicitiæ, qua me olim dignatus es, ac nobilissimi animi illustris dominationis tuæ.* Tigurum eum deinde concessisse, ut cum Zwinglio de religione conferret, ex annalibus constare memorat J. H. Hottingerus, (*b*) simul-

(*b*) In Histor. Eccles. Sec. XVI. Part. II. p. 584. sq.

que literas commendatitias, quibus eum Berchtoldus Hallerus Bernæ instruxit, exhibet. Non abs re erit, eis & heic locum præbere, cum nobis egregie depingant Franciscum nostrum, qualis tum fuerit. *Singularis tua humanitas, cujus omnes implevisti erga me numeros, & hujus boni fratris Franciscani sanctum concionandæ veritatis institutum quasi suo jure aliquid literarum a me exigere videntur, quæ mei memoriam apud Te foveant, nec tam plane apud Te frigescere patiantur. Mea autem cautio esse debet, ne diutius, quam par est, Te hominem, ut audio, occupatissimum obtundam. Itaque rem ipsam in pauca conferam. Pater ille Franciscanus, & nihil minus quam monachus, concionator tamen Apostolicus & Generalis Conventus Avenionensis ad quinquennium jam ferme docendæ veritatis Christianæ officio functus, Gebennis, Lausannæ coram Episcopo, Friburgi, & jam Bernæ, Latino tamen sermone concionatus est nostris sacrificulis, nondum ex omni parte in re Christiana sanis, de Ecclesia, Sacerdotio, Sacrificio & Missa. Rursus de Romanorum Pontificum Episcoporum traditiunculis, de ordinum & religiosorum fatuis, & plene hypocriticis superstitionibus, cæterisque multis, quibus omnibus nonnihil profuit. Non quod*

hæc

hæc a nobis aliena sint, verum a tali homine, Franciscano, Observante, Gallo (quæ omnia mare superstitionum confluere faciunt) inaudita videbantur. Is igitur totam peragrabit Germaniam, & itineri, ad Tigurum accinctus, petiit, ut Tibi eum commendarem. Non dubito, quin pro Tua in me humanitate eum humanissime sis tractaturus; ipse mox videbis, cujus ingenii, doctrinæ & eruditionis sit.

§. 5.

Eodem anno ad finem vergente Lambertus Isenacum, Thuringorum oppidum, pervenit, ibique positiones quasdam publicæ discussioni subjecit. Hæc enim lego in Georgii Spalatini Diario MSto, eoque ἰδιογράφῳ ab A. 1515. ad An. 1526. inclus. quod inter cimelia sua adservat Perillustris Dn. de Krafft. *Venit sub Novembri Isenacum sive Gallus sive Italus* (in margine vero idem notavit: *imo Gallus, patria Avenionensis Franciscus Lambertus olim Minoritanus*) *qui se nominavit Johannem Serranum, vir eximia eruditione in Theologia sinceriore, qui mire ut Principem nostrum christianissimum Electorem Saxon. sic Doct. Martinum Lutherum ambivit, ut admitteretur in colloquium.*

Prælegit illic reclamantibus sophistis & mendicabulis cucullatis Evangelium S. Johannis. Disputavit nonnullas propositiones die S. Thomæ Apostoli de matrimonio male prohibito clericis, de confessione, de baptismo, de contritione, de satisfactione. Extat inter Spalatiniana Bibliothecæ Krafftianæ MSSta fasciculus positionum 139. quas præter alias publicæ συζητήσει Lambertus Isenaci exposuit, cum hac epigraphe: *Sequuntur propositiones apud Isenacum expositæ, quarum plures antea ibidem disputandas tradiderat idem Theologus, qui exposuit sequentes: & quoniam nullus fuit, qui adversaretur, propterea illas adauxit, ut clariores fierent præcedentes ex his, quæ sequuntur.* Cum nesciam, an eæ typis sint exscriptæ (*i*), speciminis loco illarum quasdam de reservatione casuum hic inserere placet.

„ 91. Gravi certe animarum periculo, „ imo perditione, invaluit abusus ille tot „ reservationum, pro quibus ad Romanum Episcopum, sive ad reliquos, statuunt fore eundum.

92.

(*i*) Ab iis certe differunt, quæ iisdem de rebus extant in Farragine omnium fere rerum theologicarum.

92. Nullus ad Romanum Pontifi- „
cem, sive ad reliquos, est mittendus, „
etiam pro casibus, illis commento „
(quod jus vocant) humano reservatis, „
ubi pro pecuniis tantum universa agi „
conspicimus.

93. Nec te moveat Romani Episcopi „
facies, triplici corona superba, nec arro- „
gans papatus agnomen cum universa „
ecclesia sua. Nam certum est, illum „
jure divino nihil talium posse, nec de- „
bere præsidere aliis quam Romanis, „
cum vere tantum Rom. Episcopus sit, „
nihil in Archiepiscopatu Moguntinensi „
plus valens, quam in eo posset Archie- „
piscopus Avenionensis, & sic de ceteris. „

94. Neque terrearis illius aut alio- „
rum Episcoporum potestate terrena „
quum hæc illis tantum proficiat ad „
interitum, & a viris, quos apostoli- „
cos fore oportuit, hæc sint quam ma- „
xime aliena. „

95. Homo non potest esse aposto- „
licus pompa seculi, terrenoque impe- „
rio, sed Apostolorum imitatione, ac „
verbi Dei ministerio, quod illi fero- „
ces lupi ululatibus suarum traditio- „
num detestabilium admodum conte- „

„ nebrarunt; & ad id infeliciter niti vi-
„ dentur, ut penitus illud extinguant:
„ sed dissipabuntur conatus illorum abs-
„ que manibus; nam sua stultitia & ver-
„ bi sancti actione peribunt. Fiat, Fiat, Amen!

„ 96. Igitur desertis eorum plusquam
„ insaniis, absolvat poenitentem confes-
„ sor, & id gratis, secundum evangeli-
„ cam jussionem, ubi videt, illum ab
„ aliis symoniace ac pecunia tradita
„ solvi.

§. 6.

Rebus igitur Isenaci bene gestis, An. M D XXIII. mense Januario solius fere Lutheri conveniendi gratia Wittebergam concedens, a Megalandro nostro humanissime habitus, ejusque primum sumtibus pro ea, qua pollebat, liberalitate sustentatus est, posthac vero ab illo Georgio Spalatino, & per hunc Friderico, Saxoniæ Electori supra omnes laudes posito, commendatus, Principis hujus Optimi benevolentiam multis modis expertus fuit. Hujus loci est, referre elogium, quo ipsum Lutherus in epistola ad Spalatinum L. II.

p. 121.

p. 121. ornavit (*k*): *Adest Johannes ille Serranus, vero nomine Franciscus Lampertus, imaginibus quoque nobilis, inter Minoritas viginti annos versatus, & generali verbi* (Sekendorfius legendum esse arbitratur: *Generalis*) *officio functus, ob persecutionem, exul & pauper factus. De integritate viri nulla est dubitatio: testes sunt apud nos, qui illum & in Francia & in Basilea audierunt, tum Basileensis suffraganeus ille Tripolitanus cum Pellicano, dant illi pulcbrum testimonium. Et quanquam nos abundemus Lectoribus optimis, tamen, si quid poterit, non abjiciemus: mihi per omnia placet vir, & satis spectatus mihi est, quantum homo spectari potest, ut dignus sit, quem in exilio paululum feramus & juvemus. Sed tu meam nosti facultatem, ut non sit opis mea illum alere, qui ipse alienis vivo: videretur mihi Principi persuadendum, ut jam non perdat, sed in charitate Christo fœneret viginti aut triginta florenos, in eum collocandos, donec vel a suis tribulibus, vel proprio stipendio sese sustentet de labore suo.* Neque vero otio nobile tempus Wittebergæ perdidit vir diligentissimus, sed juven-

(*k*) Dignum quoque hoc censuit, quod insereret præstantissimo suo commentario de Lutheranismo Sekendorfius Lib. II. Sect. 8. §. XIV. f. 40.

tuti ſtudioſæ Hoſeam Prophetam aliosque libros biblicos non ſine auditorum plauſu expoſuit. Spalatinus in Diario ad ann. M D XXIII. menſ. Februar. *Franciſcus Lambertus Avenionenſis patria Gallus, Wittebergam profectus, Hoſeam Prophetam prælegit, ſatis frequenti auditorio.* Sed ipſum hic Lambertum audire juvat de Electore ac Luthero ita in Dedicatione Commentariis in Prophetam Hoſeam A. 1525. præmiſſa diſſerentem: *Veniunt, paſſim Wittembergam Comites, Equites, Nobiles, & alii etiam e Gallia noſtra, ut te inclytum Ducem videant, ac præfectum operum Mart. Lutherum. Hoc ſtimulo actus ego peccator, e noſtra Avenione, quæ ultra Allobroges in ripa fluminis Rhodani ſita eſt, confidenter iter adgreſſus ſum, & veni in dictam vere felicem Wittembergam, in qua ad publica Dei ſcripta enarrandi provinciam admiſſus fui, & in ea DEus Tuam altitudinem mihi vere patrem fecit. Taceo ſigillatim, quæ ab ea accepi, enumerare, ne adulari potius videar, quam ejus in nos charitatem profiteri. Novi, quam pectus chriſtianum non ſuſtineat adſentationem. Paucis hæc dixiſſe ſufficiat, quod paterne ſemper juviſti & foviſti nos. — — Is Oſeæ liber prior eſt ex omnibus, quos apud Tuam feliciſſimam Witten-*

ber-

bergam enarravimus. Proinde Inlustriss. D. Tua illum dicare volui, ne me extra Saxones habitantem Tuæ clementiæ putes oblitum. Spalatini autem favorem in dedicatione Commentar. in Evangelium Lucæ A. 1523. mense Novembri his prædicat verbis: *Ego homo in Saxonibus peregrinus, & propter testimonium JEsu Christi e Gallia, maxime ab inclyta Avenione, urbe Romano Pontifici subjecta, exul, & tuam, & per te Clementissimi Principis beneficentiam sic expertus sum, & indies experior, ut etiam adjuratus Dei & in eo & in te laudes tacere non possim* &c. Hoc quoque anno ipsum Electorem, Evergetam suum, convenisse Lambertum testis est Spalatinus in Diario: *Eadem vigilia* (Pentecostes scilicet) *etiam huc Locham* (*l*) *venerunt visum Principem tres Galli pii & eruditi, Anemundus Coctus a Castellare* (*m*) *Eques, olim*

Y 5 *miles*

(*l*) Locha alias a Sekendorfio Lochavia dicitur, arx & oppidulum prope Wittebergam, ubi Fridericum Electorem frequenter commoratum esse e Spalatini Diario MS. didici. Hodie ab Anna Danica, Augusti Electoris conjuge, instauratrice arcis, Annæburgum vocatur. vid. Sekend. l. c. L. I. §. LXXX. f. 123.

(*m*) Eques hic, e Gallia itidem ob religionem profugus, Lamberto amicissimus, Commentariis ejus in Minorit. Regulam epistolam præmisit. J. H. Hottingerus in Hist. Eccles. S. XVI. P. II. p. 584. eum nominat virum ut genere doctrinaque clarum, ita pietate humanitateque longe clariorem.

miles Rhodius, vir mire festivus & doctus & eloquens, mihi egregie a Doct. Martino Luthero commendatus, Franciscus Lambertus, alioquin Serranus, Avenionens. Delphinates, & Claudius a Tauro. Non alienum erit ab hoc loco, aliquot integras Lamberti epistolas e thesauri Kraffriani autographis exhibere, cum varia, ejus historiam illustrantia, contineant.

Principi Illustrissimo & Domino Domino Friderico Sacri Imperii Archimareschallo, Saxonie Duci, Landgravio Duringiæ, Marchioni Misnie, Franciscus Lambertus Avenionensis inutilis Domini nostri Jesu Christi Servus. Gratia & Pax Christi Jesu. Amen.

PLacuit misericordie Salvatoris, ut pauper is qui has ad Illustrissimam D. T. literas dedit, post innumeros labores atque pericula, in terram quam sinceri Christi fideles inhabitant, perveniret. Vidi, quos tamdiu concupivi, te visurus quum id concesserit Dominus. Inveni apud Wittembergam, qui me apud Gallias agnoverunt,

runt, & jam amplius latere non possum, fateor ingenuè, me apud Minoritas viginti annis fuisse, & in Dei verbo complura ab eisdem perpessum. Professione fui inter eos numeratus, quos Apostolicos sive generales prædicatores vocant. Apostolici dicuntur non a Papa, sed quod Apostolorum exemplo eos per varias orbis regiones prædicare Evangelium necesse sit, & id quidem quottidie oblata oportunitate. Igitur verbi ministerio suscepto, dum scolasticis minimè concors essem, tantum afflictus fui ab hypocritis & falsis fratribus, ut me ab Evangelii ministerio sancto niterentur penitus reddere alienum. Sed ereptus fui a Deo misericorditer, qui eduxit me ab Hur Chaldæorum istorum. Tractatum post aliquot dies (Cristo juvante) emissurus sum, in quo historiam meam, & causam mei adventus plene referabo. Tunc qui volet, scrutabitur consilium Domini, quo larvas & feces mundi, ut vitentur cunctis manifestat. Horum nihil, his literis recensebo, ne illustrissimam d. tuam frustra impediam. Veni igitur Wittembergam ut verbum sanctum libere administrem, saltem scriptis, saltem inter doctos. Aliquid nostri Martini

con-

consilio oxordiar, vel Osee Prophetam vel psalmos, vel Lucam, vel aliquid tale. Sed per Cristum obsecro, ut jubeas mihi aliquod auxilium dari. Pauper sum, non habens quo alar. Credo me a Domino evocatum ad Martinum, ut frater fratri auxilio existens firmam pariter arcem edificemus. Non te conturbet insania Ecclesiæ malignantis, quæ in malum proficit, ut deficiat, & penitus evertatur. Justos sustinere nonnihil necesse est, sed cessabit quassatio. Gallia pene omnis commota est, & absque magistro sinceros habet veritatis dilectores, cum post modicum alia pleraque intellexeris, exultabit Spiritus tuus in Deo salutari nostro.

Namque negocium Evangelii, etiam post dicessum meum, mire apud *illos* profecit. Et confido, quod dum scripta viderint, illius quem quandoque audierunt prædicantem magis magisque proficiet. Occultavi hactenus nomen meum, quod cognitum sit quasi per totum minorum ordinem à fratribus multis, a quibus timui sustinere impedimenta, sed non omnino absque ratione nomen hoc mihi confinxeram, ut Johannes Serranus vocarer, qui in veritate Franciscus Lamber-

tus

tus sum, natione Avenionens. Juva nunc pauperem Cristi in opere sancto, o Princeps Illustrissime & idem Christianissime, ut Cristi nomen in terra tibi subjecta magis magisque glorificetur, cujus gratia & pax tibi semper Amen! Wittembergæ. ad 13^m. Kal. Febr. anno 23mo. supra mill^m. & quingent^mum.

Ejusd. Illustr. Dno.

Tue humilis orator Franciscus Lambertus.

Illustrissimo & eidem, Christianissimo Principi & Domino Domino Friderico, Sacri Imperii Archimares. Electori, Saxonie Ducis &c. sibi in Cristo observandissimo.

X. *JEsus Amen.*

GRatia & Pax, Jesu Cristi tecum. Cujus nomen sit benedictum in eternum, quod me deduxit in locum tamdiu concupitum. Et quamvis Princ. Ill. id celarit a me, itidem & Scultetus, ut nesciam cujus expensis advenerim ab Isenaco, tamen arbitror nihil absque optimi Principis beneplacito factum, incepturus sum aut Oseam Prophetam, aut Psalmos, aut Lucam, aut liquid simile, sed nihil absque nostri Martini consilio. Pauper sum, rogo igitur ut suggeras Principi Illustrissimo, ut nonnihil auxilii capiam, tantum, ut cum mihi administrante vivam. Non sum Jo. Ser. quod nomen confinxeram, non absque necessaria ratione. Franciscus Lambertus vocor, natione Avenionensis, qui apud Minoritanos fui annis XX. semper persecutiones & impedimenta sustinens ab eisdem. quamdiu Cristi Evangelium sincere volui nunciare. Postmodum (Cristi auxilio) tractatum emissurus sum, quo hystoriam meam a principio, & causas mei exitus certe vehementes, itemque fidem meam circa dissidia Ecclesiæ

Cristi

Criſti & Eccleſiæ malignantium cunctis faciam manifeſta, & ſi inveniatur qui imprimat non tantum latine ſed gallice & Italice, hec atque alia tradam. Erit, crede mihi, erit ad Criſti Evangelii gloriam, & ut denudentur conſilia larvatæ gentis, Phariſeorum noſtri temporis, magnam habent rationem conſolationis.

Principes Illuſtriſſimi, ut ſuis temporibus, & in dominiis ſuis, revixerit Evangelium dudum a Scolaſticis ſepultum. Init Concilium Eccleſia Sathanæ adverſum Dominum, & adverſum Evangelium ſuum, ac illius dilectores ſinceros, ſed diſſipabitur. Abbreviabuntur dies antichriſtorum niſi reſipiſcant, quod faxit Dominus. Amen. Nolunt intelligere, ut bene agant, credentes in Criſtum. Ceci ſunt, & cecorum duces, neſcientes Prophetas, legem atque Evangelia.

Illumina Deus oculos noſtros, ne dormiamus in incredulitate, ne quando dicant adverſarii iſti, juſtitiæ Chriſtianæ (quæ Chriſtus eſt) prevaluimus adverſum eos, utique fiat regnum hujus mundi Dei & Domini noſtri Jeſu Criſti, cujus gratia & pax tibi ſemper! Vale Chriſtianæ ſapien-

tiæ

tiæ Doctor, & pauperis hujus memineris. Wittembergæ 130. Kal. Febr. anno 23. juxta mill$^{mum.}$ & quingent^{mam}.

Tuus Franciscus Lambertus Avenionensis Domini nostri JEsu Christi inutilis servus.

JEsus.

Georgio Spalatino Theologo vere sincero a Sacris Illustrissimi Principis & Domini Domini Friderici Saxoniæ Ducis. Electoris &c. patrono suo colendissimo.

Sal-

SAlvatoris nostri Jesu Christi Gratiam & pacem. Binas eodem die, â prestantia tua adcepi literas quarum priorem Dominici Corporis VIII. die, posteriorem Sabbatho post Barna. scripsisti, in utrisque ingentem tui pectoris pro verbo sancto ardorem, itemque pro me inutili quidem illius ministro solicitudinem, abunde cognovi. Placentque ideo admodum, quæ de vacante sacerdotio admones, ac sentis, cum hisce caribdes scirtesque desideratissimam animi quietem ac sacrosanctum verbi ministerium soleant impedire.

Tametsi credam in eum, qui me â reprobis malignantium conventiculis segregavit, ut filii sui Evangelium libere nunciarem, quod nihil propterea minus in re Christiana egissem. Testis enim mihi est Dominus, quod nihil me moverit, stulta hæc sacerdotii facies atque ambitio, sed ob id tantum amicis admonentibus, de eo cogitaveram, ut neque Principi Illustriss. neque auditoribus meis, neque alteri cuipiam, forem necessaria poscendo molestior. Idcirco quæ facta sunt; ut pius es, boni consulere velis, suscepi ergo consilium tuum, haud secus atque patris

necessariam jussionem, nihil in ea re admissurus; etiamsi me ad eam plurium vota advocarent. Symplegades vitare jubes, qui fiet, ut non semper acquiescam, propositi quippe mei semper fuit, ut nihil unquam admitterem, quo in Christi negotio minus liberior essem. Interea ad id Christo propitio nitar, ut quod cepi adimpleam. Neque opus erit, ut te nimium solicitem, pro mihi necessario victu & cultu. Scit enim amicus (ut pro ingenita animi & humilitate & benevolentia vis appellari) & dominus meus, quid dilecto clientulo sit necessum.

Magnus est Dominus & omnipotens providentia ejus. Petis demum ut quicquid nostrarum lucubrationum excussum fuerit, tibi mittam, tametsi nihil tua sit prestantia dignum, faciam quod precipis, verum tardiores sunt typographi quam ut brevi commentarii in Prophetas cudantur. Expecto ab illis in dies ἐξηγησιν in Minoritarum regulam, ac literas quas ad supremum regium Consilium, sive (ut vocatur) parlamentum totius patriæ Delphinatus, novissimè dilectissimo & nobili Claudio de Tauro dedi. Ubi autem imprimantur, me latet. Is enim qui adcepit, tantum a nobis libros

libros pretio redimit, quos demum ubi oportunum viderit cudendos tradit. Sic & ego aliquot illi opellas tradidi aliorum exempla sententiamque secutus.

Gallice item nonnulla edere cepi, quod ad me ex Amburgo nuncii advenerint, tractatusGallicos postulantes. Ajunt enim quod illic sit, qui ea lingua, elimatissimos possit cudere libros; quos demum navigio in Gallias mittit. Necdum tamen aliquid conclusimus, donec prius quid possit experiar, cujus rei spero me certitudinem brevi suscepturum. Faxit D. O. M. ut inveniatur qui Gallicè id imprimere possit, cum nihil in ea re conducibilius Galliis arbitrer futurum. Nunquam enim apud Germanos sic veritas profecisset, nisi Christianissimus noster Martinus tractatus etiam vulgares edidisset. Tu quoque ut audio, novissimam locorum communium editionem vulgarem fecisti, unde & studio tuo & Germanorum utilitati congratulor. Abundat Germania verbo, miserrime autem Gallorum Italorumque plebes fere illius esurie disperennt; DEus misereatur illorum & benedicat eis, illuminet vultum suum super eos, & illorum misereatur, ut cogno-

ſcant in terra viam ſuam in omnibus gentibus ſalutare ſuum. Amen!

A Galliis nihil recepi novi, Operior quid mihi reſcripturi ſint prædicti Conſilii Senatores, Illuſtr. D. de Camera Sabaudiæ Comes ſupremus & aliquot alii Domini, quibus ſcripta direxi. Noſter Eques D. Annemundus Coctus, nondum abſceſſit. Expectat autem fideles itineris Comites. Noſti enim quanta nunc undique pericula ſint. Is preſtantiam tuam in Chriſto ſalvam eſſe exoptat. Dediſſetque nunc ad te literas, niſi eum, qua diebus aliquot preſſus fuit, infirmitas vetuiſſet. At, Chriſto propitio, brevi ad te ſcripturus eſt. Servavi, ut quæ tibi dixeram de aliquot aliis Galliæ Principibus, ipſemet exequatur. Ideo illi noſtras literas tradam, cum in negocio Chriſti ſit juxta ſinceriſſimus & ardentiſſimus.

Quod de modis omnibus egregio jure conſulto d. Doctore Hieronymo ſuades inter præcipuos habendum patronos mihi jam perſuaſiſſimum erat. Verum nihil eſt in me, quod apud vos de hoc vermiculo tam honorifice, ut ſcribis loqueretur. Egit

Egit hoc pro multa sua pectoris ingenuitate, atque in virum immeritum, charitate sincerissima. Confido in Deum meum, quod & Illustr. Princ. & te, & illum, non oblito Ecclesiaste nostro, patronos mihi in exilio meo dederit.

In prioris epistolæ calce, pro coronide adjecisti, rem profecto consultissimam, ut scilicet, quicquid â te voluero, id scriptis non præsentia agam.

Quod tametsi non scripsisses, quid hinc pro tempore emergere possit, ipse mecum sepenumero cogitavi. Sufficit quod me semel admiseris, egerisque ut Christianissimi Principis, quoad fieri potuit, optato & venerando aspectu potirer. Gratias veruntamen immensas refero, quod me promoveris, & pro benevolentia quam mihi ostendis, gaudeo vehementissime. Obsecro autem prudentiam tuam per Christum ut in quibuscunque tibi videbitur & mihi consulere & me commonefacere velis. Etenim & consilia & admonitiones tuæ mihi erunt perinde atque oracula Dei, & Domini nostri JEsu Christi, Cujus pax & gratia tecum, & bene in eo vale optime Spal. orans ut

per nos misteria sua sincerissime tractet. Wittembergæ, die Dominico post Barnabe diem M^mo^. CCCCC^mo^. XXIII.

Tuus Clientulus Franciscus Lambertus.

Sincerioris Theologiæ integerrimo assertori Georgio Spalatino Illustr. Sax. Ducis Frid. A Sacr. concionibus patrono suo observandissimo.

X.

CHristi graciam & pacem, quia nuper ad te literas dedi Spalatine doctissime tuoque in domino mihi datum est colloquio frui, nunc brevibus agam. Nondum aliquid inchoavi occupatus multis scriptis potissimum, quæ pluribus in Gallias misi. Junior quippe Nobilis Claudius de Tauro abiit. Scripsit Doctor Martinus Regis Galliæ Advocato nostris desideriis acquiescens. Isdem enim advocatus multa apud Regem potest, & rei evangelice deditissimus est. Eques noster nondum abiit, qui prestantiam tuam in Christo salvam esse cupit. Quæ in secreto a me accepisti, non efficiam, per omnia tuis consiliis acquiescens. Excusabit nostra conditio, si quid immodestiæ, de me tibi in mentem incessit. Satis intelligis quid velim, quod ad lectiones attinet, nihil agam sine Doctoris Martini consilio. Non satis decrevi quid prælecturus sim. Psalterium Epistolæ & Prophetæ lecta sunt. Forsan si aliud a predictis legero, aut Apocalypsin, quamvis misteriis plenam, aut aliud quiddam, non sine consilio aggrediar. Tu juva me apud Illustr. Princ. sicut meam novisti necessita-

tem. Erubesco enim quod Christianissimi nostri Martini impensis sustinear. Si possem vel saltem aureos 10. in angustia habere, possem utcunque cum familiari vivere, & auditoribus non essem onerosus, donec aliunde Dominus mihi auxilium mittat. Cujus gratia & pax tecum sit Amen. Vale sincerissime Evangelista. Wittembergæ 5. Kal. Junius anno 23. supra millesimum & quingentesimum.

Tuus Franciscus Lambertus, Avenionensis.

Venerando Christi servo Georgio Spalatino Evangelistæ aulico Saxoniæ sincerissimo, suo in Christo Majori.

X.

CHristi gratiam & pacem. Quam apud Illustrissimi Principis arcem de Locha ostendisti Christi pauperi dilectionem dum me in tuis & domo & cubiculo suscepisti, literę tuæ quas apud Equitem nostrum reperi, abunde testabantur; Quis ego homuncio ut illius scripta & vere adhuc immatura, tantum expostules. Video quod totus ardes in verbum Dei cujus Zelum in scientia habes. Id facit, ut etiam minores, vel in completas editiones deposcas. Si gratum tibi judicas idque mihi notum sit, spondeo, quod etiam si discessero Lucam totum, Evangelion scilicet & acta, tuo nomini dicanda, typographis tradam.

Tantum ora, ut vita comite, & Spiritus Christi illustratione idem opus emendatius exeat.

Quod ad rem meam attinet, misi supplicationem ad Principem Illustrissimum quam fide & fac sicut nosti, si me juveris universas prorsus Gallias juveris.

Proponimus enim quicquid poterimus in re Christiana gallice tradere. Mutatio (utinam sicut confido) dexteræ excelsi.

Posteaquam prædicta scripsi, venit ad me eques noster, & cepta obmittere compulit,

donec iterum noſtrum Martinum Chriſtianiſſimum itemque Philippum Melanchth. conſulerem; Philippus namque pro ſua charitate præmonuit illum, ut hæc mihi diceret, Veni ergo ad illos, & omnia reperi immutata. Suadet optimus ipſe Eccleſiaſtes, ſuadet & Philippus ne prius diſcedam quam D. Eques, per ſemetipſum conſpexerit, an vera ſint, quæ nobis dicta fuerunt, interea quicquid in facultate eorum fuerit, mihi offerentes. Vere devincitis nos vobis omnes.

Suſcepiſti me tu hominem alienigenam inter alia in proprium cubiculum, videbare ſuper vermiculi diſceſſu triſtis eſſe, Eccleſiaſtes & Philippus mihi timent, & pro me mire ſoliciti ſe & ſua offerunt, ut omnes vos Chriſti diſcipulos agnoſcere compellar.

Demum qr. ſapienti ſufficit rem palam feciſſe, ſi quid egiſti cum optimo Principe videris quid magis ſit faciendum. Rem noſti. Tantum obſecro ut ſicut in ultimis literis ſpopondiſti nonnihil ad munus adjungi quantum poteris facias. Ego autem viciſſim faciam quæ adhortatus es, & Lucam totum tibi dicandum, ſi placuerit, Domino miſerante complebo. Vere gaudeo propter vos omnes, quod nondum

ab-

abscedam, ut vobis iterum fruar in Domino, a quo est nostrorum operum conclusio, tametsi varia sepenumero proponamus, Cui gloria & imperium in secula Amen.

Annotationes meas brevi recipies. Non enim reperi eum qui scripsit illas. Bene valeas in Christo, cujus gratia tecum. Wittemb. hac Dominica post Assumtionem 1523.

Salutant te D. Joh. Pome. cum sponsa sua.

Salutat quoque te D. Eques, & Christina Soror.

Tuus Clientulus Franciscus Lambertus.

Viro Christianissimo Georgio Spalatino Aulæ Illustrissimi Principis Saxoniæ Ducis Friderici Episcopo, suo in Domino Majori & Patrono.

§. 7.

Eodem anno M D XXIII. die Joannis Baptiftæ Lambertus nofter cum honefta virgine Witteberga fponfalia fecit, ut legitimo matrimonio prurientis carnis illecebras reprimeret. Eorum hifce meminit Spalatinus in diario fæpe laudato: *die Johannis Baptiftæ VIII. Cal. Jul. fcripfit mihi Francifcus Lambertus Avenionenf. Theologus, olim Jo. Serranus, idemque Minoritanus, fefe Witteberga Piftoris Hertzbergenfis filiam puellam, admuente patre ejus & filia, duxiffe uxorem, habiturumque ita volente Patre puellæ, nuptias ad diem Margaritæ. De qua re Andr. Pretymus meus fic ad me in profefto Apoftolorum Petri & Pauli fcripfit. D. Francifcus Lambertus Gallus, homo tibi & omnibus nobis bene notus, uxorem ftatim ducet puellam D. Auguftini Schurff Medici famulam. Sic boni homines ex his fatanæ laqueis, quibus antea captivi tenebantur,* (forte addend. liberati) *utuntur bona Dei creatura in remedium, qui fe viros a Deo creatos effe fciunt. Det Deus Opt. Max. ut idem omnes agnofcamus.* En ipfas Lamberti epiftolas, ex autographo Krafftiano a me defcriptas, in quarum priore is Spalatinum de fponfalibus fuis cer-

tiorem

tiorem facit, eorumque rationem reddit, in posteriore vero pro dono, ni fallor, nuptiali gratias agit.

X.

GRatia & Pax a Domino nostro JEsu Christo. Accepi nudius quartus literas tuas, optime, & idem doctissime, Spalatine, quibus ingentem erga me animi tui benevolentiam protestatus es. Speras aliunde, quam sacerdotio superstitioso, meæ inopiæ providendum, spero & ego in Dominum quod per te & per alios mihi aliter providebitur. Interea accidit quod te latere haudquaquam volui; scis me nuper tecum nonnihil de re uxoria tractasse, pandens quod mihi necessarium erat honorabile connubium in omnibus, thorus immaculatus. Nollem sicut nec unquam fui scortator esse, nollem etiam immunditias. Scis autem quantum possint, qui non habent donum. Urgeor fateor, & a carne, cui si consensero, pereo. Itidem & a verbo Dei mihi id præcipiente, ut ne vel corde fornicationem admittam, angustiæ mihi semper fuerunt undique. Miserere igitur, o venerande Christi serve, & mihi hoc dona ut non scandalizeris, pro his quæ acciderunt, & age apud Clementissimum Principem,

pem, ne illum male habeat quod verbi Dei imperio feci. Vere, impediebar admodum a verbo & lecturis propter stimulos carnis & vere continuos. Hac die una circiter hora antequam id scriberem inter puellam quandam filiam pistoris cujusdam Erzerbergensis patre & filia consentientibus, & me, factum est, legitimi matrimonii promissum. Et ne te aliquid lateat, a patre, qui Wittebergam hujus rei gratia venit, dies nuptiarum constitutus est dies s. *Margaritæ*. non absque consilio nostri *Martini* viri Christianissimi. Factum est quod uxorem acceperim. Vere hic scrupulus semper in me fuit, quod timui & Illustrissimo Principi & tibi pro hac re gratus haud quaquam esse. Sed quid timui, displicere viris Christianissimis, quibus nil gratius est, quam ut verbum Domini observetur & maneat in eternum. De his abunde alio tempore scribam, Germani pro his non scandalizantur neque ex Galliis peritiores. Pro Galliæ simplicioribus quibus tractatum Christo propitio scribere cepi. Quod si tandem quipiam offensi fuerint, mihi pro minimo est, sciens quod Christus verbumque suum atque observatio illius, sit in ruinam & resurrectionem multorum & quod illi contradicetur.

Scio

Scio quod occupatior sis quam ut ad nos venires, si rogaremus ut nuptiis interesses. Ora vir Christianissime ut verbum Domini in nobis proficiat semper. Confido in Deum meum quod liberius negotium Christi efficiam; liberatus a quotidiano animæ meæ periculo. Eques noster D. Annemundus te salvum in Christo esse optat qui mox abeunte tabellione haudquaquam scribere valuit. Gratia & pax Domini nostri JEsu Christi tecum semper Amen. Bene vale sincerissime Theologe. Wittembergæ die S. Johannis M. D. XXIII.

Tuus clientulus Franciscus Lambertus.

X.

Viro Christianissimo & vere sincero Georgio Spalatino Illustr. Sax. Ducis Friderici a Sacris concionibus patrono suo observandissimo.

Gra-

GRatiam & Pacem Christi JEsu. Quemadmodum seminantibus gratus est oportunus aër, aut atro jactatis turbine nautis mare tranquillum, sic mihi fuerunt literæ tuæ, mi suavissime Georgi Spal. quibus principali Illustr. Principis, atque tua munificentia carnem ferinam adjecisti. Suaserant mihi quidam, ut abs te primum ex ea aliquid postularem; sed quod petere, haudquaquam præsumere volui, prestantiæ tuæ benevolentia fecit. Agis demum solicitum patrem familias, id curans, ne missæ carnes ante nuptias pereant. Quid tibi retribuam pro omnibus quæ retribuis mihi, non habeo. Ergo me ipsum habe, qui tuus in Christo esse volo. Super quam dici possit, me tibi devinxisti, & exilarasti hominem non nihil pro rei novitate, de semetipso territum, quod mei nunc recordatus sis, quod Clementissimi Principis, atque Excell. tuæ Christianissima pectora hoc indicio patentissime agnoverim. Letata quoque est clarissima soror, quam mihi tradidit in auxilium DEus, cui & mihi misericorditer largiri dignetur, quæ in Christo nobis precatus es. Gavisi item sunt amici plures, qui arbitrabantur conjugium nostrum optimo Principi, haud fore acceptum.

ptum. Per omnia benedictus Deus. Amen. E Gallia hoc saxum primus evolvi, tu ora ut plurimi sequantur, & nephandissimis libidinibus, quibus spurcus ille hypocriticusque cœlibatus abundat, omnis terra purgetur. Ora etiam ut talem me in lectionibus, & conjugio, & reliquis exhibeam, sicut me fuisti christianissime adhortatus. Confido autem in DEum, quod nunc liberius in omnibus agam, videns, Christi misericordia me sub Principis Illustrissimi Imperium plene esse translatum. Tu autem (ut vere toties expertus sum, & fecisti) novi hominis novi Wittebergensis & ejusdem laborantis recordaberis. Salutavi, ut jussisti, Equitem nostrum Dominum Annemundum, a quo & literas habes, cui ingens gaudium fuit, dum quæ a prestantia tua missa sunt intellexit. Gratia autem & pax Christi tecum semper, in quo bene vale mi observandissime patrone. Wittembergæ Sabbato post visitationem beatæ Mariæ Anno Christi M. D. XXIII.

Clientulus tuus Franciscus Lambertus.

Theologo vere sincero Georgio Spalatino Illustriss. & ejusdem Clementissimi Principis Saxoniæ Ducis Friderici a Sacris Concionibus Majori & Patrono suo in Christo observandissimo.

Forte quis existimaverit, occultandas potius fuisse & opprimendas has literas, quam divulgandas, cum animum Lamberti cœlibatus impatientem, donoque, quod vocant, continentiæ haud præditum nimis manifeste ob oculos ponant.. Sed breviter responsum illi sit: licet etiam propterea Franciscus noster, Vir tum XXXVI. annorum atque adeo in vernanti ætatis flore constitutus, culpandus atroque carbone notandus foret, quod salva animi puritate & illæsa conscientia extra conjugium se amplius vivere haud potuisse ingenue fassus sit, (quod tamen vix ac ne vixquidem evictum iri arbitror) recensenda tamen ea a me fuisse candide, cum cordati historici sit, non virtutes duntaxat, sed & vitia illorum, quorum vitam describit, enarrare. Deinde sincerum pectus & candor ejus potius laude dignus esse mihi videtur, qui longe abfuit ab eorum moribus, qui, etsi illibatam castitatem ad nauseam usque verbis ostentent, re ipsa libidinosis flammis continuo agitati nefanda impuræ Veneris castra sequuntur. Ipse profecto Lambertus adeo hanc rem non dissimulavit, ut potius in publico scripto, eoque ad Franciscum Galliarum Regem directo, eam pluribus exponere veritus

ritus haud sit. Commentarium scilicet de Sacro Conjugio in positiones LXIX. partitum, & Norimbergæ apud Jo. Petrejum excusum A. 1525. edidit, ubi in dedicatione ita inter cætera de se scribit: *Præter spem ne immundus aut scortator essem, uxorem duxi. Stupeo idcirco sæpenumero pro re hac, sciens quod nihil tale unquam de me futurum olim cogitassem, & supra quam dici possit, quid de me fecerit DEus, vehementer admiror, ac perinde atque in extasin hujus rei memoria rapior. Enimvero hæc acerrime toties persecutus sum. Verum non ideo castus eram coram Domino, quod animo continuo urerer. Externe quidem cælebs eram, sed non videbam tum cæcus, quod, ubi quis uritur, pro luxuria coram Domino computetur. Quandoquidem de internis maxime judicat DEus, & ab animo universa metitur. Mulierem tum non tangebam, neque aliam Dei munere habui præter legitimam. Sed ad quid hæc, dum in mulierum concupiscentia vixi. Scio ego certissime, quod uri turpius & detestabilius sit omnibus, quæ in sacro conjugio accidere unquam possunt. Nimirum nihil impudicitiæ, sed vera castitas in eo est, sicut in sequentibus commentariis abunde patebit.* Deinde se tum in gravi adustione & mu-

lierum desiderio vixisse profitetur Vir cordatus, quod ejus regni civis fuerit, quod juxta Danielis vaticinium Cap. XI. vivit in concupiscentia fœminarum. Notabile vero est, Lambertum nostrum e Theologis Galliæ primum sacrà conjugii vincula subiisse, uti ipse in literis ad Spalatinum modo exhibitis testatur, nec non in epistola ad Franciscum I. Galliarum Regem exarata, & Commentario de Conjugio præmissa.

§. 8.

Anno sequenti MDXXIV. Witteberga relicta, Metas, Lotharingiæ urbem, profectus est vir, divino plenus Zelo, hac fini, ut inter Gallos suos cœlestia salvifici verbi semina spargeret, Ecclesiæque pomœria, quantum in se esset, proveheret. De hoc Spalatinus in Diario: *Franciscus Lambertus Avenionens. Theologiæ Doctor, olim Minorita, ex Witteberga Metas ad ministerium verbi vocatus in Quadragesima abiit ex Saxonibus.* Anno jam superiori mense Augusto Lutherus, teste Sekendorfio (*n*), ad Spalatinum scripserat, nostrum Tigurum abiturum esse, ut

(*n*) l. c. L. II. §. XV. f. 40.

ut Galliæ propior sit, viaticum pro eo apud Fridericum Electorem procurandum petens. Iter vero illud Metense, inconsulto Electore Friderico, tum in Imperii conventu Norimbergæ (*o*) versante, invito etiam Luthero, Melanchthone aliisque amicis, a se susceptum esse ipse confitetur Lambertus in dedicatione Commentarii in Oseam, Friderico inscripta, unde nonnulla huc transtulisse juvabit, cum ibi simul fata, quæ eo in itinere expertus est, enarret. *Moleste forsan tulisti, quod ante ferme annum abierim a terris imperii tui, contra omnium amicorum, etiam prædicti Martini atque Philippi Melanchthonis consilium, & non expectato beneplacito Illustriss. D. Tuæ, quæ tum erat Nuremberga, aut in via ab ea. Sed quisquis propterea adversum me iratus fuit, sic obsecro irascatur, ut non peccet. Vere enim vocavit me Deus, & præcepit, ut exirem e Wittemberga, veniremque ad Metenses, & in eventum, quo non me sustinerent illic docentem Christum, venirem Argentoratum, aut in aliam e civitatibus Germaniæ, terris Gal-*

(*o*) Inter Spalatiniana Bibliothecæ Krafftianæ MSta reperitur etiam ἰδιόγραφον Spalatini Diarium Profectionis Electoris Friderici ad conventum Noribergensem. vid. Amœnit. T. III. p. 104.

liæ vicinioribus, ut ipsis fratribus per Gallias proximior adeoque utilior fierem, donec alio vocarer. Instabat jussio Dei; proinde mox abire coactus fui. Alioqui nulla erat requies obsistenti. Nullus fuit contemptus, nullave ingratitudo erga Celsitudinem Tuam. Qui enim fieri potuisset, ut non agnoscerem tanti Principis dignationem? Absit. Ego siquidem & mei tui erimus semper, ubi ubi fuerimus, parati ad omnem jussionem tuam in Domino. Abiens denique e Wittemberga veni ad Metenses, ubi magno gaudio civibus mei adventus causa exultantibus insaniebant adversum me præscripti Sanaballitæ & Azotii, sitientes sanguinem meum. Convenerunt enim Pharisæi non pauci adversum me in consistorium urbis. Dominus autem me liberum fecit a manibus eorum. Quid ultra? Tam adversum me insanierunt, ut vel coactus venerim Argentoratum. Erat tum Metis S. Dei propheta, Joannes Castellanus, vere Christianus. Is tam constanter anno superiore illis Christum annunciaverat, ut ad ejus conciones properarent vere populi. Hujus Castellani posthac sinistra fata, novem mensium captivitatem, ac fortissimam pro Christo ad necem usque dimicationem pluribus magno zelo describit, de ejus martyrio hæc præter alia verba

fa-

faciens: *Servus Dei stetit immobilis, nihil territus imminente incendio, degradationem, ut vocant, jucundissime ferens. — Damnatus autem a perditis illis, mox pedibus ivit quasi ad epulas, ad incendii locum. Quo ubi pervenit, complicavit genua ad orationem. Qua finita, surrexit, & se obtulit vinciendum lictoribus ad ligna præparata, moxque incendio, hac vere insigni victoria, fuit in Christi martyrem consecratus. Sic triumphavit de veritatis hostibus invictissimus & strenuissimus Christi miles, bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit. Nunc vere beatus & felix quiescit in Domino, justitiæ coronam repositam habens.* Sed & e reliquis quædam adjicere lubet de hoc martyre, alioque Christi confessore. *Novi illum ex intimis. Fuit etenim mihi perinde atque Jonathas Davidi. Quinquagenarius circiter erat, insigniter eruditus, professione theologus, maturus, constans, intrepidusque veritatis confessor, præsentia & adspectu venerabilis, cujus sermo sicut facula ardebat. Populus autem Metensis audiens Prophetam suum defunctum, supra quam dici possit, mœrore adfectus est. Excitavitque Deus aliquot ex eis millia, & irruerunt in præscriptorum incendiariorum ac Pharisæorum ædes, & libe-*

rarunt e carceribus servum Dei Joannem Vedastum ex Insula Flandriæ, quem dicti homicidæ ad incendium mox, ut fertur, rapere volebant. Hunc tum in ædibus suis Argentorati commorantem Gallicis scriptis adversarios refellere deinde memorat noster. In epistola quoque ad Franciscum Galliæ Regem, Commentario in Canticum Canticorum præfixa de expeditione sua Metensi mentionem faciens, Senatum urbis civesque veritati non contradicentes se invenisse refert, sed Inquisitorem & Monachos hostes esse expertum acerrimos, qui ipsum capere voluerint, nisi Senatus obstitisset. *Quam ob causam* (addit ibi) *videns, me nihil posse illic in verbo proficere, civibus multis nonnihil adhuc timentibus veni Argentoratum feliciss. urbem, quam Dominus mirifice suo verbo illuxit. Illic operior, donec volente Domino aut denuo ad ipsos Metenses aut in aliquam urbium Galliæ revocer. Melius est enim, ut in Germania manens, saltem scriptis aliquid agam in Evangelio sancto, quam si absque fructu ad Gallias adcederem. Mox enim clauderetur os meum, nisi Dominus per Christianissimam Majest. T. mihi id liberum tutumque faceret. Sic clauditur os canentium & annunciatium veritatem.* In tra-

ctatu

ſtatu de vocatione fidelium in regnum Chriſti Cap. XVI. p. 13. ſq. ſcribit, ſe ad Metenſes vocatum, cum hoſtes ſe quærerent extinguere, etiam antequam veritatis ſermonem vel ſemel tantum pronunciaſſet, neceſſario Argentoratum abiiſſe, ut inde ſaltem ſcriptis, poſtquam voce non licuit, Chriſtum doceret, & ne absque fructu & ante tempus raperetur ad tormenta: paratum autem eſſe in Domino & potentia virtutis ejus, & Romam & ad Metenſes & quoquo ire, ſi id Deum velle agnoverit, etiamſi ipſi foret e veſtigio moriendum. In Farragine denique omnium fere rerum theologicarum p. 51. Se Metis ab adverſariis ad nonnullas propoſitiones adfigendas invitatum, illis ſemel 116. propoſuiſſe, easque in hac farragine ad 385. adauctas ſiſtere memorat, hæc verba adjiciens: *Non ſibi adulentur — quod — ob ſimilium prædicationem ſtrenuiſſimum Chriſti teſtem, ſanctum Joannem Caſtellanum, olim Jonathan meum chariſſimum, noviſſime, hoc eſt, duodecima hujus Menſis Januarii MDXXV. apud Vui oppidum Lotharingiæ ignibus Chriſti martyrem fecerunt. Nam pro eo pugnabit Deus adverſum eos, & pro uno mille ſuſcitabit. Et ſi me quoque occiderint, & hac martyrii gloria*

me dignabitur Christus, pro me decem millia surgent.

§. 9.

Metis itaque adversariorum violentia pulsus, Argentoratum fugit, ibidemque quietem ac otium nactus, pleraque scripta sua in publicum emisit. Commendatus vero dehinc ob egregias, quibus summus omnis boni largitor eum liberaliter instruxerat, dotes Philippo Magnanimo, Hassiæ Landgravio, terras suas reformaturo, An. MDXXVI. Homburgum vocatus, in Synodo ibi congregata mense Octobri nonnullas theses, quas paradoxa (*p*) appellavit, publicæ discussioni exposuit. *Hæc Paradoxa*, verba sunt Abrahami Sculteti (*q*), *Publice affixa sunt Homburgi: quo convenit ingens ex omni Hassia multitudo: adfuit quoque Illustrissimus Princeps ipse, & per Cancellarium suum* (Jo. scilicet Ficinum) *potestatem omnibus fecit, adversus Paradoxa ista disputandi; atque iis quidem, qui Latine vellent, cum Francisco Lamberto; contra iis, qui Germanice*

(*p*) Hæc inter Spalatiniana Bibliothecæ Krafftianæ MSta extant; edita vero esse Erfurti A. 1527. e Relationibus innoxiis A. 1709. p. 23. didici.

(*q*) In Annalibus Evangelicis f. 102. edit. Helmstad.

nice vellent, cum Adamo Cratone Fuldensi. Uterque istorum themata promulgata Franciscus Latino, Adamus Germanico sermone explicuere, nemine contradicente, nisi Nicolao Herborn Minorita, Guardiano Marpurgensi, & M. Jo. Sperbero: qui in disputatione illa confusi, deserta Hassia, alio se receperunt. A disputatione Landgravius e monasteriis & coenobiis monachos & moniales exire jubet: reditus Monasteriorum ad Academiam Marpurgensem, ad quatuor item Nosocomia transfert: idola e templis ejicit: Ecclesiis fidos pastores praeficit, Adamo Cratoni supremae doctrinae, rituum ac disciplinae ecclesiasticae inspectione commissa. Hujus Synodi acta Cassellis ab amico secum communicata fuisse memorat Hottingerus (*r*). Nicolaum autem Herborn aliqua contra Lambertum posthac scribere molitum esse colligo ex sequenti Euricii Cordi in ipsum, quem nostri aemulum nuncupat, epigrammate (*s*).

Grande

(*r*) In Histor. Eccles. Sec. XVI. P. III. p. 648.

(*s*) Epigramm. L. IX. p. 233. In Historie der Gelehrtheit der Hessen p. 29. memoratur, Nicolaum hunc contra Lambertum edidisse libellum convitiis plenum Coloniae A. 1527. in 8. hoc titulo: *Von denen dreyen Gelübden der München und Geistlichen, dem Gehorsam, Armuth und Keuschheit.* Scilicet *parturiunt montes* &c.

Grande in Franciscum te fers scripsisse volumen,
Hac & vana tibi gloria parte placet.
Quinque licet scribas magnorum plaustra librorum,
Nil agis, his armis prævalet ille tibi.
Quare consilium fuerit temerarie nostrum,
Vel bene, vel, si vis vincere, scribe nihil.

§. 10.

In recens constituta Academia Marpurgensi Anno MDXXVII. primarii Theologiæ Professoris munere decoratus quin spartam sibi commissam egregie ornaverit Vir laboribus assuefactus & otiari nescius, nullum mihi est dubium, etsi de rebus ab eo hoc temporis intervallo ad mortem usque gestis nihil mihi constet. Hoc unum tamen reticendum haud est, interfuisse ipsum quoque An. MDXXIX. colloquio, curante Philippo Landgravio, Marpurgi inter theologos Saxonicos, Suevicos & Helvetios aliosque instituto, ita vero ut colloquentis partibus haud functus sit, sed ex voluntate Principis sui auditorum tantum subsellia occupaverit. „Si vera sunt, quæ de hoc col-

colloquio refert Abr. Scultetus, (*t*) Lambertus Helvetiorum argumentis convictus, in articulo de S. Cœna Lutheri partes, quibus antea addictus erat, deseruit. Ex ore enim Joachimi a Berge, Equitis Silesii se accepisse tradit, ipsum Philippum Landgravium aliquando ad eum dixisse: *Existimare quidem multos, colloquium istud sine fructu abiisse, sed vehementer eos falli. Nam & se & theologum suum Franciscum Lambertum veram de Eucharistia sententiam in eo agnovisse: & se vix adduci potuisse Augustæ, ut subscriberet Confessioni Augustanæ, cum protestatione: non satisfieri sibi in articulo decimo.* Ad manus habeo Adami Christiani libellum Germanico sermone in octavi ordinis forma typis exscriptum de Cœna Domini, cujus dedicatio & præfatio A. 1557. B. (fortassis Basileæ) data est: huic annexa est Francisci Lamberti eo de argumento epistola hoc titulo: *Ein gar schöner Sendbrieff D. Francisci Lamberti von Avinion säligen, geschrieben, nach gehaltnem Gespräch zu Marpurg im MDXXIX. Jar. Darinn Er erzelt, womit Er überwunden, dass Er von seiner gefassten Meinung, der leyblichen Gegen-*

(*t*) l. c. f. 147.

genwürtigkeit und Niessung dess Leybs Christi im Nachtmal, abgestanden sey. Gar lieblich und nuzlich denen zu lesen, die diesen Handel one Lesterung grundlich zu versteen begirig sind. Joan. VI. Mein Fleisch ist warlich ein Speiss: und mein Blut ist warlich ein Tranck. In præfatione narratur, eum Marpurgensi colloquio motum, Helvetiorum sententiæ in articulo de S. Synaxi accessisse, hancque epistolam prælo subjicere voluisse, nisi morte præventus fuisset: ante vero obitum hanc confessionem suam nonnullis Argentinensis Ecclesiæ ministris commendasse, ut eorum cura typis excuderetur, quo omnes in articulo de S. Cœna priorem se sententiam abjecisse sciant. *Dann ich will, dass die ganz Welt wisse, dass ich, so vil das Nachtmal dess Herren betrifft, einer andern Meinung worden seye.* Ex ipsa epistola, cum rarius obvia sit, quædam decerpere lubet. Pag. 74. his utitur verbis: *Ich will disen meinen Glauben vor der gantzen Welt bezeugt haben, dass ich namlich so gar gewüss seye, dass die menschlich substantz Christi an iren selbs, weder im Nachtmal, noch anderswo auff Erden seye, sonder allein im Himmel: und dass die Wort dess Nachtmals figürlicher weiss geredt seygind, also, dass ich*

das

das Widerspil nit leeren köndte oder möchte, ich wölte dann handlen wider das gwüss Wort GOttes, und auch wider mein versicherte Gwüssne. Ich merck und verston auch auss gleicher Gwüssenheit, Versicherung und augenscheynlicher Klarheit, dass ich, als ich einer anderen Meinung was, in disem Stuck betrogen und verfürt bin. Es sind auch andere Stuck on yetz gemelte, in denen ich nie underschriben hab, noch weiter underschreiben wird, darum dass ich aus Göttlichem Wort genzlich beredt bin, sy stimmind gantz nit mit der Warheit: auss denen dise dreü Stuck sind, die hinnach gesagt werdend, und deren ich in vorgeenden Worten Meldung gethon hab. Das erste, dass Christus, so vil und er ein Mensch ist, weder yetz seye, noch ye gewesen seye wäsenlich gegenwirtig an einem Ort, und dass er hiemit allenthalben seye wie sein Göttliches Wesen. Das ander, dass in der Geschrifft, der Himmel welcher ob uns ist, under dem Wörtlin Himmel nit verstanden werde, und dass Christus nach seiner Menschheit in denselbigen nie aufgestigen seye. Das dritte, dass Christus so veer er ein Mensch ist, in demselbigen Himmel nit sitze zu der gerechten seines allerhöchsten Vatters, sonder dass dieselbig gerechte Hand, zü deren man sagt

dass

dass er sitze, allenthalben seye. Das vierdte will ich darzu thun, namlich dass man den Ban oder das Ausschliessen in den Kirchen nit aufrichten solle, darumb dass es für ein Tyranney möge gehalten werden. Si, uti in præfamine traditur, autographum hujus epistolæ apud Basileenses adhuc adservaretur, idque cum edito exemplari ex asse conveniens; res hæc, meo quidem judicio, extra omnem dubitationis aleam posita foret. At parum fidei confessioni huic, utpote a suspectis personis publicatæ, tribuendum esse monetur in Relationibus innoxiis (*u*), adque Theologos Darmstadienses provocatur, qui Lambertum ad mortem usque Lutheri doctrinæ adhæsisse satis (*x*) evicerint. Ego, cum Darmstadiensium scripto destituar, atque adeo eorum rationes expendere mihi non liceat, judicium meum suspendo, ac nihil hic definio: interim hæc candide & historice duntaxat retulisse sufficiat.

§. II.

Paulo post Marpurgense colloquium Lambertus A. MDXXX. obiit peste, uti in

(*u*) A. 1709. p. 24.
(*x*) In der Special Widerlegung. p. 266.

in præfatione epistolæ modo citatæ asseritur, vel sudore forsitan Anglico (y), qui his tum in oris grassans, magnas strages edidit; vir pius, eruditus, laborum patientissimus, flagrantissimo pro agnita veritate Zelo præditus, variis fortunæ discriminibus jactatus,

Ore, manu, vita cupiens prodesse cuivis.

D. Christ. Eberh. Weismannus (z), Theologus Tubingensis pietate, modestia ac eruditione Præstantissimus, hoc de ipso fert judicium: *Virum fervidum, ingeniosum, intrepidum, sensuque religionis intimo præditum fuisse, acta & scripta illius testantur.*

§. 12.

Jam scripta Lamberti nostri enarranda mihi sunt, quotquot ego quidem cognita habeo. Sunt autem præter rationes, propter quas Minoritarum conversationem habitumque rejecerit, superius exhibitas, sequentia.

(y) De sudore Anglico peculiarem tum tractatum edidit Euricius Cordus, Poëta & Medicus Marpurgensis.

(z) In Introduct. in Memorabilia Histor. Eccles. N. T. Tom. II. p. 124.

1. *Evangelici in Minoritarum Regulam Commentarii, quibus palam fit, quid tam de illa, quam de aliis Monachorum Regulis & constitutionibus sentiendum sit.* Præmissæ sunt Mart. Lutheri & Annemundi Cocti Equitis Galli epistolæ in commendationem hujus libelli. In ipsius vero Lamberti præfatione, Wittebergæ mense Martio A. 1523. data ad universos Minoritanæ institutionis professores, plurimæ sectæ monasticæ earumque habitus recensentur. Liber in septendecim capita distinctus est. Ultimo de frigidissimis, uti vocat noster, constitutionibus Minoritarum, ac mendosis quibusdam revelationibus agitur, enarranturque septem privilegia, quæ beato Francisco revelata fuisse adfirmant, quorum secundum est, in Franciscano habitu neminem male posse mori; tertium, Franciscum in die festi sui omnes animas suorum fratrum & amicorum ac benefactorum ordinis sui a purgatorio liberare; quintum, nullum in ordine male viventem posse in eo diu perseverare; septimum denique, amicos ordinis, quantumcunque impii sint, tandem misericordiam consecuturos, & vitam

tam conclusuros fine beato. E Lamberti postfatione Commentar. de conjugio perspicio, hunc libellum a quodam in vernaculum sermonem translatum prodiisse, sed magna ex parte truncatum & corruptum, de quo ibidem conqueritur. Cæterum ægerrime tulerunt horum commentariorum editionem Franciscanæ familiæ sodales, e quibus Casp. Schazgerus, Provincialis per superiorem Germaniam in Operibus Ingolstadii A. 1543. in fol. excusis ita in nostrum invehitur: *Allophilus quidam, qui cum refuga spiritu ab status sui boni & salubris arce cecidit, datus in reprobum sensum, pro sui casus suorumque similium coloratione contra statum monasticum argumentationes, verius autem calumnias & falsas imposturas fabricavit, sue obstinationis malleo* &c. In margine vero adjecit: *Hic Allophylus i. e. alienigena fuit quidam Gallus Franciscus Lamperti nomine, Minorita apostata, qui monasticis magnam imposuit calumniam suis in scriptis.*

2. *Commentarius in Evangelium Lucæ*, Spalatino inscriptus. *Witteb.* 1523.

3. *Commentarius de sacro conjugio in positiones LXIX. partitus.* Prima positio prolixam antithesin verbi Dei & inventorum hominum complectitur. Præfixa est longa epistola ad Franciscum Galliarum Regem, qua eum ad tutelam veræ religionis in regno suo suscipiendam graviter exhortatur, ac contra Pontificios mascule disputat. Huic commentario vulgando occasionem præbuit conjugium, a Lamberto Wittebergæ initum. Subjuncti sunt ejusdem psalmi sive cantica septem, quibus DEum ob veritatem sibi patefactam liberationemque tam a sectis quam a cœlibatu Papæ laudat. Prodiit hic liber Norinbergæ apud Joannem Petrejum. A. MDXXV.

4. *In Cantica Canticorum Salomonis, libellum quidem sensibus altissimum, in quo sublimia sacri conjugii mysteria, quæ in Christo & Ecclesia sunt, pertractantur, commentarii Wittembergæ prælecti.* Neque temporis, neque loci impressionis indicium hic comparet, sed eo ipso anno 1525. prodiisse hunc librum inde concludo, quod in dedicatione, itidem ad Franciscum Regem directa, nuper se ipsi testetur misisse librum de

sacro

ſacro & fideli conjugio, præterque epiſtolam, quæ a libri capite eſt, aliam ad eum dediſſe, quibus & ſui exilii & abjectæ ſectarum larvæ atque etiam admiſſi caſti conjugii cauſas apertius reddiderit. In prologo ſe in hujus ſacri libelli interpretatione ab Hebræorum fontibus ipſiſſimam textus ſimplicitatem, quantum fieri potuerit, hauſiſſe ait, cum vulgata translatio multis in locis ab Hebræis codicibus diſſentiat.

5. *De fidelium vocatione in regnum Christi, id eſt, Eccleſiam. De vocatione ad miniſteria ejus, maxime ad Epiſcopatum. Item de vocatione Matthiæ per ſortem, ac ſimilibus.* Absque nota loci & temporis: cum vero cap. 16. ſe ſuperiori anno ad Metenſes vocatum eſſe ſcribat, hinc Argentorati A. MDXXV. hunc libellum edidiſſe auguror, quod typi etiam evincunt. In hoc tractatu præter alia in caſibus vocationum perplexis ſortium uſum commendat, capiteque XXII. p. 19. ſqq. qua ratione ſorte ſit utendum, oſtendit. Hoc caput integrum adjicere viſum eſt, cum, niſi me omnia fallunt, ea, quæ hic narrantur, ab ipſo noſtro Lamberto occaſione vo-

cationis Metensis gesta sint, atque adeo ad ejus historiam pertineant.

„ In rebus seriis, dum est perplexitas, „ sicut in vocatione, in vocibus Eccle-„ siarum aut Senatuum, ac similibus, in „ sortis missione, ut non sit illicita, hæc „ observentur. Primo, videat quisque „ diligentissime, an ipsa perplexitas ali-„ unde valeat dirimi, ut mens certior „ fiat, quid malit Deus. Tum enim im-„ pium esset mittere sortem, ubi alia „ via certitudo haberi potest. Secundo, „ ubi vident, quod non possunt alioqui „ certiores fieri, orent Dominum, ut „ suum beneplacitum sorte, quam insti-„ tuit, palam facere dignetur, & ut con-„ firmet corda eorum ad credendum „ verbo suo, quo Deus ipse sortis tem-„ perator dicitur (Prov. 16.) atque ut „ suscipiant, quicquid sorte acciderit, „ pro certissimo decreto æternæ volun-„ tatis ejus, sicut olim fecit sanctis ex „ Israel. Tertio, proponant accipere, „ quicquid sorte evenerit pro decreto „ Domini, sicut vere est. Quarto, ex „ fiducia purissima in ipsum sortium „ temperatorem Deum sortem mittant, „ nihil dubitantes, quod per eam notam

faciat

faciat Deus voluntatem suam. Quin- „
to, id quod forte sibi monstraverit „
Dominus, sibi necessarium esse non „
dubitent. Scio ego & novi fratrem „
unum, qui aliquando in gravissima „
perplexitate super vocatione sua posi- „
tus erat, & id quidem sic, ut multo „
tempore nulla omnino pax illi esset a fa- „
cie sævissimæ perplexitatis hujus. Is „
tum erat in vocatione una, quam & „
exequebatur. Interim autem solici- „
tabatur a multis, ut alio pergeret. „
Utrinque videbatur necessitas, ita ut „
magna pars fratrum adsererent, dimit- „
tendam priorem vocationem propter „
secundam. Alii autem oppositum de- „
cernebant, & hi plures reliquis erant. „
Verum istorum rationes, quibus ad- „
ferebant, non deserendam priorem vo- „
cationem, nonnulli ad carnem spe- „
ctare dicebant, eo quod in priore vo- „
catione erat pax & securitas a multis „
periculis: in alia vero multa & eadem „
gravissima, etiam mortis pericula, „
erant. Verum absque similitudine „
major fructus a posteriori vocatione „
sperabatur. Inter vero hæc animi dif- „
fidia nulla erat misero requies, & qui- „

 „ dem

„ dem vix dum ſomnum caperet. Pro-
„ inde eorum, quæ præſcripſimus, me-
„ mor oravit Dominum, ut hanc con-
„ tradictionem ſorte dirimeret, & ad id
„ ſervavit ea, quæ noviſſime diximus
„ obſervanda, dum in rebus ſeriis & tam
„ perplexis Domini beneplacitum requi-
„ ritur. Sicque ex fide & poſt multam
„ orationem miſit ſortem, & ſors ceci-
„ dit ſuper vocatione ſecunda. Demum
„ facto intervallo & memor periculo-
„ rum, in quæ ſe conjiciebat, oravit, ut
„ ſi eum ſervaturus erat ab omnibus, &
„ liberaturus ab Antichriſtorum mani-
„ bus, ut non clauderetur omnino os,
„ Deum laudare volentis, confirmaret
„ iterum ſorte eandem vocationem, &
„ ſors ſicut ante cecidit. Poſt aliquot
„ denique horas, memor Gedeonis, qui
„ in vellere in area futuræ belli victoriæ
„ ter ſignum a Domino petiit, oravit,
„ ut idem tertio monſtraretur, quod &
„ factum eſt. Miſit namque ſortem, &
„ ſors ipſa tertio cecidit, ſicut a princi-
„ pio. Tum deſeruit primam vocatio-
„ nem, & adgreſſus eſt iter ad ſecundam.
„ In via autem accidit illi impedimen-
„ tum graviſſimum, ut ſecundum homi-
nem

nem desperatum vere omnino esset, „ quod posset unquam pervenire, quo „ tendebat. Increpabant quoque illum „ multi, quod abivisset, suadebantque „ alii, ut ad priorem vocationem regre- „ deretur. Tum ille adflictus admodum, „ & de hominibus desperans, in solum „ autem Deum fiduciam habens, oravit „ dicens: Domine, in multa fiducia „ bonitatis tuæ, non in incredulitate „ cordis mei peto, ut mihi in tot pres- „ suris & malis nunc posito, & vehemen- „ tissime territo, adhuc semel ostendas, „ quod tertio palam facere dignatus es. „ Tum adhuc sortem misit, & sors ipsa „ sicut ab initio cecidit. Mox ille iter „ adgressus, tam aperte agnovit & pro- „ bavit, ipsam vocationem esse a Deó, „ ut nemo unquam satis rem explicarit. „ Bonus est Deus sperantibus in eum, „ animæ quærenti illum. (*a*) „

6. *Farrago omnium fere rerum theologicarum*, anno & loco editionis haud annotato. Facile tamen ex ipso libello perspicere potes, prodiisse A. 1525. cum in eo disertis verbis Joannem Castella-

 num

(*a*) Hæc confer cum his, quæ diximus supra §. 8.

num eo ipſo anno duodecima ejusdem menſis Januarii, quo hæc paradoxa ſcripſerit, martyrium ſubiiſſe teſtatur Author. In dedicatione ad Epiſcopum Lauſannenſem contra centum paradoxa Conradi Tregarii Auguſtiniani graviter diſputat, librumque etiam ipſum ei opponit. In calce autem ejus epiſtolæ dedicatoriæ hæc verba uſurpat: *Paratum me offero de omnibus reſponſurum, ubicunque aut in Germania, aut in Gallia, modo me audire velint, & me non auditum extinguere non annitantur. Volo autem vulgariter rem tractare, ſi apud Gallias agitur. Et nolo judices alios quam puriſſimum verbum Dei, & omnes qui ſecundum illud ſincere judicaverint, quod non aliter liceat. Si me vicerint Dei ſermonibus, & probaverint, me aliena a veritate ſentire in his, quæ per ipſum verbum adſeverabo, fiat de me, quemadmodum viſum illis fuerit. Si autem illi victi fuerint, nolo, ut vel in capillo damnum perferant, ſed tantum detur gloria veritati.* Paradoxa 385. in hocce libro propoſita per tredecim capita diſtincta ſunt.

7. *Commentarii in Oſeam. Argentorati apud Jo. Hervagium. A. MDXXV.*

Poſt

Post commentarium in IV. Caput inserta est prolixa *digressio* authoris, *ad ultimi ejus capitis versus intelligentiam necessaria, de arbitrio hominis in solo Christo vere libero, in se autem multis nominibus maxime servo.* Præmissa est dedicatio ad Fridericum Saxoniæ Electorem. In postfatione Autor se duodecim Prophetas minores Wittembergæ enarrasse ait, & in Ezechielem quoque commentarios editurum spondet, quod an ab ipso factum sit, ignoro.

8. *Commentarii in Johelem*: non indicato anno & loco impressionis: verum ibidem excusos esse eos, typorum similitudo evincit: & eodem anno prodiisse, inde apparet, quod in dedicatione ad Sigismundum Comitem ab Hohenloe, Ecclesiæ Argentinensis Decanum, post Oseam se Johelem edere profiteatur.

9. *Commentarii in Amos, Abdiam & Jonam, & Allegoriæ in Jonam. Argent. apud J. Hervagium. MDXXV.* In dedicatione ad Antonium Lotharingiæ & Barri Ducem præstantissima monita, piis principibus observanda, magna animi fiducia inculcat. Delibabimus

mus inde verba initialia, ad historiam authoris pertinentia: *Ante mensem ferme septimum, & sancto Dei episcopo, nunc glorioso veritatis martyre, Joanne Castellano, adhuc vincto Jesu Christi, scripsi ad Celsitudinem Tuam, ut liberi dimitterentur tam idem Sanctus Dei, quam tabellarius ille, quem a me literas & libros ad Christianissimum Galliæ Regem, ac Galliæ amicos deferentem nonnulli in Tuo principatu captivum fecerunt. Simul quoque reddidi fidei meæ rationem, paratum me offerens in Domino ad respondendum universis pietatis hostibus de ea, ubicunque modo tuto & libere cuivis loqui donaretur. Nimirum absque fructu esset, si me luporum faucibus exponerem, mox ab eis sine veritatis discussione vorandum.*

10. *Commentarii in Micheam, Naum & Abacuc.* ibid. eod. Dedicatio Argentorati die 15. mensis Augusti A. 1525. ad Senatum Bisuntinensem data est. Pauca ex ea decerpere juvat: *Ante annum ferme & dimidium vocatus & missus fui a Domino e Saxonibus ad Metenses, ut eis annunciarem Evangelium regni sui. Ad quos ingenti cum viarum discrimine veni: sed tam in me insanivit cohors*

Papæ

Papa — ut post octiduum vel coactus venerim ad Christianiss. Argentoratum, nisi voluissem ab eis mox sine fructu extingui. — — — Quid ergo tum facere debui, nisi cessare ab eis, quoniam verbum Domini pepulerunt, & ad alias urbes scribere, quæ sunt Domini? E quibus primum occurrit menti Bisuntium, urbs magna, potens, inclyta, Comitatus Burgundiæ prima, Christianissimo Argentorato reliquis pluribus vicinior. Urgebat igitur vehementer spiritus, ut quando Metenses se indignos faciunt verbo Domini, ad vos convertar, æternaque salutis eloquia ad vos mittam. Provocavit quoque me nonnihil, quod ego ipse, tametsi Avenione natus, nostra veruntamen familia ex Burgundia, nempe ex Orgeleto, originem traxit. Siquidem ex Lambertis in eo loco plurimi adhuc sunt. Afficior omnium saluti, sed præsertim meorum Burgundorum, interim veruntamen cupiens anathema fieri pro meis Avenionensibus — & pro infelicissimis Metensibus, qui sanctum Dei verbum ad eos missum tam fœde pepulerunt. Meminit in eadem dedicatione cujusdam Joannis, cognomento Clerici, Metis ob religionem eo ipso anno d. 22. Julii crudeli

morte

morte affecti, deque ejus martyrio peculiari libello se acturum pollicetur.

11. *Commentarii in Sophoniam, Aggeum, Zachariam & Malachiam* ibid. A. MDXXVI. In dedicatione Senatum Argentinensem ad constantiam in agnita veritate exhortatur, inque urbe ea verbum Dei scripto & viva voce interpretatum esse, post Ezechielem & alia nonnulla, Apocalypsin & Danielem tunc enarrantem, ait.

12. *Commentarii de Prophetia, eruditione & linguis, deque litera & spiritu, nec non libellus de differentia stimuli carnis, Satanæ nuncii, & ustionis.* ibid. MDXXVI. Dicati sunt hi commentarii Nicolao Kniepsz, Consuli Argentinensi. De iis ita Vener. Weismannus (*b*): *Inter cætera Lamberti opuscula in pretio haberi solet Commentarius ejus de Prophetia, litera & Spiritu, in quo contra literarios & literariorum, ut vocat, hæresin, h. e. contra eos, qui ita versantur in SS. literis, ut Spiritum S. negligant, mirifica cum energia detonat. Unicum locum*

(*b*) l. c. p. 125.

cum hic adducimus: Si ipse Spiritus cessavit, Deus Ecclesiam reliquit, & non servat verbum suum. Auferre nimirum Spiritum, deserere est. Absit, ut cesset a nobis Dei Spiritus! Cesset potius a nobis, Domine, Spiritus noster, citiusque moriamur, quam ut tuum a nobis auferamus Spiritum. Quid enim sine tuo Spiritu, nisi mendacium, hæreses, figmenta, errores, malitia, perditio, cœcitas, peccatum, induratio, mors? &c. Michael Neander (*c*) cum Lambertum de modo legendi Prophetas tractatum scripsisse dicit, sed nondum editum; non alium nisi hunc indigitari autumo.

13. *De caussis excæcationis multorum seculorum ac veritate denuo & novissime Dei misericordia revelata, deque imagine Dei & aliis similibus.* Hujus tractatus, quem non vidi, mentio fit in Eliæ Ehingeri Catalogo Bibliothecæ Augustanæ f. 80. In Historia Hassorum literaria p. 30. Noribergæ A. 1525. excussus esse dicitur cum commentario de con-

(*c*) In Catalogo librorum quorundam præcipuorum in variis linguis, Erotematibus linguæ Ebrææ annexo. p. 442.

conjugio. Fortaſſis itaque innuitur prolixa epiſtola dedicatoria ad Franciſcum I. huic libro præmiſſa, quæ pluribus de cauſis excoecationis & veritate denuo revelata agit; vel etiam dedicatio Commentarii in Canticum Canticorum, easdem res tractans, cum in Catalogo Ehingeriano hujus commentarii mox poſt memoratum libellorum mentio inſtituatur.

14. *Theſes theologicæ* (cc) *in Synodo Homburgenſi diſputatæ. Erfurti* 1527. in 4. Nota: omnes reliquos libros hactenus enarratos in forma octipertita impreſſos eſſe.

15. *Exegeſeos in Apocalypſin libri VII. in Academia Marpurgenſi prælecti.* A. MDXXVIII. in 8. (*d*)

16. In Dedicatione farraginis omnium fere rerum theologicorum ſcribit Lambertus p. 4. *Ego paucis nunc de his agam cum Celſitudine Tua, quod proprio libello ad*

(*cc*) Has theſes, quas paradoxa vocavit autor, Annalibus ſuis Evangelicis inſeruit Abr. Scultetus f. 68. ſqq.

(*d*) Vid. Hiſtorie der Gelehrtheit der Heſſen. Trim. I. p. 30.

ad Illustrissimum Principem Joannem, Cardinalem (ut vocant) Lotharingiæ plenissime tractaverim, quid Papa cum suis Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Canonicis, & cunctis beneficiatis facient, ne dispereant, sed salvi fiant.

Eorum operum, quæ sub Joann. Serrani nomine scripsit, vel Latine vel Gallice, (vid. supra in §. 6. ipsas Lamberti epistolas) nihil unquam conspexi.

IV.

Excerpta quædam e Diario Georgii Spalatini MSto.

INter memorabilia Bibliothecæ Perillustris Domini Raymundi de Krafft Tom. III. p. 104. retulimus quoque *Georgii Spalatini*, Theologi olim & Historici Saxonici celebratissimi, cujus historiam vitæ diligenter concinnatam Præside Casp. Sagittario Jenæ A. 1693. publicæ disquisitioni exposuit Christianus Schlegelius, *manuale vel diarium, seu chronicon* potius, *rerum ab A. 1515. ad A. 1526. notabiliorum*, ipsa beati Viri manu exaratum, cujus & in superiori commentatione de Vita Lamberti

aliquoties mentionem habuimus. Quum vero, Spalatinum graviſſimis ſui temporis negotiis interſuiſſe, ampliſſimis functum officiis, commercioque epiſtolico cum celeberrimis ſui ævi viris uſum, cognitum ſit, facile quivis, haud pauca memoratu digniſſima ab eo annotata fuiſſe, ſuſpicabitur. Neque vero fallitur, quicunque ita judicat. Hinc operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi quædam inde electa heic adjicerem, ut ex hisce laciniis de integro texto judicium ferre queas.

A. M D XIX.

Die Innocentum ad Principem noſtrum venit Carolus de Miltitz Sedis Apoſtolicæ Legatus, cauſa Doctoris Martini Lutheri Auguſtiniani, ſuffarcinatus ad LXX. Brevibus Apoſtolicis, ut hominem opprimeret τῳ ἀναθεματι, ſive ut ſuſpicabantur οἱ πολλοι, την ῥωμην ἠγη. Attulit idem την ἐπαγγελιαν allati τα ῥοδα χρυσεα.

Ea hebdomade quæ fuit intra Septuageſimam & Sexageſ. S. P. Q. Ratisponenſ. unà cum ſuo præfecto Thoma Fuchs Franco Judæis illinc ejectis etiam ſcholā eorum, quam neſcio quare Synagogam vocant, demoliti

liti, præmonuisse reliquias Hebrææ Gentis videntur, ut minus in posterum spiritus tollant in Christianos.

Una hebdomade intra secundum & tertium diem dominicum Quadragesimalis jejunii Princeps meus Clementiss. Fridericus Dux Saxoniæ, S. Rom. Imp. Archi-Marschalcus, Princeps Elector & Vicarius literas habuit ut ab aliis Principibus Christianis, ita a Pont. Max. Leone X. Carolo Hispaniarum, & Francisco Galliarum Regibus, & Alberto Cardinale S. Chrysogoni Archiep. Moguntino & Magdeburg. & ejus fratre Joachimo Brandenburg. Marchione, Sacri Rom. Imp. Electoribus. Tertia Junii die dominica postridie sive proxima post festum Visitationis Mariæ Virginis Dei matris obiit noster Degenhardus Pfeffinger, piorum, eruditorum, pauperum, & sacrorum patronus & Mæcenas optimus, in ædibus Nicolai Stolbergii Francofordiæ ad Mœnum, hospitio Illustrissimi Principis nostri D. Friderici Saxonis Electoris, sepultus apud Minores in choro sub arcula sacramentali, qua levorsum sacrarium aditur; novissimus tam veteris, tam honoratæ, tam nobilis familiæ, una superstite sorore germana D. Ursula Chiemseensium Sanctimo-

 nia-

nialium matre sui cœnobii Abbatissa. Utinam igitur & Deus & superi omnes tam foverent benigniter animam hominis in æterna felicitate, quam vivens profuit fideliter multis.

A. MDXX.

Feria III. post natalem Scholasticæ Virginis Albertus Cardinalis & Archiepiscopus Mogunt. & Magdeb. Brandenb. Marchio per edictum Gregorii Werbeni, Decani & Doctoris Magdeburgii Officialis, curavit interdicendum mendicatione monachis mendicantibus, & sacrorum ministratione per totam διοικησιν Magdeburgens. interminatus ut multam, ita indignationem suam contra euntibus: causatus, quod meliorem anni partem foris exigerent, non sine discrimine salutis suæ, & jactura multiplici των παροχων: Erant tamen, qui hominem aliud quidpiam moliri crederent in odium τε Μαρτινε Λυθερε Augustiniani, a quo alienum fecerant animum tanti Principis quidam, alioqui non indigni, qui impense tueretur Evangelii adsertorem χρισιανωτατον

Hoc anno reperti sunt, si superis placet, in æmulis Doctoris Martini, qui non dubitarent rumores spargere, natum educatum-

tumque Pragæ in Boëmia & a puero institutum dogmate Wiclefino, ad movendam homini invidiam. O mores! o homines! o tempora indigna literis Evangelicis & veritate pura puta verbi divini!

Jo. Schleinitzius Episcopus Misnensis non ausus ex confesso insimulare Doctorem Martinum Lutherum hæreseos, edidit schedulam, in qua testaretur, scandalosa scripsisse de Eucharistia, præsertim de communione sub utraque specie, eo vectus amentiæ, ut damnatum errorem diceret, & contrariam consuetudinem æternæ damnationis inductivam. Quam Doctor Martinus utraque lingua editis schedis ita excepit, ut credas pœnitudinem magno mercatos Stolpenses schedularios.

A. MDXXI.

Conati sunt Romanistæ cum suis Marinus Caracciola & Hieron. Aleander, subscriptore Carolo, damnare verbum Domini & ejus evangelicissimum præconem Doctorem Martinum Lutherum. Qui cum Wormatiam venisset, tantum jussus revocare, quæ scripsisset & docuisset: tandem promittens, se passurum judicium & sententiam ut Cæsaris & Imperii, ita Concilii,

 sed

ſed ita, ut ſecundum ſcripturam judicaret, cum ne id quidem impetrare poſſet, fruſtra illuc profectus retro redit. Revertens in itinere capitur, mœrentibus bonis & ſtudioſis verbi divini omnibus.

Priusquam illic (ex Vangionibus ſcil.) Carolus Imp. abiret, in ſua rediturus, mandavit exuri libros evangeliciſſimi Evangeliſtæ hujus perditiſſimi & ultimi ſeculi Heliæ Doctoris Martini Lutheri. O res! o tempora! o homines! Pont. Rom. Leo X. eatenus Galliarum Regi Franciſco amicus in gratiam Caroli Cæſ. anathema comminatur. O ſtultum Regem, ſi tam leves ſtipulas timeat!

Cæſar Carolus V. Vormatiæ die VIII. Maji edidit edictum & anathema ſuum contra Lutherum & ſuos, quamvis pollicitus XXI. dies liberos redeundi in ſuam ſecuritatem. Cui promiſſioni ego Spalatinus interſui.

Princeps & Elector Saxon. Dux Fridericus ex Vangionibus per Francos, & Duringos & Miſnios ad Saxones reverſus, Wittebergam profectus navi ex Torga, ad X. dies ibi ſubſiſtens multa Academiæ & Reip. Chriſtianæ commoda curavit, inſtauravit, excitavit.

Die

Die Assumptionis Gymnopodes in Wimariensi Synodo coacti scripserunt ineptissimas literas ad Christianissimum Principem nostrum D. Fridericum Electorem Ducem Saxoniæ contra evangelicissimum Doctorem Martinum Lutherum, ausi hæreseos eum diffamare, & obsecrare opem adversariis occursuris.

Ea hebdomade, quæ insequitur natalem S. Dionysii, in mense Octobri, secesserunt Augustiniani Wittebergenses a suo Priore Johanne Helto Nurmbergens. quod nollet ipsis permittere, sic rem divinam facere, ut simul etiam aliis administrarent εὐχαριστίαν. Nam ipsi præscriptum Christi & Apostolorum exemplum causati, negaverunt constanter, sese posthac privatim celebraturos, nisi haberent, quos communicarent, privatas vocantes missas, quæ sic celebrantur, ut sacerdos celebrans nullis communicet, id vocabuli credo ex libris Evangelici Patris Doctoris Martini Lutheri mutuati. Intercessit hoc agentibus Universitas & Conlegium illic omnium Sanctorum, sed diligentius quam felicius. Nam quum a Priore unus tantum ex XXX. & amplius fratribus universis staret, reliqui omnes senserunt, potius Christi institutum &

Apoſtolorum, quam traditiones humanas eſſe ſervandas. Subſcripſerunt monachis etiam non ſolum plerique ſcholaſticorum, quorum ſupra millia ibi tum fuerunt, verum etiam primores Academiæ & Eccleſiæ Præpoſitus Jod. Jonas, Andr. Caroloſtadius Archidiaconus Theol. Doctores, Phil. Melanchthon & Nicol. Amsdorfius.

A. MDXXII.

Poſtquam Spalatinus varia de Hadriano VI. in Pontificem electo annotaſſet, hæc ſubjicit:

Leo X. Pont. Max. bellando conſumpſit quatuordecies centena millia aureorum, relicta ingenti vi æris alieni. Die XIII. Febr. pridie natalis Valentini Fer. V. poſt Apolloniæ apud Eyslebenſ. in ædibus Joannis Durrii Cancellarii Comitum Mansfeldenſ. præſente Doctore Venceslao Linco & nonnullis aliis prandio ſatis eleganti, ſatis opiparo, pranſus ſum cum parente utroque evangeliciſſimi Evangeliſtæ noſtri, imo Heliæ noſtri Doctoris Martini Lutheri. Ihesu bone, quam Doctor Martinus tam geſtu corporis, quam lineamentis oris matrem refert, fœminam haud dubie rari exempli.

Quod

Quod fortassis vel posteritati nedum huic seculo admirabile videbitur, Doctor Martinus Lutherus fer. V. postridie cinerum, quæ fuit dies sextus hujus mensis Martii, Wittebergam reversus, recepta ut corona, ita veste monastica, die Dominica Invocavit in Parochia tam ante, quam post meridiem concionatus est.

Baltasar Sturmus prius ordinis Augustiniani, deinde excusso monachi habitu, hic Lochæ Francisco Gunthero plebano serviens, sabbato ante Dominicam Oculi duxit uxorem viduam nescio quam e Francia orientali natam.

Die Conversionis Pauli Senatus & aliquot ex Universitate tum Academiæ tum templi omnium Sanctorum Wittebergæ Minoritanis illic renunciaverunt, se nullos in posterum passuros in civitate mendicos. Ergo curarent, ut intra id temporis & mediæ Quadragesimæ relicta mendicatione juniores, & qui per ætatem possent, opificia discerent, viribus vero defecti ægrotis & xenodochiis adessent.

Hac æstate Jo. Oecolampadius in Arce Ebernburgia Dn. Francisci Siccingeri cepit Epistolam & Evangelium sub Missa pro communi auditorum tum salute tum utili-

tate Germanice legere & recitare. Quod factum reprehendentibus, ut fit, æmulis, excusavit eleganti & pia epistola ad Casparem Hedionem Ecclesiastem Maguntinum in hoc scripta.

Ex Eremo divæ Virginis apud Helvetios die secunda Julii ad Dn. Hugonem de Hohenlandenberg, Episcopum Constantiensem scripserunt Baltasar Trachselus, Georgius Calybeus, Vernerus Steyner, Leo Jud, Erasmus Fabricii, Simon Stumpfus, Jodocus Kilchmeyer, Huldrichus Pistoris, Caspar Megander, Joannes Faber, Huldrichus Zwinglius, petentes ut ipsis permittat uxores ducere. Usi his locis scripturæ.

1. *Matth.* 19.

2. 1. *Cor. VII. propter scortationes unusquisque ducat uxorem. Neminem excepit, neque sacerdotem neque monachum.*

3. 1. *Cor. VII. Quod si se non continent, nubant. Melius enim est nubere, quam uri.*

4. 1. *Cor. VII. De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Paulus Doctor gentium, instrumentum Dei electum.*

5. 1. Tim. IV. Oportet episcopum unius uxoris maritum esse.

6. Tit. I. Si quis sit inculpatus, unius uxoris maritus.

7. 1. Tim. IV. Spiritus aperte dictat, postremis temporibus esse futuros, qui vetent nuptias.

8. Hebr. IX. Preciosa cumprimis res est connubium & thorus incontamitus. Scortatores vero & adulteros damnabit Deus.

Per igitur communem Christum, per libertatem ejus sanguine partam, per pronum affectum, quem nobis debes, per miseriam animularum nostrarum, per vulnera conscientiarum, per quicquid est divinum, quicquid est humanum, te oramus, ut supplices clementer respicias, ut, quod temere ædificatum est, cum consilio demoliri sinas: ne quando moles ista non ex patris cœlestis sententia constructa cum fragore longe perniciosiore corruat.

Nisi consilio rebus multis subveniatur, actum erit aliquando de universo sacerdotum ordine.

Qui rerum scriptores id facti unquam celabunt? Qui non docti præconiis vehent? qui non olores venienti mundo canent? qui cedri a vetustate & interitu non defendent?

Hoc

Hoc unum caveris, ne oblatam occasionem e manibus male consertis elabi finas. Auguramur enim res novam faciem induituras, nobis etiam ingratissimam. Quod ubi factum erit, nequicquam adipiscendæ gloriæ occasionem neglexisse quereris.

Favet nostræ petitioni opifex iste, qui marem & fœminam fecit primos homines. Favet usus veteris Testamenti, novo multo rigidioris, quo summi etiam sacerdotes leno matrimonii jugo colla submittebant. Favet Christus, dum castitatem liberam facit quin jubet, dum non vult pusillos scandalizari. Favet ubique magno plausu, imo spiritum Dei habens præcipit Paulus. Favet universus piorum & cordatorum numerus.

Jam rumor est, plerosque conjuges dudum designasse, non modo apud Helvetios nostros, verum etiam passim apud omnes, quos sopire profecto supra vires fuerit, non modo tuas, sed longe potentioris, pace Tua dixerimus.

Proinde parvitatem nostram ne nauci feceris. Sæpe etenim est olitor valde opportuna locutus. Et quamvis pusilli sumus, Christi tamen sumus. Quos tantum abest, ut contemnas ut receptis, evenire Tibi salutem firmiter credas. Deus

Deus Optimus Maximus Excellentiam Tuam diu incolumem & recte de se sentientem conservet, quam summa humilitate cupimus exorari, ut omnia aequi bonique consulat. Ex Eremo D. Virginis apud Helvetios M. D. XXII. secunda Julii.

Hac æstate curavit Princeps noster Fridericus Dux Saxon. Elector nomismata argentea hic Nurmbergæ excudenda, effigiem suam pulcherrime referentia, partim quæ singula aureum penderent, partim quorum septem aurei valorem reddant. Utraque cum hac inscriptione in altero latere: *Verbum Domini manet in æternum.* Quæ mirum quanta in admiratione fuerint apud plerosque fere omnes, potissimum vero pios & verbi studiosos.

Magister Caspar Haslachius Concionator Episcopi Augustens. in Dillingen eruditionem Lutherianam abjuravit, execrans ut hæresin, & pollicitus se mansurum in fide Christiana & Apostolica. Gravis magni alioquin viri casus, & quem nonnulli sincerum sperabant quidvis potius passurum, quam verbum Domini negaturum. Sed quæso homines quid sunt nisi homines, filii Adam, caro & sanguis.

Prin-

Princeps noster Dux Fridericus Saxon. Elector suis hybernam vestem dedit, cum his literis in dextera manica in longitudinem intertextis V. D. M. I. Æ. i. e. *Verbum Domini manet in æternum.*

Doctor Martinus Lutherus stipatus Phil. Melanchthone, Jacob præposito olim priore Antwerpiens. Magistro Jo. Eislebio, M. Wolfgango Ducis Johannis Saxon. a sacris & concionibus ex Wittemberga Erphordiam proficiscitur evangelizatum.

Albertus Brandenburgius Cardin. Archiep. Magunt. & Magdeb. Elector, Episcopus Halberstadiens. sabbato post Galli Archiepiscopo Trevirensi Richardo, & Ludovico Comiti Palatino Rheni Electoribus, & Philippo Landgravio Hassiæ, una cum suo Capitulo Maguntino promisit, se in sesqui anno soluturum XXV. millia aureûm, quod permisisse videretur Francisco Siccingero & suis liberum itum contra Archiep. Trevirens. scriptis ad hoc literis, in quibus hæc erat clausula:

Keinerley Begnadung Freyheit Absolution, Relaxation, Supplication, oder ander Behelff noch newe Fundt, die itzo von Romischen Bapsten, Keysern, Konigen, oder Concilien erlangen, erwerben, oder kunftiglich erfun-

erfunden, erlangt und genennt werden mochten, wie die Namen haben können.

Mira & dictu & auditu sunt, si recte, si prudenter dependas, Lector. Actum Francofordiæ Moeni. Sabbato post Galli MDXXII.

Dux Georgius Saxon. Fer. VI. post omnium Divorum emisit in regiones suas edictum, quo inhibuit Novum Testamentum, a Doctore Martino Luthero in linguam Germanicam recens & pie & simpliciter versum, vendi, legi, comparari, interminatus graves pœnas contra facientibus.

MDXXIII.

His diebus reperta est apud Fribergum Misniæ uxor, filia Licentiati Gertwitzii, illic Canonici, ei Romæ nata ex concubina, infesta marito, propter amores, quibus efflictim deperiit adulterum, ut conaretur ægrotantem opprimere. Id autem primo parum feliciter veneno conata, statim impia ferrum veneno subjecit, transfodiens miserum LX. vulneribus. Et ut facinus tam audax tegeret, ausa est cadaveri cultrum in manus dare, ut sibi ipsi mortem consciviSSe videretur. Tandem primo securi percussa, rotæ supplicio adficitur.

Ma-

Magnam & incomparabilem felicitatem assecutus est, cui proba contigit uxor.

Magister Livoniæ Doctorem Martinum Lutherum rogavit, ut populo suo, Evangelii cupidissimo, libellum de vita Christiana scriberet. Hæc enim verba sunt Lutheri ad me G. Spalatinum de hac re scribentis: *Magister quoque Livoniæ ex me petiit, per nuncium & Cancellarium eruditum virum, ut libellum ad suos populos scriberem de re Christiana: aluntque ibi verbi prædicatorem, & gaudent se Evangelion habere. Sic a Judæis transiit ad gentes Christus, & de lapidibus fiunt filii Abrahæ, quem nepotes persequuntur etiam.*

Conventus Principum Imperialis Nurmbergæ fuit, adversariis in hoc agentibus multa adversus Evangelium & Evangelistarum conatus. Nam Adriani VI. Rom. Pont. Orator maxime ursit, quicquid ad opprimendum Evangelium facturum videretur, ausus non solum alia multa, sed etiam quatuor Nurmbergæ Ecclesiastas præcipuos, Dominicum Steupnerum Sebaldi, Andream Osiandrum Laurentii, Thomam Venatorium in Hospitali, & Carolum Augustini, primo in crimen & odium vocare, quod Lutherani essent, deinde etiam postulare

lare ut caperentur, & capti Ro. Pont. mitterentur, Osiandrum privatim accusans, 1. *quod prædicasset beatam Virginem Mariam post Christi partum non mansisse virginem.* 2. *natum inimicum (b) insidiari Christianæ Reip.* 3. *autorem esse Præposito suo porrigendæ populo Eucharistiæ sub utraque, ut vocant, specie.* Ita accusatum, de primo capite D. Johannes a Schwarzenberg Baro, de altero Marchio Casimirus Brandenb. expurgavit. Multis igitur hæc convitia fuerant invisa, quod nihil aliud putarent fuisse quam conventiculum adversus Dominum & Christum ejus. Non deerant, qui per contumeliam conventum Sacerdotum vocarent, quod quum multi eorum Episcopi, & plures prophanis Principibus illic essent, omnia pene ex animi sententia obtinerent. Ferdinandum enim Cæsaris Caroli V. fratrem germanum plerique ad omnes suos conatus præsertim contra Doctorem Martinum Lutherum & suos & eorum Doctrinam habuerunt fautorem: potissimum Matthæus Langius Saltzburgens. Archiep. Cardinalis, qui & Gurcens. hoc nomine multis invisus;

(b) Dubito, an vocem hanc per compendium a Spalatino scriptam recte legerim. Parum abest, quin legendum videatur: *natum Judæum.*

ſic & Epiſcopus Auguſtenſ. Jurisprudentiæ quam Evangelii longe peritior.

Dominica Invocavit Senatus Nurmbergenſ. propoſuit Edictum, quo vetuit quicquam novari temere in rebus Chriſtianis, minatus pœnas euntibus contra, præſertim graſſantibus in templa & ſacerdotes & monachos, pollicens ſeſe ab Evangelio pie ſtaturum.

Feria II. poſt Judica Wittenbergæ in templo parochiali, ut mihi inde Andreas Pretinus meus ſcripſit, autore D. Mart. Luthero abrogatis omnibus miſſis privatis, cœptæ ſunt cerimoniæ apoſtolicæ, ab Apoſtolo Paulo 1. Cor. XIV. deſcriptæ, ut videlicet primo aliquid legatur ex Bibliis, ſecundo id enarretur ab aliquo, poſtremo ut oretur publice pro ſalute Eccleſiæ. Subornatus eſt ſtatim quispiam olim monachus Jurium Licentiatus, qui ex Novo Teſtam. aliquid mane legeret, donec inveniatur, qui ex Veteri veſperi legat.

In oppido Wittichavienſi, niſi fallor in Boëmia ſito, ut mihi ſcripſit Johannes Aureus, plebs, depulſo ſacerdote papiſtico, quendam e plebe laicum, eruditione, probitate & ætate inſignem, ſibi delegit parochum & Evangeliſtam.

Die

Die Coenæ Domini Nurmbergæ Prior Augustiniens. ut suis fratribus conversis, ita nonnullis illic civium Eucharistiam, ut vocant, specie panis & vini dedit, dicens: *Sanguis Domini nostri Jhesu Christi proficiat tibi in vitam æternam!*

In festo Resurrectionis Dominicæ etiam Nurmbergæ Doctor Mor, missus illuc ad judicium Cameræ Imperialis ab Archiep. Coloniensi, Doctoris Gregorii Lamparters, paulo ante ibidem defuncti, filiam duxit, eodem die vocatis ad epulum nonnullis amicorum, nuptias habens. Rem miram, si paucis abhinc annis contigisset!

Die S. Tyburtii & Valeriani martyris, quæ est XIIII. Aprilis, tum Fer. III. post Quasimodog. obiit mater mea; cujus anima sub Dei omnipotentis gratia & misericordia benignissima perpetuo conquiescat cum omnibus in Christo defunctis. Amen!

Legi exemplum literarum Philippi Landgravii Hessorum, quibus scripsit Duci Georgio Saxoniæ Fer. V. post Cantate, Franciscum Siccingerum mortuum & sepultum esse apud Landisstallum sive Naustulum arcem, paulo ante eodem die in deditionem acceptam, quum eum Archiep. Trevirens. Comes Palatinus Rheni Electores,

& Landgravius Hassiæ convenissent. O res humanas, quam incertas, quam instabiles, quantumlibet magnas, quamlibet splendidas, quantumcunque præsidiis fortunæ munitas! Qui totum pene Rom. Imperium terruerat, ictu lapidis percussus, tam repente concidit. Quum tres Principes Fer. II. post Jubilate arcem ejus Naustulium obsidione cinxissent: uno, quod mirari possis die tum arce egregia, tum vita exutus!

Episcopus & Princeps Lausanens. qui diu in Helvetiis tyrannidem exercuerat, in oppidum Bernæ Helvetiorum vicinum venit, illic Senatui Bernensi, qui se venturum nunciaret, misit, ut more solito venientem exciperent. Mox coacto Senatu rursum transmisso tabellario sic rescripserunt: *Vide, ne ad nos velut Princeps venias. Placet, ut venias ut Episcopus, ut relicta purpura nobis verbum Evangelizes: nolumus autem, ut tyrannides in tuos coëpiscopos & sympresbyteros exerceas. Alioqui enim nonnisi gravi periculo tuo accedes.* Quorum animis cognitis statim Lausanam rediit.

Præsul Olomicens. Ludovicum Regem Ungar. & Boëm. adolescentem, antea Luthero non iniquum eo facinoris pestilenti

suo

ſuo conſilio induxit, ut ejus juſſu in Lutheri libros publico incendio in Olomucenſi oppido ſævitum ſit, & Paulus Speratus, qui in primario Moravorum oppido Trigla bonam partem ſuis concionibus ad veræ pietatis ſtudium excitaverat, in carcerem truſus, quod ejusdem cum Luthero hæreſeos haberetur: quod Sigismundum Gelenium Boëmici ſanguinis hominem peſſime habuit, qui Philippo Melanchthoni ſcribens hoc in calce addidit: *Christus Opt. Max. te diu nobis incolumem ſervet* συν ἐλευθερῳ τῳ της θεοσεβειας ἀναζωπυρητη!

Chriſtiernus Rex Daniæ &c. a Principe noſtro Electore Saxon. digreſſus in oppidum Schweiniz unum tantum a Locha milliare, illic Doct. Mart. Lutherum, una cum Phil. Melanchthone ad ſe accerſitum, concionantem ita cupide audivit, ut deinde Johanni Feyel Principis noſtri a ſecretis dixerit, *nunquam ſeſe ſic Evangelion audiviſſe, memorem ejus perpetuo fore, libenter paſſurum omnia, quando pro indigno Christus etiam mortem crucis tulerit, non invitum vel pallium quoque relicturum, auferenti tunicam.*

Halberſtadii Provincialem Carmelitarum, ut D. Mart. Lutherus ad me ſcripſit, ob Evangelium nocte larvatis vultibus mi-

ſere eeciderunt quidam a ſacerdotibus, ut dicitur, ſubornati, tandem exectis teſticulis domum ſpoliaverunt, quem curat modo Senatus. Sic irritant vulgus miſeri in caput ſuum.

Chriſtiernus, Rex Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ, ſabbato Gereonis Wittenbergam venit, ibi ut arcem viſurus, ita auditurus D. M. Lutherum.

Princeps noſter Elector Saxon. Fer. V. Pentecoſtes hic Lochæ ſomniat, ſeſe denuo maritima profectione ingreſſum Syriam, in magno fuiſſe metu, ne tertio quoque proficiſci in Judæam cogeretur.

In feſto Corporis Chriſti Sacramentum Euchariſtiæ in multis locis de more non eſt circumlatum in pompa ſolenni, quod multi Evangeliſtæ Martinum Lutherum ſecuti, affirmarent, contumeliam potius eſſe Sacramenti, quam reverentiam ejusmodi circumportationem.

Clamabant adverſarii, Pſeudo-regem, Franciſcum Siccingerum putantes, extinctum, Pſeudo-papam autem ſive Lutherum ægrotum propediem obiturum. Deus tamen, cujus res agitur, melius conſulit. Sic partim Vulcanus Richardus ex Ulma.

Cives

Cives Saltzburgii in ea hebdomade, quæ præcedit diem Apostolorum Petri & Pauli, arreptis subito armis egerúnt ordinem, hoc est, sacerdotes in arcem Archiepiscopi sui, alioqui ad unum omnes trucidaturi. Creditur sumptam esse occasionem a tyrannide sui Antistitis Matthæi Langi Cardin. Gurcensis in Lutherum & suos. Hic discite adversarii Evangelicæ veritatis & doctrinæ, quam male vertatur imperii conatus contra verbum Dei, tam æternum, tam omnipotens, quam Deus ipse est. Cardinalis Gurcens. hoc nomine profectus est Insbruccum ad Ferdinandum Cæs. Imp. Caroli V. Augusti fratrem. Utinam non recalcitraturus contra stimulum! Aguntur enim plerique sacrorum admirabili hoc œstro, ut, dum verbo resistunt, sibi excidium concilient.

Doctor Caspar Castenpaur Rotenburgi ad Enum in Diœcesi Saltzburg. conjectus in carcerem ob Evangelion, piissime respondit ex vinculis, egregius Domini & verbi ejus confessor, & qui nihil minus unquam facturus commissurusque videatur, quam ut veritati renitens παλινῳδίαν canat.

In mense Julio jussu Wilielmi Ducis Bavar. Monachii securi percussus est pistor,

pro hæretico, imo verius qui Christum profiteretur. Nisi Lutherum hæreticum, imo hæresiarcham, nisi Lutherianos hæreticos, cum Hieronymo Emsero & ejus similibus putes.

Prima die Julii Bruxellæ duo Augustiniani, prius Antwerpiæ ejecti, sunt eodem & crimine & nomine exusti: tertio vero Julii itidem tertius: magna omnes constantia Christum & veritatem & doctrinam Evangelicam professi, fortiter in Domino defuncti, hoc verbo: *JEsu fili David miserere mei!* frementibus plebejis. Adducti instar Christi ad tria tribunalia 1. Judicio, Episcopis & sacris vere sacris. 2. Judicibus & Senatui Bruxellensi. 3. Consiliariis Dominæ Margaritæ; qui eos tradiderunt carnifici, carnifices per carnifices. Quid enim aliud facerent carnifices? nullis non carnificibus immaniores. Juniori nomen fuit Johannes Nesse, Successori autem Jacobi præpositi olim Antwerpiens. Prioris Christi per carcerem confessoris Lamberto. De duobus die prima Julii exustis Lambertus Mulmannus Augustalis satelles, qui incendio interfuit, ex Bruxella ad me Georg. Spalatinum scripsit.

A.

A. M D XXIV.

Augustiniani Nurmbergens. die Resurrectionis dominicæ, ut mihi Prior eorum Volfgangus Volprechtus scripsit, ultra 3000. homines toto sacramento communicaverunt; utcunque frementibus Ferdinando, Episcopis, Cardinale Legato, Pharisæis. Ex Ferdinandi aulicis plus minus XXX. vel XL. & ipsi totum sacramentum ab Augustinian. acceperunt. Nurmbergæ mandatum emissum. Palmæ non consecratæ. Crucifixi effigies sepulchro non est imposita. Nec positum sepulchrum. Neque azyma neque ignes consecrati. Sed ne asinus quidem palmarius circumvectus est Nurmbergæ, quamvis Episcopo Bambergensi ut loci ordinario jubente, ut nihil antiquæ consuetudinis contemneretur.

Nonnulli etiam ex Regimine Imperiali Nurmbergæ sub utraque specie communicaverunt.

Evangelistæ Nurmbergens. multo fortius pro concione detonant præsentibus quam absentibus Papæ creaturis Legato Cardinale Campegio, Jo. Fabro Constantiens. Jo. Eccio, Cocleo.

Minoritanus concionator Nurmbergæ Senatus autoritate jussus est tacere posthac, ut ausus in Quadragesima prædicare Christum pro originali & actualibus tantum ante se patratis passum. Nam peccata post passionem Christi facta bonis operibus nostris redimenda esse. It. Confessionem auricularem ab Apostolis institutam esse.

Nihil promovit Legatus Senatui de Evangelistis conquestus.

Reliquias suas Nurmbergenses non amplius ut hactenus ostentabunt.

Dominicus Sleupnerus Evangelista Sebaldinus Nurmbergæ ad me scribens addidit: *ex Cœnobio Hussitarum S. Augustini.*

Mense Majo obiit Antonius Tucher, Major natu Senator Nurmberg. XL. & amplius annis in eo ordine magna cum laude & benevolentia S. P. Q. Nurmbergens. versatus, paulo postquam hoc rogans multis precibus successorem accepisset Casparem Nutzelium, patritii illic sanguinis hominem, Evangelii amicissimum.

Die prima Junii rustici in vico Poppenreut non ita longe a Nurmberga conventu magno coacti sese nisi sunt sic vendicare in libertatem, ut etiam tributa negarent magistratibus. Et vocarunt in hoc

Caro-

Carolum Augustinianum Concionatorem Nurmbergæ; cum dixisset solvendum tributum vectigal, parum abfuit, quin vitam misero adimerent, causati canere palinodiam.

Nurmbergæ uno die abrogatæ sunt missæ & vigiliæ defunctorum, restitutusque mos est instituti Christi totum sacramentum Eucharistiæ dandi communicantibus, non negato ut aliquandiu sanguine Christi.

Feria III. post diem Visitationis Marianæ Guilielmus Nesenus, dum resocillandi animi gratia navigat cymba in Albi ad Wittembergam, e regione horrei laterarii Principis nostri e navicula delapsus periit, piorum omnium magno dolore, Vir bonus & multis dotibus non vulgaribus inlustris. De quo casu Philippus Melanchthon inter alia sic ad me scripsit: *Ego pene exanimor, quoties hunc miserabilem casum propius considero.* Doctor vero Mart. Lutherus ita & ipse de hac re ad me: *Nesenum Satanas abstulit, tribus sociis miraculose servatis, ne & hos perderet. Conturbavit nos iste casu vehementer, & aperuit os blasphemantibus; sed mutaturus id Deus in gloriam suam, postquam indurati & excæcati fuerint Amorai hac infirmitate populi sui Israhel.*

Apud

Apud Aldenburgenses in Misnia Dominica post diem Ægidii, quæ quarta fuit Septembris, cœpta est veteris forma publicæ pœnitentiæ, ut mihi scripsit Doctor Vinceslaus Lincus illic Ecclesiastes. Adulter enim cum conjuge adultera acceptus ad pœnitentiam est, hac lege; primum ut ante fores templi stent humiles, & populo ingredienti ad Missam & exeunti se exhibeant, ut pro ipsis Deum orent, donec agnita ipsorum humilitate recepti Ecclesiæ restituantur: deinde constricti sunt ad manum Senatus, ut annis aliquot nisi permissu oppidi consepta non exeant. Quibus in literis in calce hic Vir addidit: *Utinam omnes pecuniariæ mulctæ prorsus abolerentur, quibus fures aluntur præfecti, & pro ædificatione populi ac animarum salute vitia punirentur!*

Doctor Martinus Lutherus Dominica post Francisci sine cucullia Wittenbergæ prædicavit. Dominica Galli ante prandium rursus in concionem cucullatus prodiit, post prandium vero sine cuculla concionatus. Ut falsus sit Erasmus, ut amiculus ad me scripsit, ad me scribens, *Lutherum docere ea licere, quibus ipse non utitur.*

Die

Die XVII. Septembr. Divo Lamberto sacro Viennæ in Austriis Caspar Tauber, illic civis, invictus Christi & Evangelii gratiæ Dei confessor, primo decollatus, mox tractus, tandem exustus fortis in Domino, dulciter hanc vitam modis omnibus miserabilem cum morte, imo mortem cum vita æterna permutavit.

Augustiniani Nurmbergens. ut mihi eorum Prior Volfg. Volprechtus scripsit, ad unum omnes & se & sua obtulerunt fidei Senatus illic, excussis cucullis in cives redigendi.

Dominica II. Adventus autoritate Senatus Nurmberg. interdictum est Prædicatoribus & Minoribus cura & visitatione, pene dixeram, corruptione sanctimonialium Catharinæ & Claræ.

A. M D XXV.

Andreæ Bodensteynii Carolostadii uxor Mochæ Veterani filia, filiolo secundo, ut ad me scripsit Doctor Caspar Glatius, absente marito, Orlamundi nato, signum baptismatis negavit, sed & ipsa ei nomen Andreæ indidit. ' Ex inferiori Germania scribebatur nonnullis principibus, Bernardum Carmelitam, ætate quinquagenarium,

um, virum pium & eruditum, & fortem Evangeliſtam in oppido Britz quinque aut ſex milliaribus a Mechlinia martyrem factum Chriſti. Nam reliquos monachos falſos fratres & filios Belial tantas homini paraſſe inſidias, ut adductum in invidiam tanquam hæreticum ad ignem raperent. In ignem autem ter fruſtra conjectum: nam ignem ſemper extinctum; donec inventus ſit, qui malleo caput ejus percuſſum interemerit. Poſtea cadavere denuo in ignem injecto ignem ut antea reſtinctum, & cadaver ex oculis adſtantium diſparuiſſe, ſecuta conſtanti fama, virum Dei ad cœlum translatum eſſe.

Apud Metenſ. ad CCCC. nunciabantur ad unum omnes nullo diſcrimine tum ætatis tum ſexus cæſi, quod pertinacius ab Evangelio ſtare viderentur, Senatuique e Rep. eſſet.

Philippus Heſſorum Princeps Duci Georgio Saxoniæ ſcripſit, ſe cum Comite Palatino ſtatuiſſe, ut Evangelio locus in ditione ſua ſiat, victus veritate. Hæc ad nos Lutherus, Vir Dei, Dominica Reminiſcere.

Philippus Regulus Heſſorum Fer. II. poſt Oculi Principes noſtros Ducem Johannem Saxon. & Ducem Joh. Fridericum filium

Cru-

Crucceburgi convenit, ausus adfirmare Duci Johanni Friderico, *se prius cessurum tum vitæ & corpori, tum principatui & civibus & subjectis, quam a verbo Dei defecturum*, ut Dux Joh. Fridericus Magistro Vito Warbeno scripsit huc Locham, usus his verbis, ut vidi autographon Principis: *Er welle ee Leib und Leben, Land und Leut lassen, denn von GOttes Wort weichen.* DEus igitur ejus animum confirmet, & ejusmodi multos excitet principes!

Die XXV. Aprilis, quæ erat Fer. III. post Quasimodogeniti, S. Mauro sacra, ex Holtzdorffio & Loba huc Locham reversus, reperi in cubiculo meo literas Principis Adalberti Marchionis Brandenburgii, nuper summi Magistri Ordinis Teutonici, Brigis in Silesia datas die XIX. Aprilis, cum hoc titulo: *Von GOttes Gnaden Albrecht Margraf zu Brandenburg, zu Preussen, Stetin, Pommern, der Cassuben und Wenden Herzog.* Quibus significavit mihi G. Spalatino clementer scribens, bellum inter ipsum & Regem Poloniæ christiane & finaliter esse compositum, ita ut Prussiam in feudum a Rege Poloniæ acceperit, hilaris quod ex compedibus adversarii nostri Satanæ tandem liberatus sit, rogans primo,

ut

ut mitterem primo quoque tempore in Prussiam egregium aliquem Ecclesiasten: deinde nova præcipue excusa typis.

Die Veneris post Misericordias Domini, quæ est Divo Gothardo sacra, & eo anno quarta diesMaji,obiit Lochæ Princeps noster pientissimus, Dux Fridericus Saxon. Sacri Rom. Imperii Archimarscalcus Elector, Pater Patriæ, omnium ingeniorum, artium, studiorum, libero homine dignorum, Mæcenas & Patronus beneficentissimus, JEsu bone! quantum decus, quantum ornamentum totius Rom. Imperii imo Christiani Orbis! De sepultura parum præsumpsit, adeo nihil moratus, ut quicquid hoc esset, fratris germani & reliquorum fidei permitteret, non obscuris verbis testatus, si fratri placeret, sepulturam Wittebergæ habiturum; deinde sibi non probari, quod olim autore monacho a confessione testamentum condidit, ita ut credam facile passurum fuisse, ut ubilibet humaretur. Tam hoc nihil prorsus curæ erat morituro! Itaque in nomine Domini humatus est Wittebergæ in Divis omnibus, Illustrissimi fratris germani Ducis Johannis Saxoniæ Electoris consensu, modo & ratione, ut est in Germanica descriptione,

ne, per me G. Spalatinum in artum conlecta, cerimoniis sane & cantibus christianis. Fratrem germanum hæredem instituit. Nonnulla propinquis & ministris legavit, amicorum & inimicorum tam pie recordatus, ut jucundissimum sit cogitatu, dictu, auditu, utque sit exemplum imitabile omnibus Principibus, imo omnibus Christianis. Rationem fundationum paucissimis verbis sic complexus est, ut posteris testatum fecerit, quidvis potius passurum, quam ut abominationes ullæ diutius perdurarent. Quin potius ut salvis viventium possessorum reditibus & proventibus omnia in veram DEI culturam verterentur. Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini nostri Jhesu Christi secundum institutionem Christi magna cum pietate accepit, prius peccata confessus. Post Eucharistiam, ut audio, versus ad suos a cubiculo, qui cum ipso fuerunt in triclinio, *Filioli*, inquit, *charissimi*, (erat enim hoc verbum suavissimum optimo Principi ad suos crebro in ore) *per DEum vos omnes obsecro, ut si unquam vel verbo vel opere offendi, mihi propter DEum condonetis. Idemque omnes mortales propter DEum meo rogatu oretis, ut, si quos vel*

ſermone vel factis læſi, mihi ignoſcatur. Solemus enim nos Principes multis modis gravare pauperes & multa perperam facere. Hæc locutus lachrymas emiſit, ad quas, quicunque interfuere, fleverunt. His flentibus optimus Princeps dixit: *Filioli mei dilecti, nolite me flere: videbitis me non non diu victurum. Mementote mei! Orate DEum pro me!* Ita patienter pertulit dolores, quos ſuſtinebat graviſſimos, ut mirum patientiæ exemplum dixeris. Obiit autem fer. VI. poſt Miſericordias Domini, intra V. & VI. poſt meridiem ſub veſperam ita leniter, ut dormienti ſimilis expiraret. Cujus animæ DEus Opt. Max. in æternum faveat, & ſempiternam det vitam, ſalutem, requiem & felicitatem. Amen! Poſtridie Sabbato poſt Miſer. Domini conſilio medici Doct. Heinr. Stromeri Aurbachii exectus & exenteratus eſt. Inventi ſunt in felle ejus, quod mireris, tres lapilli diverſæ magnitudinis. In dextero etiam rene admirandæ magnitudinis lapillus, ſic orificio oppoſitus, ut optimo Principi facultatem mejendi ademerit. Splen pene computruerat. Corruptum erat etiam jecur. Veſica prorſus inanis inventa eſt. Deinde corpus lotum condituris

aro-

aromaticis clausum est capulo picatumque. Ita jacuit a Sabbato usque ad Fer. IIII. post Jubilate.

Feria IIII. post Jubilate corpus Principis portatum est Locha Wittenbergam. Wittebergæ exceptum omnium ordinum pompa, christianis cerimoniis & cantionibus. Funebrem orationem habuit Phil. Melanchth. concionem vero D. Mart. Lutherus mire christianam, mire consolatoriam. Fer V. post Jubilate sepultum est corpus Principis in Divis Omnibus post concionem D. Mart. Lutheri, ut pridie, eximie piam.

Fer. III. post Trin. quæ fuit XIII. Junii duxit Wittebergæ christianissimus Evangelista noster, Germanorum Apostolus, Dei Vir, D. Mart. Lutherus Catharinam a Bora, olim sanctimonialem Nymptschensem ad Grymmas: id quod DEus Viro optimo faustum, felix, fortunatumque perpetuo faxit! Tantam rem primus omnium D. Justus Jonas noster Præpositus Wittembergens. literis sequentibus huc Torgam nunciavit postridie.

Gratiam & Pacem DEI! Rei insigniter novæ nuncia Tibi venit hæc mea epi-

stola, mi Spalatine. Lutherus noster duxit uxorem, Catharinam de Bora. Heri adfui rei, & vidi sponsum in thalamo jacentem. Non potui me continere, astans huic spectaculo, quin illacrymarem, nescio quo affectu animum percellente, quandoquidem sic nostra res cecidit & DEus voluit. Precor optimo & sincerissimo Viro, charissimoque in Domino parenti, plurimam felicitatem. Mirabilis DEus in consiliis & operibus suis. Bene Vale. Hodie prandiolum quoddam instruit, justas opinor nuptias alio tempore, quo & tu aderis, celebraturus. Bene vale. Quarta pōst Trinitatis. Hæc significavi Tibi ad hanc rem solam conducto tabellario. Sub aurora. Adfuerunt heri rei Lucas pictor cum uxore, D. Apel, Pomeranus, (Philippus non adfuit) Ego.

Hæc Justus Jonas noster Præpositus ad me G. Spalatinum. Idem scripsit nobis Fer. IIII. vigilia corporis & sanguinis Domini Georgius Blochingerus. Et fer. VI. post Trinit. Pomeranus noster Ecclesiæ Wittenberg. Episcopus in hæc verba: *Maligna fama effecit, ut D. Martinus insperato fieret conjux. Post aliquot tamen dies publi-*

ca

ea solemnitate duximus istas sacras nuptias etiam coram mundo venerandas, quando & tu procul dubio vocaberis. Eadem etiam D. Johannes Nobilis a Plaueritz Eques auratus Consiliariis principalibus huc Torgam scripsit e Witteberga. Imo postea ipse D. Lutherus noster mihi sic scripsit. (Sequuntur jam Lutheri tam ad Spalatinum, quam ad Stifelium ea de re literæ, quas non exhibeo, cum in Sekendorfii Comment. de Lutheranismo L. II. §. V. f. 16. extent.) Sic postea Philippus Melanchthon noster Doctori Venceslao Linco scripsit. Quas literas vidi & legi & descripsi, apertas & Magistro Sebaldo olim Aldenburgensi Aromatopolæ datas illuc perferendas.

S. D. Doctor Martinus duxit uxorem, quod faustum felixque sit. Hospites ad convivium nuptiale vocantur auf Zinstag post Johannis Baptistæ. Nolebat te vocare, ne sumptus sua causa faceres. Ego vero te per nostram amicitiam rogo, ut venias. Ut prebeatur Doctori Hieronymo amplior materia disputandi. Philippus.

Eadem vespera paulo postquam Phil. Melanchth. epistolion descripseram, venerunt mihi a Doctore ipso Mart. Luthero nostro literæ, quibus me ad epulum suum nuptiale vocavit, ita scribens:

Gratiam & Pacem a Domino! Epulum meum & Catharinæ meæ futurum est proxima feria tertia, hæc est post festum Johannis Baptistæ. Ad quod, ut serio te intelligam gratulari nuptiis meis, voco te, mi Spalatine, & oro, ne desis. Scripsi quoque Marscalco pro ferina, & simul vocavi. Tu dabis operam, si quid impetrari valeat. Fer. IIII. post Viti 1525.

Eadem æstate DEI voluntate, Principis nostri Clementissimi Electoris Ducis Johannis Saxoniæ jussu, & vocatione Senatus populique hic Aldenburgens. redeunte Doctore Vinceslao Linco Nurmbergam, ego G. Spalatinus, huc Aldenburgum extrusus sum in ministerium verbi divini, subscribente D. Mart. Luthero, Justo Jona Præposito, & Johanne Pomerano Episcopo Wittebergensi, Phil. Melancht. Nicolao Amsdorfio, & Johanne Agricola Eislebio.

In

In mense Septembri misit Illustrissimus Princeps noster Dux Johannes Saxoniæ Elector, me G. Spalatinum Wittebergam ad restituenda ut alia multa in Schola illa Christiana, ita ad augendam Phil. Mel. mercedem centenis annuis aureis, ut posthac sit habiturus CC..... quotannis.

Sabbato post diem S. Matthæi Apostoli & Evangelistæ totus Papa, ut mihi D. Justus Jonas scripsit, e templo Divorum Omnium Wittebergæ ejectus est, rejectis etiam stolis ...... & togis lineis, mutatis prioribus cerimoniis in pias & literis sacris consentaneas.

D. Mart. Lutherus respondit Antidiatribe ad Diatriben Erasmi Roterodami de libero, imo de Servo Arbitrio, *daturus operam*, ut ad me scripsit, *ut nihil pateretur illum recte dixisse, sicut vere nihil recte dixerit.*

Dominica S. Elisabeth ego Georgius Spalatinus Catharinam Johannis Heidenreichii sive Streubel hic Aldenburgi filiam duxi domum, nuptiali convivio tribus mensis ita volentibus amicis edito: primus omnium Canonicorum, qui id ipsum hic tentaret. DEus faxit, ut in gloriam suam,

vortat, nedum nostram salutem! Et sane qui male verterit res DEI verbo sancita?

Dominica Elisabethæ octava Præpositus Heinricus a Bunau, Decanus Magister Conradus Gerhardus, & Capitulum hic Aldenburgense, non contenti antea scripsisse, cum meum conjugium res sit aliena, uti credatur a sacerdotibus Ecclesiæ Catholicæ hactenus, facile dare veniam de non invitando ad convivium meum nuptiale, scripserunt non solum inepte multa, sed etiam impie, *secundum Theologos & Canonistas me keyn redlich noch Christlich Ee volziehen, sondern auch, wo ich sie volzogen hett, nicht seliglich besitzen mocht*: mit *anhangender Ermanung und bete in meiner vermeinten Ee nicht lenger zu verharren; mit anhangender Bedrauung mir den Genyess der Kirchen aufzuhalten und nach Ubung der Rechte den falls gegen mir zugebaren.* Hæc est carnis sapientia contra Christum & verbum ejus.

☽. Christiernus Rex Danorum ex Middelburgo Zelandorum XVI. Kal. Novembr. mihi scripsit, mire illic fervere verbum DEI atque augeri sanguine Martyrum.

Iisdem

Iisdem diebus venit ad me exemplum Caroli Imperatoris Edicti contra Evangelion in Hollandiam transmissi ex Hispaniis.

Multi sacerdotum publice jussi sunt Illustrissimi Principis nostri D. Johannis Ducis Saxoniæ Electoris partim literis, partim mandato, abstinere scortis, evangelion pure prædicare, pie celebrare, & sacramenta secundum Christi institutionem porrigere.

A. MDXXVI.

In Vigilia Resurrectionis dominicæ D. Christiernus Rex Daniæ huc Aldenburgum vix duobus ministris comitatus ex Germania inferiore venit, statim postridie hinc sub primas noctis tenebras profectus, mecum multa mira clementia ut a prandio, ita a coena, quibus immerentem adhibuit, locutus.

In mense Aprili die XXX. quæ fuit hoc anno dies passionis dominicæ, obiit D. Chuonradus Mutianus Rufus, Decretorum Doctor, Canonicus Gothensis, Præceptor meus, vir doctissimus & omnium seculorum memoria dignissimus, de quo inter alia D. Fridericus Meconius, Ecclesiastes Gothens. ad D. Georgium Brunum Ducalem

lem Cancellarium ſic ſcripſit : *Mutiani doctiſſimi viri mortem jam prioribus literis meis ſignificavi candori tuo. Utinam hac lux, adhuc luceret, ſi non omnibus, multis tamen, atque iis doctiſſimis, & per hos aliis! Sed placeat nobis, quod placuit Chriſto, cujus ſe voluntati vir ille, tranquillitatis ac pacis amator, totum ſubjecerat. Argumento eſt, quod priori die ſedens, & neſcio quid ſecum gerens certaminis arrepto calamo ita ſcripſit : Multa ſcit ruſticus, quæ philoſophus ignorat : Chriſtus vero pro nobis mortuus eſt, qui eſt vita noſtra : quod certiſſime credo. Et ante mortem toto pectore ſe dedit ad pellegendum myſteria Novi Teſtamenti. Deo igitur ſit laus & gratia, tantum virum ante mortem aſſecutum cognitionem Chriſti, quæ ſola ut juſtificat, ita etiam ſalvat credentes in nomine ejus.* Hæc hominis ultima vox fuit, ut ad me ſcripſit D. Fridericus Mecunius Concionator Gothenſ. & qui lateri morientis accubuit Marcellus Regius : *O Jheſu reſpice famulum tuum!*

Sabbato poſtridie Laurentii Princeps noſter Elector Saxoniæ (Spiræ in comitiis imperialibus) audito in ædibus Principis Heſ-

Hessorum sermone, domum rediit, missis in Senatum Imperii suis consiliariis. Ubi cum ageretur de ope contra Turcas ferenda, adnuentibus prophanis tum Principibus tum ordinibus, soli restiterunt sacri, causantes; sic a rusticis seditiosis in ordinem & inopiam redactos, quum ut nihil minus quam hoc præstare possent. Hic ergo fuerunt, qui libere 'responderent: *Non deesse pecuniam, si quando pro opprimendo Evangelio pendenda sit.* Dixit nobis in cœna Matthias Leimbergius, Erasmum Rot. mire consternatum editione Servi Arbitrii, ei libello non responsurum, jam scribere de Conjugio. Buschius vero a Rege Gallorum revocatum Jacobum Stapulens. & nonnullos alios, & reversos liberatos XII. captivos, quos Evangelii nomine Parlamentum conjecisset in carcerem. Item Wormatiæ VI. mille exemplaria Novi Testamenti Anglice excusa. Id operis versum esse ab Anglo, illic cum duobus aliis Britannis divertente, ita VII. linguarum perito, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Italicæ, Hispanicæ, Britannicæ, Gallicæ, ut, quamcunque loquatur, in ea natum putes. Anglos enim, quamvis

relu-

reluctante & invito Rege, tamen sic suspirare ad Evangelion, ut affirment, sese empturos Novum Testamentum, etiamsi centenis millibus æris sit redimendum. Adhæc Wormatiæ etiam Novum Testamentum Gallice excusum esse.

Hæc sufficiant.

HI-

HISTOIRE DE LA BIBLE DE SIXTE QUINT

Auec des Remarques pour connoistre la veritable Edition de 1590.

Par Prosper Marchand Libraire a Paris (a)
M D CCIV.

LEs Versions Latines de la Bible s'estoient tellement multipliées vers le milieu du Seizieme Siecle, qu'il y auoit lieu de craindre qu'on ne vist arriuer de nouueau. ce qu'on auoit deja veu du temps de saint Jérosme, † ou lon trouuoit au

(a) Rarissimam esse editionem Versionis Vulgatæ, Sixti V. Pont. Max. auspiciis Romæ A. 1590. curatam, nemo nescit. (vid. opellæ nostræ Part. II. p. 358.) Digna igitur mihi visa est, quæ ex Bibliotheca Krafftiana in lucem protrahatur, dissertatio Prosperi Marchand, Librarii, de re literaria vel solo illo labore, quem in recentissimam Reterodamensem Dictionarii Bæliani editionem impendit, præclare meriti nondum publicata, cum ea accuratam perraræ illius editionis notitiam præbeat.

† Hieron. præf. in Josue.

autant de versions differentes, que de differens exemplaires; parce que chaque particulier prenoit la liberté de corriger le Sien, & le retranchoit, ou l'augmentoit, a sa fantasie.

Pour préuenir ce malheur, le Concile de trente assemblé, pour lors, † déclara *autentique* La nouuelle Vulgale, * attribuée communement a St. Jerosme, & dont on se seruoit depuis plusieurs Siécles dans toutte l'eglse d'occident, mais comme les exemplaires en estoient fort corrompus, a causes de la liberté, que chacun s'étoit donné de la retoucher, le même concile. †† ordonna auec beaucoup de prudence qu'on l'imprimeroit le plus correctement qu'on le pourroit: ce qui étoit deuenu trés difficile parce que la quantité de diuerses leçons, dont les exemplaires étoient remplis, embarassoit extrémement ceux qui vouloient choisir la véritable.

Ce fût donc pour débroüiller ce cahos, & pour se conformer á la décision du concile, que Pie IV. ** aprés auoir choisi quelques

† en. 1546.
* concil. trid. Seſſ. 4.
†† conc. trid Seſſ. 4.
** Præf. Bibl. vulg. edit. Waddingi Script. Ord. minor. 319.

ques cardinaux & d'autres ſcavans hommes dans la connoiſſance des langves, & fort verſés dans l'étude de l'écriture, leur ordonna de corriger exactement la vulgate ſur les anciens manuſcrits, ſe ſeruant pour cet éffet du texte hebreu, & du grec, quand ils ſeroient obliges d'y auoir recours, & conſultant les expoſitions que les SS. peres nous en ont laiſſées. Pie V. † ſon Succeſſeur pourſuiuit le même deſſein, mais ayant ête interompu pour des affaires trés preſſantes du St. Siege, on ne le reprit que ſons le pontificat de Sixte quint. Mr. Simon n'eſt pas de ce ſentiment: il dit tout au contraire dans ſon Hiſtoire Critique du vieux teſtament. †† que Sixte V. entreprit le premier ce trauail.

Mais il eſt trés aiſé de faire voir qu'il * ſe trompe puisque ce Pape luy même, la préface que l'on met ordinairement á la téte de nos Bibles ††† & Wadding ** nous diſent préciſement le contraire. *Sixte* quint voulant donc acheuer ce grand ouurage

† ibidem.
* p. 527.
* Bulla Sixti V. Biblior. 1590.
††† vulg. edit.
** Wadding. p. 319.

urage entrepris par ses prédecesseurs, rassembla les hommes les plus sçauants, & les plus habiles Critiques qu'il put trouuer pour continuer la correction dêja commencé : mais il ne s'en raporta pas tout á fait a eux ; au contraire il prit soin, comme il nous l'assure † de choisir luy même le meilleur de ce qu'ils auoient recueilly parmi les diuerses leçons, & les expositions des peres, en fin il fit imprimer en 1588. †† dans l'Imprimerie qu'il venoit de faire construire au vatican, vne nouuelle edition de la vulgate, plus exacte que celles qu'on auoit vües jusqu'alors & c'est auec Justice comme le remarque fort bien Monsieur Simon, * qu'on nomme cette Bible, la Bible de Sixte V. puis qu'il y eût la meilleure part, & qu'on en est redeuable á ses soins.

Coṁe il vouloit qu'lle fût extremement correcte, ††† il la relut aussitôt qu'elle fut

† Bull. Sixt. V.

†† Le titre de la bible porte qu'lle est impr. en 1590. mais la bulle de Sixte V. dattée du 1. mars 1589. prouue manifestement que cest en 1588. puis qui luy a fallu le tems de la relire avant que de donner sa bulle.

* Hist. crit. du V. T. 527.

††† Bull. Sixt. V.

fut imprimeé, & corrigeà non seulement de sa propre main les fautes d'impression qui s'y êtoient glissées, mais il fit imprimer encore les corrections pour les coller dans tous les exemplaires, sur les fautes qu'on y auroit laissées. Cette grande exactitude luy fut cependant assez inutile, si comme le raportent la préface ordinaire de nôtre vulgate & Wadding dans son traité *de scriptoribus ordinis minorum*, * il trouua sa Bible si peu en etat dêtre publieé, qu'il la súprima sur le champ, † & qu'il conceut le dessein d'en recommencer vne nouuelle edition, cequil ne put néamoins exécuter, la mort l'ayant preuenu.

Je ne scaurois être dece sentiment, car outre qu'il n'est pas vraysemblable que Sixte ait pris la peine de corriger les exemplaires d'un Liure, qu'il auroit eu dessein de suprimer, c'est qu'il n'en auroit laissé sortir aucun de son imprimerie; cependent l'o'n en voit plusieurs dans les Bibliotheques publiques & particulieres; & même de reliès si magnifiquement auec ses armes, qu'on nepeut douter que ce

* pag. 319.

† quelque personnes disent que les exempl. de cette Bible ont été brulés par ordes de Sixte V.

ne ſoient des préſens qu'il en a faits a des perſonnes de conſideration, ce qui prouve encore trés fortement qu'il ne l'a pas ſuprimée. Dailleur Gregorio Leti, hiſtorien aſſez exact de Sixte V. † rapporte ſeulement qu'il avoit fait faire vne édition de la Vulgate, qui avoit donné occaſion de parler a pluſieurs perſonnes mais Il ne dit pas vn mot de cette pretendue ſupreſſion, qv'il n'auroit pas paſſée ſous ſilence, ſi elle auoit eu quelqu' apparence de verité.

Il ſeroit, ce me ſemble, plus probable de croire, que des que Sixte V. fut mort, ce qui arriua la même année de la publication de ſa Bible, quelques perſonnes qui auoient reconnu qu'elle n'etoit pas ſi correcte q'uil l'avoit penſé, le declarerent librement que ce bruit la fit ſuprimer aprés vn ſerieux examen, & qu'enfin on entreprit vne nouuelle correction qui ne fût acheuée que ſous le pontificat de Clement VIII. Ce ſentiment léue touttes les difficultés, en éffet ce n'eſt plus inutilement que Sixte V. à pris lapeine de corriger ſon edition puis

† vita de Siſto V. L. 2. p. 399.

puis qu'il êtoit dans le deſſein d'en procurer & d'en etablir l'usage ; & les exemplaires qu'on en voit encore aujourd'huy dans les Bibliotheques, ont pû être tirés de ſon Imprimerie auant ſa mort, qui n'eſt arriuée que le 27. aouſt 1590. †

Quoy q'uil en ſoit il eſt certain que malgré la Bulle qu' auoit donnée Sixte V. en faueur de ſon edition, Clement VIII. en publia vne ſeconde deux ans aprés ; †† mais ſi differente de la premiere que Thomas James, Proteſtant Anglois fit vn recueil malin de ces differences, ſous le titre de *bellum papale ſiue concordia discors Sixti quinti, & Clementis octavi circa hieronymianam editionem.* Ces recueil fut imprimé á Londres en 1600. in 4. & en 1678. in 12. depuis la publication de la Bible de Clement. VIII. les exemplaires de celle de Sixte V. ſont deuenus tres rares ; Les curieux les recherchent auec ſoin, & les achetent fort chers. On les confond aſſes ſouuent avec ceux de la Bible de Clement VIII. & quelque fois on les vend l'un pour l'autre & même auec Connoiſ-

 ſance

† mezeray l. 7. p. 74.

†† en 1592. in fol. il y en a eu vne ſeconde edition. 1693. in 4.

ſance de cauſe, pour èviter la m'epriſe & reconnoiſtre indubitablement quelle eſt la véritable, j'ay recueilly les remarques ſuiuantes, auec les quelles on ne ſcauroit ſe tromper.

Remarques
Pour conoître la veritable Bible
De
SIXTE QUINT.

ON peut aiſément connoitre la véritable Bible de Sixte quint, par pluſieurs remarques differentes; 1mo par les preliminaires, c'eſt a dire le frontiſpice, vn titre gravé, la Bulle de ce Pape, le catalogue des Liures de la Bible &c. 2do par le nombre des pages, & par l'inſcription latine des liures de l'ancien Teſt. 3tio par la diſpoſition des verſets, qui eſt fort differente de celle dont s'eſt ſerui Clement VIII. 4to par les mots collez que fit mettre Sixte quint ſur les fautes de ſon edition 5to par des fautes d'impreſſion. 6to par des caracteres particuliers, 7mo & en fin en la confrontant avec le Bellum papale de Thomas James, qui fait voir en quoy elle differe de celle de Clement VIII. I. Les preli-

prelimaires de la Bible de Sixte quint ſont diſpoſés de cette ſorte on trouue dabord vn frontiſpice imprimé en Caractéres rouges & noirs, dont voicy la copie

* Biblia
* Sacra
† Vulgatae
† editionis
* tribus tomis
† diſtincta
† Romæ

* Cequi eſt marqué d'un aſteriſc eſt impr. en rouge.
† Cequi eſt marque d'une croix l'eſt en noir.
Le frontiſpice de la Bible de Clement VIII. eſt preſque de même a la reſerve de ces mots, *tribus tomis diſtincta*, qui n'y ſont point, & de ceux cy *Apoſtolica Vaticana* qui ſont en Lettres majuſcules.

* ex Typographia Apoſtolica Vaticana.

† M. D. XC.

Aprés ce frontiſpice imprimé, on en trouue vn autre graué, * dont on peut voir la copie dans la Bible de *Mariana*, imprimé a anuers en 1624. en 2. vol. in folio, á quelques petites differences prés

on

* c'eſt le même dans celle de Clement VIII. tout cequil y a de different c'eſtque ces mots : *ad concilii tridentini praeſcriptum emendata et* n'y ſont point.

on voit ces mots dans le Cartouche du milieu.

Biblia Sacra
Vulgatae editionis
ad
Concilii Tridentini
Praeſcriptum emendata
Et
A Sixto V. P. M.
Recognita & approbata.

DAns vn autre cartouche, au deſſus de celuy dont je viens de parler, le Sacrifice d'Abraham eſt repréſenté auec ces mots directement au deſſous du Sabre d'Abraham, *vnigenito non pepercit*. gen. 22. le mot de *pepercit* eſt mis tout au long dans l'edition de Mariana. Vers le bas de la planche, au deſſous de ces paroles *accipe & deuora &c. pag.* 10. on remarque ces trois Lettres; M. G. F. qui ſignifient apparamment le nom du graueur.

Le decret * du concile de Trente ſur les écritu-

* Ce decret ſe voit auſſi dans la Bible de CL VIII' mais il eſt precedé de la preface ordinaire de nos Bibles *In multis* & ſuivis de la Bulle de ce Pape *cum Sacrorum Bibliorum &c.*

écrirures, de *Canonicis Scripturis decretam*, *ex Concilio Tridentino Sessione quarta* remplit le feuillet suiuant.

On trouue immediatement apres la Bulle de Sixte V. commençant par ces mots: *aeternus ille cœlestium terrestriumque rerum Conditor ac moderator Deus &c.* & finissant par ceux cy: *dat. Romae apud sanctam Mariam majorem, anno Incarnationis dominicae* M. D. LXXXVIIII. *Kalendis Martii, Pontificatus nostri anno quinto.*

Cette Bulle qui contient trois feuilles signatturées, * *2, *3, en precede vne 4. signaturée **, sur la premiere page de la quelle on voit ces mots, *index ac series Librorum veteris Testamenti &c.* sur la seconde ceux cy: *Librorum veteris ac noui Testamenti Consonantia &c.* sur la troisieme ces autres: *Bibliorum sacrorum Tomus Primus &c.* & sur la 4eme ce passage pu premier chapitre de Josué: *non recedat volumen legis hujus ab ore tuo &c.*

Mais comme toutes les remarques precedentes ne seruiroient de rien si l'on auoit joint ces preliminaires á vne Bible de Cl. VIII. on doit faire dans le corps du liure les obseruations suiuantes.

II. Cette Bible Contient 1141. * pages, dont la derniere n'est imprimé qu'a moitie, & finit par ces mots *finis tertii tomi, ac noui testamenti*, les quelles cependant ne sont point dans l'exemplaire que l'on conserue a la Bibliotheque de Sainte Gennevieue. † Je ne comprends pas dans ce nombre de pages, deux feuilles qui ne sont point chriffrées, †† dont la premiere signaturée *** contenant ces mots *Bibliorum sacrorum tomus secundus* se met aprés la page 480. & la seconde signaturée **** contenant ces autres mots: *Bibliorum sacrorum tomus tertius nouum Testamentum comprehendens*, se place auant la page 901. III. Les inscriptions, ou si l'on aime mieux les titres particuliers de chaque liure de l'ancien testament sont simplement en latin dans l'edition de Sixte V. au lieu que dans celle de Clement VIII. ils sont non seu-

* Celle de Clem. VIII. n'en continent que 1131. au bout des quelles on a ajoute aprés coup 24. pag. qui contiennent l'oraisson de Manassé, & les 2. derniers. Liures d'Esdr.

† ces mots ne sont pas non plus dans celuy de Mr. de la Moignon.

†† ces 2. feuilles nesont point dans la Bible de Cl. VIII. quoy qu'elle soit diuisée en 3. part. de même que celle de Sixte.

ſeulement en cette langue; mais l'on voit encore au deſſous le mot hebreux qui les exprime en caracteres latins, en voicy quelques exemples.

Bibl. Sixt. V. p. 1. LIBER GENESIS.
Bibl. Cl. VIII. p. 1. LIBER GENESIS.
HEBRAICE BERESITH.
Bibl. Sixt. V- p. 84. LIBER LEVITICI.
Bibl. Cl. p. 84. LIBER LEVITICI.
VAICRA.
Bibl. Sixt. p. 573. ECCLESIASTES.
Bibl. Cl. p. 573. ECCLESIASTES;
qui ab Hebræis COHELETH. appellatur.

IV. Les verſets de cette Bible ſont tout autrement diſpoſés que dans celle de Cl. VIII. comme elles ſont diviſées en trois parts, je vais en donner quelques exemples de chacune, afin qu'on puiſſe les debrouiller, ſi par hazard on auoit confondu quelques parties des deux Bibles dans vn même volume.

Exemples de la premere partie. Gen. ch. 11.

Nomen, vero fluminis tertii tigris.	Sixt. V. II. Cl. VIII. 14.
Exode ch. 1. *quibus accerſitis ad ſe Rex ait.*	Sixt. V. 10. Cl. VIII. 18.

 Exem-

Exemple de la ſeconde partie.

Pſal. 34. *non dicant in cordibus ſuis &c.*	Sixt. V. 28. Cl. VIII. 25.
Proverb. Cap. 6. *non grandis eſt culpa.*	Sixt. V. 13. Cl. VIII. 30,

Exemple de la troiſieme partie.

Matth. Cap. 1. *exurgens autem Joſeph a ſomno.*	Sixt. V. 45. Cl. VIII. 24.
Apocalypſ. Cap. 3. *Suadeo tibi emere aurum.*	Sixt. V. 14. Cl. VIII. 18.

V. Les Corrections, ou les mots que fit coler Sixte quint ſur les fautes de ſon edition contribuent encore beaucoup, a la faire reconnoiſtre, Thomas James a mis à l'a tete de *Bellum papale* vn index, de ces corrections; mais comme il en a qublié pluſieurs, en voicy un plus exact; ou celles dont James n'a point parlé, ſont marquées d'un aſteriſc.

INdex locorum manu ipſius. Sixti, vel aliorum, in Bibliis ſuis poſt impreſſionem correctorum; á Th. James antea edit. nunc vero reſtitut.

* 1mo Bullâ Sixti quinti, pag 9. lin. 22. 15.

2do

2do * ibidem, pag. 10. lin. 6. *asseruantur.*
3tio Genes. cap. 41. vers. 10. *prioribus.*
* 4to Exod. cap. 4. v. 3. *projecit.*
5to Numer. cap. 26. vers. 8. *jasubitarum.*
6. Reg. Lib. IV. cap. 6. vers 15. *incircuitu.*
* 7. Esdr. Lib. I. cap. 2. vers. 2. *Josue* manu correct. pro *Jesua.*
8. Esdr. Lib. II. cap. 12. vers. 1. *Josue* manu correct. pro *Jesue.*
9. Ibid. eod. libr. cap. eod. vers. 2. *Josue* manu correct. pro *Jesua.*
* 10. Ibid. eod. lib. cap. eod. vers. 3. *Josue* manu correct. pro *Jesue.*
* 11. Ibid. eod. lib. cap. eod vers. 6. *Josue* manu correct. pro *Jesue.*
* 12. Ibid. eod. lib. cap. eod. vers. 8. *Josue* manu correct. pro *Jesue.*
13. Judith. cap. 1. vers. 1. *alitudinem.*
14. Job. cap. 18. vers. 11. *in voluent pedes ejus.*
* 15. Psal. 64. vers. 11. in verbo *inebrians*, duæ posteriores litteræ non ex punctæ.
16. Ps. 148. vers. 6. *ea*,
* 17. Ps. 149. vers. 1. *domino* manu correct. pro *dumino.*
* 18. Proverb. cap. 30. vers. 27. *Est* temere dicit Jamesius hoc verbum correct,

rect. coeteris enim glutine connectitur.

19. Cantic. Cantieor. a cap. 1. ad vltimum, seu a Bibliorum pag. 579. àd 589. in verbo tituli paginar. *Cantica*, a correctum.

* 20. Cant. Canticor. cap. 2. vers. 8. venit manu restitutum, quod non notauit Jamesius.

21. Ibid. cap. 4. vers. 2. & 3. *greges.*

22. Cant. Canticor. cap. 7. vers. 1. *videbis.*

23. Ibid. cap. 8. vers. 5. de *deserto.*

* 24. Sapient. cap. 8. vers. 9. *sermocinante.*

25. Ibidem eod. cap. vers. 14. *quoniam immortalitas.*

26. Ecclesiastici cap. 5. vers. 15. *denotatio.*

* 27. Ibid. cap. 12. in titulo capitis litera numeralis *X.* manu restituta.

* 28. Ibid. cap. 25. vers. 2. *Senem.*

* 29. Isaiæ cap. 3. vers. 17. *in terra sedebit.*

30. Ibid. cap. 14. vers. 11. *inclinentur.*

* 31. Ibid. cap. eod. vers. eod. duæ posteriores Syllabæ verbi *prospiciant.*

32. Isaiæ cap. 52. vers. 5. *nunc quid.*

* 33. Daniel, cap. 7. vers. 6. & 14. infrá voces *cornua & quatuor sunt regna quæ consurgent de terrá ;* notas calami, de quibus Jamesius, non reper.

* 34. Ibid. cap. 41. vers. 1. in verbo; Maspha*th.* duæ posteriores Litteræ *th.* expunctæ.

35. Baruch. cap. 4. vers. 16. *Exui me.*

36. Ezechiel. cap. 21. vers. 7. *limatus.*

* 37. Ibid. cap. 26. vers. 13. non reperies Correctionem, quam notavit Jamesius in verbo, *limpidissimam.*

* 38. Miche. cap. 4. vers. 3. *vitem.*

39. Zachar. cap. 12, vers. 5. hæc verba *In Jerusalem* expuncta prius, nunc luci restituta.

40. Machab. Lib. 1. cap. 5. vers. 29. *relinquatis.*

* 41. Marc. cap. 10. vers. 1. *inde.*

42. Act. Apost. cap. 7. vers. 6. verbum *et* expunctum.

* 43. Epist. Pauli ad Tit. cap. 2. vers. in uerbo *pudici.* secunda, vel tertia Syllaba dispuncta.

* 44. Apocalyp. cap. 3. vers. 7. *ſcribe.*
* 45. Ibid. eod. cap. vers. 12. *a ſcribe.*

VI. Quelques fautes d'Impreſſion reſtées dans cette Bible, Seruiront encore a faire connoitre la véritable édition de 1590. 1mo toutes les pages du Liure des nombre de puis la 109. jusques a la 144. portent ce titre, *Liber numeri.* * on a voulu corriger ce ſolécisme, en couvrant la lettre. *I.* d'vne certaine compoſition brune, mais non pas ſi bien, qu'en gratant vn peu avec la pointe d'un ganif on ne la decouure fort aiſément.

2do On voit au deſſus du titre du Pſ. 82. ce mot Pſal. tout poché, & qui paroit ajouté aprés coup entre deux lignes, il eſt disposé au desſus de ces autres mots. *Canticum Pſalmi Aſaph*, enſorte que le point deli de *Pſalmi*, eſt entre le P et. l's. de *Pſal.* & que le point qui eſt au bout de ce même mot *Pſal.* ſe trouue juſtement entre *l'a & l'* s. *d'Aſaph.* Ce mot *Pſal.* paroit

* Cette même faute ſe trouue dans l'edit. de Cl. VIII. au titre du Livre p. 109. mais elle n'eſt pas dans la ſuiuante ou l'on a mis *numer.* par abreviation.

paroit de même ajouté aprés coup au dessus de Ps. 87.

3tiô On voit presque par tout des j Consones pour des *i* voyelles; Comme au 2. Chap. de la gen. vers. 11. *tertij*, & au 3. vers 3. *dij* le contraire se rencontre aussi assez souuent, c'est à dire des *i* voyelles pour des Consones, comme au Chap. 3. de la gen. vers. 10. *Eiecit*. & au 27. vers 29. *eiulatu* & en fin *dauid* est êcrit par tout auec des *u* voyelles, de même que plusieurs autres mots qui demanderoient des Consones.

4to Les lettres du premier mot du 38. Chapitre de la gen. sont toutes derangées de sorte que ce mot se trouue separé en trois: ainsy, *Eodem*, & que se mot suiuant *tempore*, tient a la derniere lettre du premier.

5to Je metrois encore au nombre des fautes d'impression ce mot *obed* † qu'on voit dans le 15. Chap. du 2. Liure des paralipomenes, vers. 1. & 6. & dans le 28. Chap-

† Jesuis redeuable de cette remarque a l'illustre Mr. Baillet.

Chap. du même Liure, v. 7. au lieu *d'obed*, s'l neſtoit vrayſemblable que c'eſt a desſein que Sixte l'á fait imprimer ainsy.

VII. On remarque dans tout le Cours de ce Liure quelques Caracteres aſſez particuliers. * Comme par exemple des *a* des *e*, des *m* des *n* des *r* des *t* á longue queüe; mais les plus ſinguliers ſont des *et* de même a longue queue, dont les vns l'ont releuée en haut, & les autres l'ont pendante en Bas, presques tous les *ques* qui ſont a la fin des mots ſont exprimés par vn pointé *q*, non ſeulement dans le Caractere ordinaire mais encore dans le majuſcule c'eſt ce que l'on peut voir dans les premiers mots de la plus part des Chapitres de la geneſe, on peut encore ajouter á ceque jeviens de dire, quelques *rencontres* de lettres aſſez Remarquables, & dont on trouue quantité dans cette edition, en voicy

* ces mêmes caracteres ont ète employés dans l'edit. de la Bible de Clem. VIII.

voicy quelsques vnes entres les autres dans le 9. chapitre de la Genese, vers 22. & 23 ces mots *Sitq;* & *Noe* sont imprimés de sorte que la queüe du *q* est justement posée au dessus du second Jambage de l'*N*, en cette maniere: *Sitq;*
Noe,
Dans le Chapitre 10. du même Liure, vers 19. & 20. les deux mots suiuants
h
sont disposés demême; *arp - axad* dans le chapitre 12. du même Liure *V.S.* vers. 13. la queüe du dernier p du mot de *principes*, est si bien liée auec tête de l'I. du mot. *illum*, *principes*
illum,
qu'on diroit que ces deux Lettres sont faites d'un même trait. Je donnerois encore aisement, plusieurs exemples de cette nature; mais ceux cy doiuent suffire; J'ajouteray seulement que l'on peut obseruer, sur tout dans les pages 522, 523, 524, 525. &c. que les *o*. sont d'un plus petit modelle que les autres caracteres dont on s'est serui pour imprimer cet Ouurage.

VIII. Enfin le dernier moyen de reconnoitre la veritable Bible de Sixte V. est de la confronter auec le *Bellum papale* de Thomas James, ce Protestant comme je l'ay deja dit, a fait sous ce titre un recueil de toutes les differences de la Bible

de Clem. VIII. auec celle de Sixte Quint, pour ce qui regarde le texte, comme son Liure n'est pas fort rare, & que d'ailleurs les remarques, que j'ay rapportées cy deuant, suffisent pour tirer d'embaras ceux qui douteroient tant soit peu la dessus, je ne raporteray icy aucune des differences qu'il a pris la peine de ramasser, & je fineray en disant que son liure peut tenir lieu de cette Bible, a ceux qu'une Fortune mediocre empéche d'employer des sommes considerables.



VI.

Ad Illustrissimum Principem Ludovicum Sforciam, Vicecomitem Barri Ducem Jasonis de Mayno Juris utriusque Doctoris Præfatiuncula.

ORationem â me proximis diebus habitam in funere præstantissimi Jurisconsulti, Hieronimi Torti ad quem, Illustrissime Princeps, potius, quam ad te mitterem, non dubitavi: non tam ex eo quod principatum geras, quam quod æque sis litteratorum atque litterarum præcipuus cultor. Facis equidem quod rectum Principem decet: cum Plato non minus vere quam eleganter dixerit: Beatas fore Respublicas; si aut sapientes imperarent, aut earum Principes sapientiæ studio tenerentur. Donum libelli hujus, quem ad te mitto, nisi aut tu magno estimes: aut excellentis viri, de quo loquitur, merito, recompenses: pusilla res est: Verum Artaxerxes Persarum Rex præstantissimus dicere solitus traditur: non minus regale esse, accipere tenuia munuscula, quam ingentia dona elargiri: Tu pro solita animi modestia quamvis longe majora

ſemper ſolitus ſis referre quam accipere, has noſtras lucubratiunculas pauculosque labores non aſpernaberis, ſed una cum offerentis affectione, ſingularique erga te devotione clementer ſuſcipies. Vale Princeps humaniſſime: meque commendatum habe.

Oratio habita (a) in funere Excellentiſſimi Juriſconſulti Hieronymi Torti tenentis primam cathedram in felici Gymnaſio Ticinenſi per me Jaſonem de Mayno (b) Mediolanenſem Juris utriusque Doctorem.

Utinam

(*a*) Hanc orationem, e Codice MSto. Bibliothecæ Krafftianæ deſumtam, elogiumque Hieronymi Torti JCti olim famigeratiſſimi non inconcinnum continentem, integram inſerimus, quod nondum, quantum mihi quidem conſtat, edita ſit.

(*b*) De hoc conferri meretur Bælius in Diction. Tom. III. f. 1879. Magnis is paſſim effertur præconiis, Jacobo Philippo Bergomati in Supplem. Chronic. f. 325. *conſummatiſſimus Jureconſultus ac Orator facundiſſimus, ſuo tempore ubique & propter eruditionem maximam, & dicendi optimum robur, ac corporis totius elegantiam magno habitus in pretio:* Trithemio de Scriptor. Eccleſ. num. DCCCXCVI. *Vir in utroque jure doctiſſimus, & tam in divinis ſcripturis quam in cæteris diſciplinis ſecularibus eruditiſſimus,*

Utinam alia me ad dicendum occasio impulisset, quam ut in gravi & acerbo funere Hieronymi Torti Jurisconsulti celebris & consummati laudativa à me hodie habenda esset oratio! Fuerat mihi jamdiu propositum ejus vitam, ingenium ac litteraturam spaciosius & uberius propriis & peculiaribus laudibus exornare: non quod commendationem meam illi expedire, aut usui fore imprudens mihi persuaderem: Sed ut signum aliquod grati in eum animi aliquod proferrem. Nam cum ex ejus fontibus, (*c*) quicquid in me doctrinæ esset, exhausissem, & omnem ingenii mei cultum inde suscepissem

---

mus, philosophus clarus & orator celeberrimus, ingenio subtilis, eloquio disertus, consilio & actione præcipuus: Jano Jac. Boissardo in Icon. Virorum Illustrium Tom. I. p. 165. *Vir in rebus magnis gravis, acutus & perspiciacissimi judicii, prudensque in consiliis* audit.

(*c*) Ipse ergo Maynus heic loci gratus profitetur, multum se Torto debere. Hoc propterea annoto, quod cum Panzirolo Jac. Thomasius ipsum in plagiariorum censum retulerit, atque Torti etiam scriptis locupletari eum voluisse memoraverit. vid. Jac. Thomasii Tract. de Plagio literario p. 209.

ſem ; in gradum me quodammodo vivere exiſtimaban. , ſi non aliquo ſaltem laudationis argumento, ſuorum in me meritorum, & meæ in illum obſervantiæ perpetuam recognitionem profiterer ; quandoquidem majus aliquid, quod ei præſtarem, non haberem. Juvaſſet ſcriptis intexere omnem ejus præcedentem vitæ ſeriem, quibusve ſtudiorum gradibus ad tantum doctrinæ culmen eſſet evectus, ut ſic a cunctis querendus ac deſiderandus in exemplar ævi præſentis tranſiret : me præcipue, qui illum & publice & privatim quantum admirabar, tantum diligebam & obſervabam, propoſuiſſe ſtudiorum ſuorum ſemitam tanquam ſpeculum : quum ad ſummum litterarum apicem ſpecularer, & ſi non tam alte ſcandere unquam poſſem, ut ſaltem hisdem gradibus inchoarem aſcenſum. Sed heu! fati neceſſitate compulſus,. quæ ego hilarius & exultantius dicere conceperam, nunc ſummiſſius atque moleſtius in funebrem moeſtam ſqualentem & omni ex parte circumciſam orationem convertere, & quaſi epicedion deplorare compellor : Non omittam tamen ſic urgentibus fatis ; quin ea quæ lætioribus & abſolutioribus verbis

verbis celebranda fuerant, his remissioribus & hac parentali oratione complectar. Vereri etiam debui me non magnam hodie in dicendo expectationem habere, quod nullum vos patres novum audituros, sed tantum vetera in hoc viro recognituros existimetis: cujus vitæ actiones, & singuli studiorum progressus nobis jam diu innotescunt: cum in vestris academiis versatus, in vestris quoque manibus creverit: Sed eo plus fidei me consecuturum spero, quod ego inprimis maxime desidero: quanquam nec obesse debeat gratiæ orationis, quod de eo eloquar, quem unum intus & in cute cognovistis. Nam sicuti in imaginibus & picturis gratiores illæ sunt, quæ agnitos & viventes, referunt & effingunt: in quibus rugas & singula oris lineamenta rimari & dignoscere possumus, ac si præsentes intueremur: ita verbis meis dum hominis hujus notam imaginem depingo, non tam recensere quam nobiscum præsentes ut viventem recommemorare videbor. Attingam Hieronimi Torti præsagia futuræ probitatis atque præstantiæ, & litterarum rudimenta a teneris ferme unguiculis repetita. Dehinc studiorum prætextum & singulos discipli-

narum gradus cum mirifico incremento & felici exitu ſubjungam. Poſtremo quantum legendo docendoque profecerit, & quantum inter noſtræ & ſuperioris ætatis togatos excelluerit ſubnectam. Inde liquebit, quantum ſplendoris & ornamenti huic regiæ civitati Ticinenſique gymnaſio adjecerit: Utar tamen ſermonis compendio & pro rerum dignitate, quantum potero, frugali brevitate, cum non hiſtorico cothurno: ſed pedeſtri eloquio progredi in præſens expediat. Nec exequar Tortæ familiæ ortum aut ſeriem, nec cognatorum propinquorumve neceſſitudines aut varias affinium clientelas, cum nihil externum ſed quod totum Hieronimi virtute conſtet, per veſtrum omnium expectationem differendi hodie propoſuerim. Natus eſt Hieronimus Tortus ex oppido Caſtrinoui Tranſpadario municipio Terdonenſi ſplendido, honeſtis ſed modicis proventibus familia vetere & honorata; humili tamen tenuique fortuna. Ejus infantiæ non ignobile augurium accidiſſe parentes ſui pueris nobis narrare ſolebant. Ego vix unquam adduci potuiſſem, ut crederem; niſi me multa clariſſimorum virorum exempla noviſſent; Dum infans faſciis

fasciis involutus in cunis jaceret, capite denudato: & nutriculam forte abesse contingeret, supervolavit ales virentem ramulum gestans, quem ori infantuli leniter admovit, & caput alis circumtegens blande puerum confovebat; Tantæ rei novitate ac miraculo nutrix attonita infantulum gravi cum sollicitudine observabat: verita ne alitis unguibus læderetur. Sed dum illæsum ales aliquandiu fovisset, evolavit, sublato ramo, quem in altum extulit, quantum oculis mortalium spectare fas fuerat. Eo augurio parentum animi in spem eriguntur, quod hunc aliquando litteratura florente ad coelum usque transgressurum ales illa ominaretur. Nec parentes quamvis rudes auspicium fefellit; Fit enim sæpenumero, ut inter prima infantiæ cunabula nonnulla futuræ probitatis signa deprehendantur. Midæ puero dormienti formicæ in os grana tritici congesserunt; parentibus quorsum prodigium tenderet, explorantibus augures responderunt, omnium illum mortalium futurum ditissimum, nec vana prædicatio extitit; Nam Midas cunctorum pene regum opes abundantia pecuniæ antecessit: Platoni infantulo in cunis dormienti circum volantes apes par-

 vulis

vulis labellis dulce mel intulerunt : & quasi dulcissima eloquentiæ libamenta instillassent, prodigiorum interpretes singularem eloquii suavitatem ore ejus emanaturam prædixerunt. Qua die natus est Alexander Macedo, duæ aquilæ tota die præpetes super culmen parvæ domus resederunt, omen duplicis Imperii Europæ & Asiæ præferentes. Nec minus felicia in divo Ambrosio prodigia apparuerunt, nam cum infans dormiret, subito examen apum advolans faciem ejus atque os complevit, ita ut ingrediendi egrediendique frequentaret vices: & post aliquamdiu volitantes, in tantam aëris altitudinem sublevatæ sunt, ut humanis oculis minime cernerentur. Quo facto territus pater, si vixerit, inquit, infantulus, aliquid magni erit. Non desunt etiam ex grammaticis qui contendant, Maronem poëtam Mantuanum Virgilium a virga cognominatum, eo quod Maja puerpera per quietem somniasset, se lauream virgam parituram, quæ ad cœlum usque pertingeret. Sic Virgilium enixa est, qui de altis cantando cœlum attingere creditus est. Hæc prima infantiæ auspicia, quæ summum litterarum culmen ac fastigium Hieronimo pollicebantur, tantam paren-

tibus

tibus ſpem attulerunt, ut, quamvis angu-
ſtia rei familiaris urgerentur, omni ta-
men opera elaborandum proponerent,
quo Hieronymus præceptoribus erudien-
dus traderetur. Vix prima infantiæ curri-
cula egreſſus in rudibus litterarum cuna-
bulis ardens diſcendi deſiderium aperte
daclaravit. Non enim paterna monitio-
ne non maternis illecebris, non præce-
ptoris aculeis impulſus, ſed propria ani-
mi vi & quodam quidem naturæ præſagio
ſuccenſus, ad litteras quotidie ardentior
reddebatur. Argumenta profecto haud du-
biæ ſpei futuræque præſtantiæ in tam te-
nello ingenio ſic ſponte ad ſcientias anhe-
lanti. Quemadmodum enim equi gene-
roſiores habentur & ad curſum meliores,
qui ſine calcarium ſtimulis aut flagellorum
plagis dato ſigno protinus exiliunt: ita
adoleſcentuli, qui ſine ſtimulis, vel ullius
admonitione ultro ſe alacres ad litteras
conferunt, ad virtutis opera præclare nati
cenſentur. Affectus mira diſcendi volu-
ptate, ſic quotidie proficiebat, ut non tam
diſcere, quam reminiſci videretur: nec
quæ ſolum a ludimagiſtro tradebantur fa-
cile aſſequebatur: Sed ex his proprio co-
natu plura concipiebat. Sic fœcundiores
ſulci

ſulci non modo, quantum ſeminis exceperint, reddunt, ſed cum multiplici fœnore abundantiſſimam frugem producunt. Præcox ejus ingenium laudis & gloriæ æmulatione inſtar lætæ ſegetis uberes quotidie fructus cum mirifico incremento proferebat. Super annos, ſuperque ætatem proficiebat, cum non parva incolarum, quam cum noſtratium admiratione: fulgebat jam in puero indoles virtutum, & jam fœcundi doctrinarum fructus emergebant. Agebat annum ætatis vixdum undecimum, cum jam neceſſaria omnia grammatices fundamenta jeciſſet; Erat parentum & cognatorum conſilium, eum Juris ſtudio dicare, ſpe immenſi quæſtus, ſed terrebantur nimia impenſa & graviore quam exiguæ illorum facultates ferrent. Itaque philoſophiæ primum initiatus eſt, in qua minore ſumtu & breviore tempore illum facile profecturum, ſperarent: Ingenii præterea acumine hisdem artibus accommodatior videbatur; cum jam nonnullas dialecticorum argutias & pleraque logicalia ſophismata calleret. Anno evoluto parentes pœnitentia ducti, eum ad auriferas leges retulere. Dolebant tantam ingenii ubertatem eo conſumi, unde tenues

quæſtus

quæstus emergebant. Videbant Juris Professoribus omnia (*d*) ad nutum suppetere & aureas leges aurea tecta, fundos, preciosam suppellectilem & immensas facultates conferre; quibus etiam parentum & cognatorum necessitatibus succurri possit: Juri itaque Cæsareo ascriptus legales libros insatiabili discendi cupiditate revolvens, in ipsis studiorum exordiis non contentus literali sensu, quem adolescentuli juniores observant, interiorem & abditum nucleum eruebat: Legum causas acutius inquirebat & fundamentalem juris rationem in ipsis usque radicibus accurate perscrutabatur: vix prima legum libamenta attigisse creditus lectores quotidianis interpellationibus lacessebat: ea mentis acie ferebatur ut quotidie aliquid supra annos attingens: virtute propria ætatem præveniret. Efferrebatur inter æquales, clariusque explendescebat, quam generosi condiscipuli æquo animo ferre possent. Semper aliquid acutius rimabatur, cui aliorum ingenia non accedebant

(*d*) Mayno certe maxime lucrosam fuisse juris scientiam, Bælius nos edocet in Diction. T. III. f. 1880. art. MAINVS.

debant. Mirabantur Doctores in puero ingenii acrimoniam, arguendi subtilitatem, respondendi, resistendi vehementiam. Stupendo ingenii acumine abstrusa & abditissima quæque penetrans, novas quotidiè & inexcogitatas difficultates afferebat, quibus ipsi etiam præceptores sæpius animo cogitabundi hærebant. Expurgata tirocinii rubigine, deinceps summos legis apices pertractans, in tantam nominis claritatem emersit, ut non modo *in* hac Ticinensi academia numinis *loco inter* scholasticos coleretur, sed absentibus notus, & litterarum præstantia ab exteris dilectus, multorum testimonio ac prædicatione extollebatur.

Anno fere studiorum suorum tertio publicum disputandi ac repetendi munus obiens, sic memoriæ tenacitate adjutus est, sic ingenii ubertate feliciter usus, ut circumsedentibus omnimodæ doctrinæ togatis quam plurimis non minorem virtutis æmulationem quam præstantiæ admirationem reliquerit. Ex hac regia civitate anno studiorum suorum quinto Ferrariam se contulit : ibi convenerant præstantiores totius Italiæ, vel potius totius orbis Doctores, cura & impensa Nicolai

Esten-

Estensis divi Principis æque studiosorum ac studiorum amantissimi, qui variis pollicitationibus magisque stipendiis viros in litteris excellentes undique conquisierat. Nactus Hieronymus pulcherrimam virtutis ostentandæ occasionem, non secus animo gestiebat, ac frendens leo, ubi spumantem aprum sibi oblatum videt. Inter confertissimas disputantium acies se medium exhibens, tam acer ad oppugnandum, ad resistendum tam promptus, & callidus, sic facile objecta diluebat, ut, quæ in eum mittebantur, redderentur quasi tela Priami in scutum Pyrrhi. Ubi vero in arguentis morem assurgebat: gravissimas nodosasque difficultates adducebat, quibus quasi machinis admotis quodcunque munitissimum vallum facile expugnaretur.

Si quando labebatur, nobili ira excandescens, fortius resurgebat: quod si vehementius urgebatur, viribus undique collectis quasdam quasi verborum faces admovere, coruscationes effundere, ciere tonitrua & horrendum in lingua fulmen gerere videbatur. Magna de eo inter scholasticos æstimatio, & par cum his, qui legendi muneri præerant, commendatio

datio circumferebatur. Ad quamcunque Juris nodositatem animum studiumque inclinasset, quæ percipi humano ingenio possit: eam tanta cum integritate assequebatur, ut non a præceptoribus eruditus sed aut coelo emissus, aut natus ad eam rem procul dubio videretur. Ex Ferraria triennio transacto Bononiam profectus est, antiquam studiorum parentem: exemplo Socratis, qui varias regiones pro acquirenda sapientia perlustravit: vel Anaxagoræ, qui studiorum causa longam peregrinationem assumpsit: aut Platonis qui discendi cupiditate diversa climata laboriosissime peragravit: vel Apollonii aut Democriti ceterorumque qui literarum ardore varia itinerum discrimina superarunt. Sunt Bononienses, qui homines non ex re aut ex fortuna, sed ut par est, ex sola virtute metiantur. Ubi Hieronymus adeo ingenio & doctrina præstare compertum est, ex Bononiensibus præsertim Malucciis nobiliores eum domi salutare, revereri, honoribus afficere, & demum ad publicum legendi munus magnis stipendiis sollicitare non desierunt. Sed audite Ticinenses Viri, ut vobiscum cæteri audiant: Cum ad studiorum metam tam gloriose ventum esset,

esset; parens filium in patriam reducturus advenerat: non defuerunt ex Bononiæ primatibus, qui ob litterarum cultum & litterati Viri observantiam Hieronymum cum patre ascendentem ex urbe illa comitarentur, & plerique sodalium ad tria millia passuum: considerate vobiscum taciti quantæ fuerit pietatis & venerationis exemplum, & quantus virtutis & doctrinæ splendor? Videte Hieronymum cum antiquo patre, sine ullo famulatu, attrita tunica, insidentem equo gracilento ac strigoso, sarcinulis quibusdam super dorsum equi colligatis, tanto concomitantium nobilium equitatu circumseptum! Increbuit apud Ticinenses Hieron. redeuntis prænuncius rumor: & veluti ex Delphico numen expectabatur. Magna cum fama præcesserat; sed major est inventus. Assumptis ex more doctoreis insulis, qui vix pilum egenis rasitaverat in collegam ascribitur Cathonis Sacchi, Doctoris per omnem orbem celebrati, & inter ætatem suam florentis præcellentisque doctrinæ. Referam ne vel potius mecum admirabor publicas conciones, circulares palæstras, ac quottidianum dissertandi munus? Jucundum est commemorare, sed pulchrius di-

gniusque vidisse duo ætatis nostræ excelsa ingenia mutuo litteris doctrinaque certare, utrumque nominis & famæ æmulatione. Disputabat Hieronymus subtiliter, acute, callide, circumspecte, ut erat illi summum ingenii acumen, a natura disputationibus apprime accommodatum. Ex solo labiorum motu, unde adversarius erumpere, aut quo vellet emergere prospiciebat, sicque illi facile occurrebat: Ipse contrà in arguendo lubricus & incomprehensibilis: ut erat hominis ingenium varium: flexibile: multiplex: Quo magis urgebatur, eo firmior: acrior: vehementior reddebatur. Cum in arctum redactus & quando deprehensus credebatur: per mille diverticula meandrosque effluebat. Posteaquam ad publicum legendi munus est assumptus, quo semper animi ejus vota anhelarunt: cœpit sacrarum legum dogmata, quæ undequaque velut apis operosa collegerat, in publicis subselliis aperire tanta cum attentione, & auditorum frequentia qua ætate sua aut omnes excelluit, aut paucos sibi habuit adæquandos. Docebat magna cum vehementia animi & corporis, accedente omnium sensuum omniumque membrorum dona-

tu:

tu. Imprimebat in audientium animis quæ disserebat: & quasi in intima cordis penetralia immittebat. Pronunciatio ejus in initio remissior, sed in clausularum extremo elevatior, altius, acutiusque desinebat: longos periodos uno spiritu tanquam torrente contorquebat: nonnunquam altius provocante materia, sic incalescebat ut intonare, fulgurare, & quasdam quasi igneas verborum coruscationes faucibus emittere videretur. Ejus doctrina limpida imprimis & distincta: non anxia: nec morosa: sed facilis & expedita: & quæ auditores cum attentione & voluptate alliceret & teneret: Ea dicendorum series: tantus expositionis ordo, ut quæ diceret collocari omnia & animo recondi possent. Argutæ ejus divisiones, accommodatæque distinctiones omnem sermonis ambitum eo traducebant, ut multa rerum copia facile colligeretur. Accedebat incredibilis memoriæ felicitas, ut cum multa variaque sine cunctatione proferret, nec verbo unquam laberetur: Eadem, quum usus postularet, sic ex ordine repetebat, ut nec syllabam omitteret, nec immutaret. Fuit illi par ut intelligendi sic & docendi facilitas. Exemplorum varietate semper mi-

rifice delectatus, res etiam arduas atque difficiles in planum deducebat. Cum autem in nodoſam aliquam difficultatem incidiſſet: tanquam in arcem propriam delatus, legendi voluptate quaſi triumpho efferebatur. Scriptores mutuo concertantes eo ordine adducebat, ut ſæpius non tam lectioni quam bello intereſſe putares: Veteres autores cum eorum præſidiis in primo aditu collocabat: ſic ex ordine ad noviſſimos usque deſcendens argumentorum copias tanquam bellatorum phalanges in planitiem educebat. Ipſe in medio poſitus velut belli arbiter non ad alicujus gratiam vel æmulationem ſententiam quis arma juſtius induiſſet proferebat. Omittam dinumerare varios Juris cæſarei commentarios, quos in ordinarias partes & in veſpertinas lectiones exquiſite & caſtigate elucubravit: argutas diſſertationes: graves & acutas diſputationes, quas dedit. Omnibus patent: per omnium manus, oraque quotidie verſantur. Præteribo innumeras novarum argumentationum ſubtilitates: tot difficultatum quaſi ænigmatum reſolutiones: veros & admirabiles ſenſus legibus accommodatos: quarum quia interior mens erat incerta, in magnos

prius

prius errores prolabebantur. Hoc uno est Hieronymus non minus diligendus quam laudandus: quod veritatis sedulus observator; nonnullorum conatus repressit, qui veritati occurrere annitebantur. Insurrexerant post Christophorum Castilioneum Raphaelles duo, alter Placentinus, & alter Comensis: Ludovicus Pontanus ac plerique noviores: qui contradicendi studio, non veritatis investigandæ, argumenta quædam commentitia & quasdam argumentorum fallacias astruxerant, in veras majorum nostrorum sententias. Illorum astus figmentaque sic Hieronymus confutavit: sic ad humum prostravit: ut veritatem, quæ istorum quasi clandestinis incursionibus & quasi quibusdam cuniculis impetebatur, solidaverit stabiliveritque. Confluebant ad Hieronymum audiendum frequentes scholastici ex omni ferè terrarum orbe ob sui nominis claritatem huc advecti. Laudat antiquitas Gaditanum quendam Livii nomine gloriaque commotum ad eum visendum ab ultimo terrarum orbe Romam advenisse. Innumeri sunt qui ex omni orbe, non modo ex finitimis, sed ex ultimis terrarum partibus ad Hieron. visendum audiendumque con-

 fluxe-

fluxerant. Magna de eo fama ubicunque gentium circumferebatur, quam præsentia sua non imminutam sed adauctam confirmabat. Legati Regum, Principum, ac diversarum nationum, maximis sæpe stipendiis, eum hinc abducere conati sunt: sed soli natali dulcedine captus in hac patria fructificare constituit, in qua Juris elementa percepisset. Ex ejus schola tanquam ex equo Trojano tot præstantes in utraque censura togati viri emersere: non modo qui in hac Ticinensi Academia florent, sed qui inter civitates in foro celebres sunt: & qui Magistratus obeunt: quique in rerumpublicarum administratione versantur: Neminem invenies ex his qui Jura sapere existimantur, qui non diu sit Hieronymi auditorio usus; demum si nostra aut superiora tempora metiaris, eosque consideres, qui in Juris disciplina excelluerunt; vix quenquam reperies quem Hieronymo non modo præferas sed nec conferas. Fuit Hieronymus statura corporis procera & excelsa sed gracili & macilenta, collo oblongo, in pectus inclinatiore, cervice mediocri, temporibus gravis, oculis vegetibus, acie tamen in ævi extremo hebetiore: sed ocularium præsidio succurrebatur.

tur. Reliqua corporis forma satis præstanti, præter crurium gracilitatem, quæ ex adversa valetudine remacruerant. Ejus macilentiam longa abstinentia, assiduis lucubrationibus ac jugi studiorum labore processisse, nemo, qui hominem novit, ambiget: Fuit Hieronymus paucissimi somni: cibi admodum temperati, potusque dilutissimi: quod perspectum haberet; sobrios ac pervigiles ad omnem virtutem quasi nulla sarcina impeditos plus valere. E contra eos qui nimium cibo & quieti indulgent, ingenio hebetes reddi: nihilque esse virtuti hostilius ingluvie & somno. Nec modo in victu parcus, sed & modicus in cultu vestituque corporis, & omni ambitione remotior præter annulos aureos perlucidis adamantibus distinctos, quibus prolixos digitos adornabat: corpus latis fasciis strictissime circumligabat. Ut ea ventris compressione esuritionem depelleret: sicque & inediam diutius ferre & diutius in studiis versari posset. Erat natura pilosus & in iram facile excandescens: sed subito refervescebat. Floruit stupendo ingenii acumine, ad quarumcunque rerum investigationes facili & accurato. Adjutus memoriæ felicitate non modo ad appre-

hendendum celeri & obvia; verum & ad custodiendum tenaci, quam licet a natura solidam accepisset, arte tamen & diligentia firmiorem reddidit. Quo magis præstaret an ingenio, an memoria, non erat facile judicare. Vixit annis septem & quinquaginta, quorum duos & triginta in legendi munere insigniter explevit. Vexabatur arenali morbo, medicique persuadebant ut se a legendi officio subduceret! ne inde sibi mortem consciret: Respondebat constanter vir impavidus, se scholasticorum gratia legendo vitam quam libenter finiturum, existimans pulcherrimum & gloriosissimum lethi genus publica causa occumbere: Quod si superiores Romani viri regii ac triumphales, his qui pro republica obierant, perpetuos honores deberi profitebantur: & Solonis Legibus præclare sancitum perhibetur, eos qui in præliis occubuissent; summis præmiis esse illustrandos multum ac pene immensum est; quod hæc Ticinensis universitas Hieronymo debet, qui pro hujus academiæ ornamento, pro scholasticorum usu legendo sibi mortem asciverit: patiebatur æstus tempore incredibiles cruciatus, & indignissima tormenta, calculis vesicam infestantibus, & urinæ emis-

emissionem prohibentibus: Inter legendum sæpe graves ejulatus emittebant. Vi morbi invalescente longa conflictatione exinanitus tandem ventris profluvio extinctus est. Sed cum se morti proximum agnosceret, & uxorem, filios, ac reliquos circumstantes plenis lachrimarum oculis complorantes cerneret: ut eorum mœrorem coherceret, anxiis ac trementibus ceteris, ipse impavidus & constans alios ad patientiam adhortatur: ferendum esse forti animo quicquid fati necessitas jubet; Uxorem & dulcissimos filios amplexus, matrem liberis, & liberos matri commendat: obtestaturque uxorem, quam unice dilexerat, ne se lachrimis conficiat: sed casum patie ferat, seque recreet & consoletur dulci recordatione vitæ quam honeste & virtuose simul egissent. Hæc effatus, munitus crucis signaculo, e vita leniter excessit, quiescenti quam defuncto similior. Doleo virum maximum & in Cæsarea legalique censura præstantem eripi ex oculis nostris: nescio an similem visurus. Multi alto & excellenti ingenio consurgunt, sed hoc consummatæ virtutis jam frui licebat. Erat Hieronymus non modo longiore vita, sed pene immortalitate dignus. Non ab

re Theophrastus accusasse naturam legitur, quod cervis & cornicibus vitam diuturnam, quorum nihil interesset; hominibus vero, quorum maxime interfuisset, tam exiguam dedisset: quorum si ætas posset esse longior omnibus perfectis artibus erudirentur. Recto ordine Dii immortales contulisse viderentur, si saltem viros virtute præstantes usu longioris vitæ condonassent. O nimium celeres bonorum, hominum dies & virorum optimorum citata curricula! quibus nullis artibus, nullis virtutibus nulla denique potentia occurri potest! Acerba equidem, ut Plinius junior scribit, & immatura mors eorum est, qui immortale aliquid parant: Nam qui voluptatibus dedicati in diem vivunt, vivendi causas quotidie finiunt: qui vero posteros cogitant, & memoriam sui operibus extendunt: his nulla mors non repentina est, ut quæ semper inchoatum aliquid abrumpat. Sublatus est morte Hieron. Tortus non unus ex pluribus, sed inter innumeros rarior phœnice cujus similem ne dicam in legali philosophia superiorem, nec præsentia nec forte futura secula inspectura sunt. Quemadmodum posteriore Scipione domi interfecto, Q. Metel-

Metellus palam exclamavit; Romanæ urbis mœnia concidisse; ita sublato hoc præcipuo litterarum cultore litteratorum domicilium corruisse collachrimandum est. Policratus solem e cœlo cecidisse commemorat, quando Plato rebus excessit humanis. Sic lucernam Juris extinctam deflebunt: qui ad thronum sapientiæ, quem Hieronymus diu possederat, sua studia deferent: verum si rationi & non passioni obtemperare voluerimus, hanc non omnino mortem vocabimus qua tanti viri mortalitas magis finita est quam vita. Vivit, vivetque semper & latius, in memoria hominum & sermone versabitur: Occidit quasi semper victurus. Nominis celebritate & scriptorum suorum perpetuitate immortalitatis gratiam consequetur. Mors illis terribilis est, ut inquit Cicero, quorum cum vita omnia extinquuntur; non his, quorum laus emori non potest. Ea lege omnes nati sumus, ut naturæ tandem sit concedendum. Irrevocabilem mortis necessitatem æquo animo feramus oportet. Nam ut privatis utilitatibus publicas, ita mortalibus æternas anteire necessarium est. Ex hoc corporis domicilio tanquam e carcere unicuique migrandum

dum est; in hujus mundi fugacis ac lubrici possessionem tanquam inquilinos natura nos mittens commorandi duntaxat diversorium dedit: Homo vitæ commodatus est, non donatus: Vita hominis cum mortis excitatione concessa est: quam timere fragilitatis est, non rationis. Stultum est timere quod evitari non potest: Sicuti impossibile est mori quempiam qui non vixerit: ita vivere quenquam, qui non sit moriturus. interrogatus Secundus philosophus, quid esset homo? graviter respondit: Homo est mancipium mortis; transiens viator: parvi temporis habitaculum. Sapientis est, non vereri, quod indubie futurum sit: & quod, velimus nolimusve, longius abesse non possit. Nec aliam meliorem esse philosophiam, Pythagoras Samius & Plato testantur quam crebram mortis meditationem, nitentem quotidie animam de carcere corporis educere in libertatem. Tota philosophorum vita, ut inquit Cato, commentatio mortis est; is ergo vitam æqua lançe pensabit: qui non immemor fragilitatis humanæ, vana caducaque esse mundana omnia cognoscet: quæ tam brevi fine clauduntur. Nihil est tam angustis terminis

cir-

circumſeptum quam hominis vita. Merito regiæ Xeris lachrimæ efferuntur, qui cum tam immenſum ejus exercitum quinquies decies hominum millibus comparatum ex loco excelſo oculis luſtraſſet, illachrimavit, quod tot centenis millibus tam brevis immineret occaſus. Brevis a natura data nobis eſt vita: ſed memoria bene actæ vitæ ſempiternam reddimus. Enitamur, dum vita ſuppetit, ut ſtudiis, vel alia virtutis actione, noſtri memoriam profe-ramus: Id agamus quod nos poſt cineres vixiſſe teſtetur: Obſervemus Hieronymi veſtigia, & nobis pulcherrimum bene inſtitutæ vitæ proponamus exemplum: nobilis litterarum commercii & precioſæ doctrinarum ſupellectilis non modo fructum gloriamve, dum in humanis ageret, reportabit: ſed ſibi poſteriſque illuxit, æternitatis gratiam conſecutus. Dum hæc regia civitas ſteterit: dum Academia Ticinenſis florebit, dum litteræ ſtudiaque colentur, immortalis ſemper per omnium ora cum multa celebratione volitabit. Ad laudem ſummi & æterni DEI! Amen!

Habita Papiæ. In Ecclesia fratrum minorum per me Jaſonem de Mayno Mediolanenſem Juris utriusque Doctorem tertio Idus Augusti Anno a natali Christiano Milleſimo quadringenteſimo Octuageſimo quarto.

VII.

VII.

Regiæ Majest. Angliæ &c. Mandatorum Epitome, (a) ex præscripto, ad subditos suos, tam sacris addictos, quam Laicos.

Ex Anglico sermone in Latinum conversa.

REx Consilio Avunculi sui, D. Ducis Somersethi, protectoris Regnorum, & assensu Senatus, præcipit subditis observandos subsequentes Canones seu Articulos, partim autoritate clarissimæ memoriæ, Regis Henrici Octavi conditos, partim nunc per Regiam Majest. assertos, ut averruncetur tandem hypocrisis, & sacrorum abusus, & suppullulet vera Religio, per omnes suæ Majest. ditiones.

1. Diaconi, Archidiaconi, Pastores, Vicarii, & cæteri Ecclesiastici ordinis viri, integra fide observabunt, & quoad ejus fieri poterit, observari curabunt, tam decreta abolendæ Papisticæ tyrannidi, quam confir-

(a) Ut instituti mei rationem servem, adjicio duo rariora opuscula, olim jam typis exscripta, quæ itidem Bibliotheca Perillustris Domini de Krafft mihi suppeditavit.

confirmandæ Regiæ jurisdictioni, eique meræ, in Anglicanam Hibernienſemque Eccleſias. Deinde ſacris operati omnes animarum Paſtores ſincere & candide quater ſaltem in anno exponent pro concione, poteſtatem Papæ affectatam, nullo legis divinæ fundamento innixam, abrogatam fuiſſe & extinctam juſtiſſimis de cauſis, ac proinde nihil obligatos illi, ſoli Regi præ cæteris Orbis Principibus, ut ſupremo Capiti mox a Deo, adhærere ac morem gerere debere. Præterea ut extirpetur radicitus ex animis hominum ſuperſtitio, delebunt obliterabuntque Idolorum cultum, miraculorumque fidem elevabunt, a ſolo Deo, autore omnium, jugi precum interceſſione valetudinem & beneficia ſolicitanda, adfirmando.

2. Iidem viri facient aut fieri curabunt, quater ſaltem in anno, concionem pure Chriſtianam in ſuis quisque Parochiis, exhortantes ad fidem, gratiam, & charitatem, ſuos auditores: quodque opera ſub dolis ingeniis excogitata, de peregrinatione, pecuniæ oblatione, cereorum accenſu, deoſculatione imaginum, & ſphærulis precatoriis percenſendis, interdicta ſint paſſim divinis ſcriptis, nedum proficiant nihil.

3. Ima-

3. Imagines miraculorum nomine petitas, illi ipsi (non privati homines) abolebunt, neque permittent eas facibus, candelis, lychnis, aut cereis imagunculis adorari: accensis in suprema ara duabus tantum candelis ante Sacramentum, quæ relinquentur in indicium, quod Christus sit vera lux mundi: addita admonitione quod imagines fuerint umbræ solummodo ac monumenta vitæ ab illis sancte actæ, non tamen mereantur cultum: ubi in piaculare Idololatriæ crimen impingitur.

4. Iidem diebus festis, quibus non habetur ad plebem concio, mox ab Evangelio recitato, clare & articulate præibunt Anglicana lingua Dominicam Orationem, Symbolum Apostolicum, & Decem legis præcepta, quo memoriter ea vulgus ediscat: exhortando parentes & patres familias, eadem ut pueris famulisque identidem instillent.

5. Parentibus, Pædagogis, præceptoribusque hanc quoque curam impriment, ut a primis incunabilis, liberos suos famulosque literis mancipent, aut liberali cuipiam artificio, vel matrimonio dedicent, dissuasores inertiæ & otii, malorum omnium fontis, & vitiorum seminarii.

6. Uti

6. Uti ſatagant quam maxima cum reverentia, ut adminiſtrentur Sacramenta. Deinde ut juſta quapiam de cauſa abſentes a ſuis Eccleſiis, ſufficiant viros bonos, vitæ ſanctimonia & eruditione conſpicuos, niſi in naſſam ſeſe ipſi involvere velint inextricabilem: & ne tam ſuis ſtudeant commodis, quam animarum profectui.

7. Ut intra trimeſtre ſpacium ab hac viſitatione, comparent Biblia Anglica in ampliſſimo volumine: atque ante exactum annum, Paraphraſes Eraſmi in Evangelia Anglice redditas, collocentque utrumque opus in ſuis Templis loco accommodo. Precium librorum ex æquo perſolvent Parochus & ſubditorum grex. Exhortabuntur ſuos ad lectionem Bibliorum, & Scripturæ ſacræ, ut vivi verbi Dei, & ſingularis animarum alimoniæ: unde melius cognoſcent obſervantiam Deo, Regi, & proximis debitam. Deinde interdicent etiam Regis nomine, contentionis ſtudium inter legendum: quin potius ut legentis verba pronis auribus accipiant, autores erunt.

8. Nunquam, niſi honeſta exigat neceſſitas, œnopolia frequentabunt, aut cerviſia-

rias tabernas. Itidem a ſumpto cibo non dabunt ſe comeſſationi aut ocio, aut ludis aleatoriis: Sed per ocium legent aliquid audientve e ſacris libris: aut honeſto in negotio occupati erunt: apud animum quisque ſuum cogitantes, quam debeant aliis præſtare vitæ puritate, & exemplum vitæ innocenter Chriſtianeque actæ vulgo præbere.

9. Quadrageſimæ tempore examinabunt confitentes omnes, an calleant Fidei articulos, precationem Dominicam, cum Decem legis præceptis, & poſcent etiam a ſingulis eorum omnium recitationem, declarando, Chriſtiano homini ea eſſe tenenda prius, quam ad Sacroſanctam Synaxin accedant, alioqui ineptos eſſe adeundæ menſæ Dei, absque abſoluta eorum cognitione pariter & integra voluntate obſervandi: quod ſi faciant, periclitari eos de animæ ſalute, & infamia publica in poſterum.

10. Ne permittant quosvis promiſcue in ſuis Eccleſiis concionari, ni ſint idonei ſubeundæ illi provinciæ, admiſſique vel a Rege, vel Prorege, vel Cantuarienſi Eboracenſive Archiepiſcopis, vel illius Dioeceſios Epiſcopo.

11. Si

11. Si commendarint antehac unquam apud suos peregrinationes, reliquiarum aut simulachrorum cultum, candelarum accensiones, deosculationes, ingeniculationes, & integendi simulachra studium, ejusque generis superstitiones, horum omnium palinodiam publice canent, damnabuntque suum errorem, profitentes se ductos fuisse publico omnium errore & abusu, qui occultis cuniculis in Ecclesiam irrepserat, astu & avaritia eorum qui luculenta inde emolumenta senserant.

12. Quod si cognorint uspiam, qui obicem struat profectui Verbi divini, aut impediat sinceram Evangelii annunciationem, aut horum mandatorum executionem: aut faveat Romani Pontificis fictitiæ potestati, legibus Regni justissimas ob causas damnatæ & abolitæ, istius nomen referent ad Regem, Consiliarios, aut proximum Prætorem, Ditionisve Judicem.

13. Quilibet Pastor cum suo grege toto quaquam patet Regno, servabunt syllabum sive catalogum omnium toto anno matrimonia contrahentium, infantium baptisatorum, & funerum, annotando diem

 ei rei

ei rei proprium, & nomen cujusque. Cui volumini tuendo comparabitur publico ære arca bene munita duplici sera, & binis clavibus: quarum una erit penes pastorem, sive Vicarium: altera penes Æditυos, seu templi Præfectos.

Hoc volumen singulis diebus Dominicis explicabitur coram utroque Æditυo, vel altero saltem, & adnotabit præteritæ hebdomadæ matrimoniorum, baptismorum, funerumque nomina: quo facto, repositorio iterum includetur. Quotiescunque vero alterutrius partis incuria omissum istud fuerit, quadraginta denarii mulctæ nomine pendendi erunt, in usum pauperum illius Parochiæ.

14. Quum Ecclesiæ bonorum nomine censeantur pauperum bona, nihilque minus observari videamus hac tempestate, quam ut inde foveantur, alanturque egeni, sacrificiorum omne genus, quod censum quidem habet Ecclesiasticum, & e sacerdotiis vivit, non tamen in loco beneficii degit, cujus proventus annuus æquat vel superat libras vicenas, de cætero in egenos illus Parochiæ dispartietur quadragesimam redituum suorum partem

tem coram Ædituis, aut integræ famæ quopiam ex ea ipsa Parochia: nisi notari velint meritæ ingratitudinis, qui quadragesimam portionem egenis e tam lucroso sibi & proficuo sacerdotio decidere nequeant.

15. Atque ut lætior sit uberiorque doctorum hominum proventus, Sacrifici, Clerici, aut sacerdotia habentes, quibus centum annuæ redeunt libræ, numerabunt uni studioso commodum stipendium in Oxoniensi aut Cantabrigensi gymnasiis, aut alio quopiam pædagogio: ita ut pro singulis librarum centuriis, totidem studiosis stipem persolvant: qui literis exculti, patronorum humeris incumbens onus fulcire & levius reddere, vel concionibus, vel alio officio quopiam, aut (si postulet necessitas) Remp. consilio & prudentia juvare poterunt.

16. Iidem habentes in hoc decanatu templa, ædiculas, sacraria ruinosa & lacera, æquam portionem in tuendis illis sartis tectis in posterum quotannis dependent.

17. Iidem singulis anni quatuor partibus, semel aduocata concione legent di-

ſtinctè haſce præceptiones, quo & ipſi ſui officii admoneantur, & ſubditi fidelius ſequantur.

18. Quoniam ex lege quisque tenetur anniverſaria nomina perſolvere, nemo defraudabit ſuum Paſtorem aut Vicarium, recepta de more ſtipe. Quod ſi quid vitii aut maculæ in ſuis Vicariis cauſentur ſubditi citra malevolentiæ ſuſpitionem, referent iſtud ad ſuperiores Magiſtratus, quorum cura erit proſpicere *iſtiusmodi* querelas, easque componere.

19. Nullus immutare eſurialium feriarum, precum, aut ſacrorum rationem præſumat in aliam formam, quam in hiſce præceptionibus exponitur, ad id usque tempus, quo ex autoritate Regia ea ratio mutabitur.

20. Item ſacrifici quicunque tandem, ad gradum Baccalaureatus in Theologia nondum provecti, ante tertium ab hac viſitatione menſem, comparabunt de ſuo Novum Teſtamentum, tam Latinum quam Anglicum, cum paraphraſi Eraſmi, diligenti ſtudio utrunque conferendo: Ubi ea requiretur ab Epiſcopis eorumque

Syndicis

Syndicis delegatisque cura, ut prædictos sacrificos in conventibus suis examinent quid in sacræ lectionis studio profecerint.

21. Præterea in singulis Ecclesiis, qui dictat cantatve summum sacrum, leget aut legenda clara voce curabit Epistolam & Evangelium ejus diei Anglico sermone, non Latino, in pulpito aut loco idoneo, unde populus exaudiat. Deinde quolibet die Dominico Festoque, clare & articulate eodem in loco pronunciabitur Caput unum e Novo Testamento Anglice, statim a Lectionibus (quas vocant) recitatis: itidem in Vesperis post Deiparæ Virginis Canticum (Magnificat dicitur) Caput unum e Veteri Testamento. Proinde ut commodissime ista fiant, visum est Regi, de novem Lectionibus tres summoveri cum suis Responsis: Rursus in Vesperis Responsa cum Memoriis universis omitti.

22. Quoniam ægri de vita periclitantes, sæpenumero artibus impediti & suggestu Dæmonis in desperationem prolabuntur, huic nefando malo occurrendum est. Itaque quo fidei imbecillæ homines,

& ſolida fiducia defecti, participare queant infinitam omnipotentis Dei Miſerationem, nullis noſtris meritis impenſam, omnibus in eo certam ſpem collocantibus benigne oblatam, dicti ſacerdotes ediſcent atque habebunt in promptu conſolatorias ſententias, e ſacrarum literarum penu congeſtas, quæ inſinuant miſericordiam, beneficia, & benignitatem Dei erga pœnitentes, ut urgente neceſſitate vivo Dei verbo, unico conſcientiarum adminiculo, gregem ſuum conſolentur.

23. Præterea uti tollantur contentiones, quæ inter oppidanos ſolent ſurgere de principatu digniore que loco in publicis pompis, utque fructuoſius lecta aut cantata audire poſſint, abrogantur pompæ circum ædes ſacras & cœmiteria. Cæterum ſacrifici cum ſuis choroſtatis ante ſummum ſacrum in medio templi in genua procumbentes canent pronunciabuntve clara & articulata voce Supplicationes, Litanias nominant, Anglicè editas cum ſuffragiis inſequentibus: reliquis omnis generis proceſſibus ſeu pompis miſſis factis. In cathedralibus collegiatiſque Eccleſiis loci huic inſtituto per Regios Commiſſarios deſignabuntur.

tur. Deinde, quum obeuntur Litaniæ, sacrum summum, concio, & lectio ad populum è sacra scriptura, nemo, nisi justissima de causa, subducet se è templo: quo toto tempore campanarum & tintinnabulorum strepitus cessabit, præter unius nolæ pulsum ante concionem.

24. Quemadmodum profani dies dicati fuere laboribus, quibus victum quæreret plebs: ita festus dies à primordio sanctè fuit institutus, quo Deo vacaret eadem à curis libera. Nunc cùm feriis magis irritetur quàm placetur ira numinis, ob ocia, fastus, temulentias, jurgia, altercationes, iis diebus pene peculiaria vitia: atque interim vulgus hominum satis fecisse se Dei cultui, auditis sacris, existimet, de cætero fideles Regis subditi festos dies celebrabunt, quem in modum Deus voluit, audiendi Verbum Dei, prælectum pariter, & expositione illustratum: publicis privatisque precibus: confitendo sua delicta Deo: vitam emaculando: reconciliandis sibi proximis, cum quibus simultas fuit: frequenter corpus Dominicum sumendo: visitando inopes & ægros: sobria vita: colloquiis de rebus divinis. Nihilominus docebunt Pastores citra morsum

conſcientiæ diebus etiam feſtis meſſem facere, & tueri dona Dei poſſe: ac graviter offendere Deum, ſi cum ſcrupulo ſuperſtitiosè in hujusmodi diebus à labore ſuperſedeant.

25. Quandoquidem inimicitiæ ſumme exaſperant Deum, & inprimis repugnant ſacroſanctæ Communioni, ab ea excludet Paſtor, quos norit palam & peſſimo exemplo diſſidere, donec depoſita ſimultate in gratiam mutuo redierent: cauſas tamen & *jus* quiſque ſuum liberaliter proſequi poterit apud Magiſtratus, audiendis injuriis componendisque diſſidiis inſtitutos.

26. Decani, Archidiaconi, Præſides Collegiatarum Eccleſiarum, Xenodochiorum Magiſtri, Præbendarii, quotquot ſacris ſunt initiati, bis ſaltem in anno, locis unde titulum præferunt, aut in Eccleſia, in quam Jurisdictionem prætendunt, concionari ipſimet debebunt.

27. Docebunt non eſſe violandas aut infringendas obſtinate & pervicaciter laudatas Eccleſiæ Ceremonias, per Regem confirmatas, ac nondum abrogatas: Rurſus incurrere præſens animæ ſalutis diſcimen, qui ſuper-

superstitiosius æquo iis abutuntur, cujusmodi sunt: aspergo aquæ lustralis in lectos, simulachra, aliasque res inanimes: gestatio panis sacrati, aut Evangelii Joannis: cruces è ligno fingere in die Palmarum, aut inter legendum passionem Dominicam: observatio privatorum festorum, à fabris, pistoribus, calciariis observatorum? sonitus campanæ sacræ aut cerei sacrati benedictio: quarum ceremoniarum beneficio liberari à sarcina peccatorum, dæmones fugari, spectra procurari persuasi sunt: aut spem recuperandæ valetudinis in iis collocant. Itaque gravissimè Deum offendunt, dum aliorsum ista accipiunt, quàm fuerint instituta, nempe in memoriam beneficiorum à Christo acceptorum.

28. Tollent demolienturque capsulas, urnas sacratas, tabulas, candelabra, cerea involucra, picturas, imagines depictas, & id genus alia monumenta miraculorum fictitiorum, peregrinationum, Idololatriæ, & superstitionum: Sic ut ne memoria quidem istorum extet reliqua in parietibus, vitreis fenestris, tam intra penates suos, quàm templa: Quod factum ut in suis quisque ædibus imitentur, autores erunt apud populares.

Vtque

Vtque Aedituo publico ære suggestum construant, pro annunciando Verbo Dei.

29. Vt intra tertium ab hac visitatione mensem, munitam cistam publicis impensis redimant, in superiore parte foramine pertusam, tribus diversi generis clavibus instructam: quarum una penes Pastorem Vicariumve, reliquæ duæ penes Aedituos, aut delectos annuo officio viros bonos erunt. Ea cista firmabitur ante primariam aram, in quam eleemosynas, in vicinos egenos erogandas, conjiciat quisque. Pastor aut Vicarius per occasionem, præcipueque in condendis testamentis, hortabitur studiosè, pro suis facultatibus ut singuli in prædictam arcam conferant: Ac enimverò quum superioribus seculis magnas opes profuderint ipsi eorumque Majores, in alium à divino mandato usum: in Indulgentias, Peregrinationes, Indumenta simulachrorum, Candelarum oblationes, Donationes in Monasteria, ejusque generis frivolas & cæcas religiones: hoc tempore monebit longe propensiores esse debere in sustentandis pauperibus, qui verus est Dei cultus, Deoque acceptissimus. Has eleemosynas qui claves asservant, idoneo tempore coram universo

popularium cœtu, aut saltem sex delectis, fide optima in egenos erogabunt: quibus si sit abundè prospectum, secundariò reparandis viis regiis impendent. Adde huc quod collectitiæ pecuniæ sodalitiorum in eandem cistam affundentur, in eundem usum uti cedant. Item redditus ex agris: lucrum quod ex armentorum pastu colligitur: pecuniæ vim relictæ pro emendis facibus, cereis, lychnis, ad eundm usum devolventur: nisi quod portionem dictorum emolumentorum sarciendæ reparandæque ædi, si ferat usus, impendere fas erit.

30. Sacerdotes cum sint publici Ecclesiæ ministri, debeantque festis diebus toti Parochiæ se dare, non tenebuntur puerperas invisere, nisi periculose laborantes: neque cadavera domo efferre, & cum pompa ad tumulum comitari, priusquam ad cœmiteria perducta fuerint: tum enim humo, pro more, mandare ea licebit.

31. Ut obruatur teterrimum Symoniæ vitium, quo velut institoriis operis mercantur venundantque sacrificia: decernitur, quod qui redimunt ea, aut occultis artibus & imposturis intervertunt, nedum privabuntur, verum etiam declarabuntur

in

in posterum indigni spirituali quopiam gradu. Rursus qui divendunt, aut prætextu aliquo ementito spe lucri ea resignant, amittent jus patronatus, ac donatio cedet Regi.

32. Quoniam præ inopia concionatorum, plebs in altis ignorantiæ tenebris & cæcitate versatur, Pastores Vicariive præibunt legendo quolibet die Dominico in suis Ecclesiis unam ex Homeliis, autoritate Regia prælo traditis, ea ratione quam libri prooemium docebit.

33. Plerique inepti homines ac protervi, despiciunt & male tractant Sacerdotes & Ecclesiæ ministros, eo quod plerique ex illis parum docti, addictiores superstitioni fuerint, quam veritati: de cætro ob munus suum a Deo delegatum, Rex vult & mandat fidelibus subditis, eos amice ac reverenter habendos, præsertim qui Verbum Dei promovere satagunt.

34. Latinæ linguæ imperiti, non alias sequentur preces horarias, quam superiori anno Anglice editas autoritate Henrici VIII. clarissimæ memoriæ Regis. Pædagogi

dagogi primæ juventuti non alium proponent librum. At Latinæ linguæ cognitionem habentes, similiter non alias tenent horarias preces, quam eadem autoritate prælo excusas. Gratiarum quoque actiones in prandio cœnave Anglice dicentur. Nec alia Grammatices institutio pueris proponetur usquam, quam prædictæ autoritatis assensu in lucem edita.

35. Sacerdotes (qui animarum dicuntur) dabunt operam in docenda juventute, legendo pariter & scribendo, ac bonis moribus imbuendo.

36. Quando fiet concio, aut homilia ad populum recitabitur, Primæ (quas vocant) & Horæ omittentur.

Has Præceptiones R. M. tradit sacris Ordinibus, eorumque successoribus, fidelibusque suis subditis observandas, tuendas, sub pœna privationis beneficiorum, alienationis proventuum, excommunicationis, & id genus coërctionum, præscribendarum ex arbitrio Ordinariorum aliorumque Ecclesiasticam jurisdictionem habentium, quibus hoc muneris à Rege impositum est. Regi insuper

insuper placet, ut Prætores operas communicent cum Ordinariis delegatis, quo debita ratione exequantur in hisce Præceptionibus contenta.

Edita per R. M. Annō Domini 1547. Regni Edu: vi. primo. Mense Julio.



EPI-

VIII.

EPISTOLA
PII PAPÆ IV.

Ad

Danielem Archi - Episcopum Moguntinum Electorem,

Qua

Facultatem huic concedit, eligendi & deputandi Catholicos Sacerdotes, qui in Provincia Germaniæ, utramque speciem Catholicis ministrare possint, certis tamen observatis conditionibus

Anno MDLXIV.

Pius Papa IV.

VEnerabilis frater, salutem & Apostolicam benedictionem! Cum sacrosancta Tridentina Synodus, in sessione de sacrificio missæ habita, referendum ad nos esse decreverit negotium, alias in eadem Synodo propositum de usu

ſacri Calicis alicujus Nationis, vel Regni populis concedendo ut id nos conſilium caperemus, quod animabus ipſum calicem petentibus ſalutare futurum eſſe judicaremus. Peracto Concilio, chariſſimus in Chriſto filius noſter Ferdinandus Romanorum Imperator electus, inſigni ſuo & perpetuo pietatis zelo adductus, re prius, ſicut ad nos ſcripſit, communicatâ cum nonnullis præcipuis S. Romani Imperii Prælatis ac Principibus eccleſiaſticis, & dilecto filio nobili viro Alberto *Bavariæ* Duce, genero ſuo, per literas & per oratorem ſuum, diligentiſſime nobis expoſuit; ingens evidensque periculum, quod in Provinciis inclytæ nationis Germanicæ & aliis regnis ac Dominiis ſuis, imminet religioni Catholicæ, ne ibi penitus extinquatur, propterea, quod illæ Catholicorum reliquiæ, tanto deſiderio communicandi ſub utraque ſpecie teneantur ut non pauci jam ad hæreticos ſeſe ob eam ipſam cauſam contulerint, à quibus Catholicæ fidei veritatem abjurare coacti ſunt, & de cæteris, niſi Calicis uſus ipſis concedatur, magnopere, ne idem faciant, atque ita omnes ab eccleſia recedant, verendum ſit. Itaque vehementer nos oravit, obſecravit

& in-

& inſtitit ſuo & ipſius Ducis Bavariæ nomine, ut tot Germanicæ Nationis & regnorum ac Provinciarum ſuarum populis opitulari, pro conceſſa nobis a Domino poteſtate vellemus. Qua eadem de re idem Bavariæ Dux Princeps non genere magis quam pietate inſignis, ac nobilis per oratorem ipſe quoque & per literas diligentiſſime nobiſcum egit, multique præterea doctrina, religione prudentiaque præſtantes Viri nos hortati ſunt. Commota fuerunt perinde ac debuerunt, & penitus concuſſa viſcera noſtra dolore quodam intimo, poſtquam de tot animarum jactura, pro quibus Chriſtus Dominus noſter, precioſiſſimum ſuum ſanguinem in ara crucis effudit, & de tanto ac tam manifeſto diſcrimine, quod Catholicorum reliquiis in illa nobiliſſima natione & dictis regnis ac Dominiis impendet, ex tam piorum Principum & aliorum gravium virorum teſtimonio cognovimus. Huic igitur periculo quod proponitur, pro paſtorali officio cupientes obviam ire & multorum infirmitati paternæ charitatis viſceribus ſubvenire, ne unquam de nobis dici poſſit, tot pereuntes animas a nobis neglectas fuiſſe, & non fe-

ciſſe nos quicquid potuerimus,, ut nutantes confirmaremus, lapſos erigeremus, errantes in ſalutis viam reduceremus. De fraternitatis tuæ zelo, diligentia & circumſpectione confiſi, ſi ita eſſe & ſaluti animarum expedire cognoveris, in quo conſcientiam tuam oneramus, Tibi & iis, qui maturo rectoque judicio ſubdelegabuntur a te, tenore præſentium de poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine facultatem damus, atque concedimus eligendi & deputandi Catholicos ſacerdotes, qui in provincia tua, (exceptis partibus, in quibus chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus temporale Dominium, aut aliquod jus habeat) utramque ſpeciem decenti ordine ſervato, & omni offenſione vitata, quæ oriri poſſet inter communicantes ſub utraque, & ſub una tantum ſpecie miniſtrare poſſint, illum ex devotionis fervore petentibus, dummodo ii, qui illum petierint, cum ſancta Romana Eccleſia communionem habeant, & cum cæteris in rebus fidem ejus doctrinamque ſequantur: tum hoc quoque confiteantur, profiteantur & credant: in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, tam ſub una, quam ſub utraque ſpe-

cie,

cie, verum & integrum corpus Christi esse, nec Romanam ecclesiam errasse aut errare, quæ exceptis duntaxat sacerdotibus celebrantibus cæteros tam clericos quam laicos sub specie tantum panis communicat; Et præterea contriti ac confessi, munere sacramentalis absolutionis accepto, ad ipsam sub utraque specie communionem sumendam accedunt. Ut vero etiam lapsis, si ad gremium matris ecclesiæ redire voluerint, remisso rigore canonum consulamus, permittimus, ut si vere & ex animo resipiscant, erroresque & hæreses in quibus fuerant, apud Te vel subdelegatos abs te detestentur, abjuratio eis secreta sufficiat, injuncta tamen eis pœnitentia salutari; Nisi magis eam abjurationem publice fieri expedire tibi, ipsiusve subdelegatis visum fuerit, quod arbitrio vestro relinquimus, atque ita ab omnibus pœnis, censuris & sententiis, in quas propter hæresis crimen incurrerint, absoluti, & fidelium unitati ac sacramentis ecclesiæ restituti, ipsi quoque ad communionem sub utraque specie admitti possint; Illud fraternitatem tuam monemus & diligenter curare volumus, ac mandamus, ut confessores & sacerdotes, abs te illisve quibus tu hanc potestatem subde-

 lega-

legabis eligendi & deputandi, in concionibus & hortationibus ſedulo populum ſub utraque ſpecie communicaturum doceant, adhortentur & moneant, ut integrum Chriſtum ſicut diximus, tam ſub una quam ſub utraque ſpecie contineri, fideliter credat, confiteatur ac teneat. Datæ Romæ ap. S. Petr. ſub annulo piſcatoris die 16. Aprilis 1564. pontificatus noſtri anno quinto.

Venerabili fratri Danieli Archiepiſcopo Moguntino S. R. J. Principi Electori.

Antonius Florabellus Lavellinus.

IX.

EPISTOLA
JOHANNIS PHILIPPI,
ARCHI-EPISCOPI ET ELECTORIS MOGUNTINI ETC.

Ad Summum Pontificem

DE

Communione calicis concedenda uni Principi, Comiti, Civitati, Domino immediato, reditum ad Ecclesiam Catholicam meditanti, cum certo & evidenti fructu, quæque ad alios non transibit, nisi cum pari fructu.

Addita consideratione Theologi cujusdam Status præsentis Germaniæ gnari.

Beatissime Pater!

FRequenter contingit in Germania nostra, ut quam omnes optant Schismaticorum, & Hæreticorum ad unitatem & veritatem Ecclesiæ Catholicæ reductionem & conversionem, singuli cujuscunque status ac conditions viri docti, opportunitate data vel accepta, conentur promovere.

Cumque populus ad exemplum Principum, Comitum, Dominorum immediate Imperio subjectorum fere componatur, quam semel induxerunt Magistratus, publica authoritate sive toleratam sive firmatam mutationem; inveniunt eminentes doctrina zeloque viri quasi insuperabilem, quousque magis, status non habent faventes, ut iisdem cooperantibus subditi, à sacrilegio schismatis, & malo hæresis liberentur. Principes vero, comites & sub Imperio Domini immediati in hoc maxime hærent, quod quamvis perspiciant sectæ Lutheranæ vanitatem desiderentque antiquum regimen sub uno capite Pontifice Maximo: Nec dubitent de veritate Doctrinæ circa fidem & mores, quæ in Ecclesia Catholica universaliter obtinet, nequeunt tamen sibi persuadere, infirmitate, in dubie humana pressi, ad priorem unitatem Catholicam esse redeundum, nisi cum subditis & populis, quibus præsunt, valeant redire, existimantes se in suo statu non fore securos, nisi subjectis eidem secum religioni addictis imperent. Sibi etiam persuadent, se gloriosius ad caulam Dominicam posse remeare, si benevolentiam Ecclesiæ in calice concedendo experiantur. Non quod sibi persuadeant, utramque speciem

ciem ſacramenti, Neceſſariam eſſe ad ſalutem, vel à Chriſto univerſaliter præceptam, ſed quod exiſtiment, rem eſſe natura ſua liberam, in primitiva Eccleſia uſitatam, quam ſummus pontifex poſſit concedere pro ipſorum ſolatio, ut videantur invitantem beneficio affectum amplecti. Ita putant, ſe poſſe redire ad unitatem Eccleſiæ tanquam ſine dedecore, quod alioquin magnates a ſequenda, veritatis via ſenſuerit retrahere, ita putant ſubditos ſuos haud difficulter ſecuturos. Si videant Dominos ſuos obtinuiſſe beneficium, cujus ſunt participes. Qui diſpoſiti ſunt, ad amplectendam unitatem Catholicam agnoſcunt licitam eſſe ſub una ſpecie communionem quam tempore primitivæ Eccleſiæ fuiſſe in certis caſibus uſitatam, non diffitentur. Videtur tamen ipſis aliqua Catholicorum durities, nolentium indulgere quod poſſunt, quod eſſe conforme, praxi primitivæ Eccleſiæ negari non poteſt, & quod plurimorum reductione, maximoque Eccleſiæ Catholicæ emolumento concederetur.

Mihi certe multoties contigit, pro ea re a Magnatibus interpellari; quibus dum operam meam pro obtinendo petito ad-

dicere, non ſuſtinui, omnem diligentiam meam pro obtinenda converſione, caſſam fuiſſe obſtupui & indolui.

Hæc autem res me movit, ut Theologi cujusdam Status præſentis Germaniæ gnari, conſiderationem poſtularem, quam & hiſce inſerendam duxi Sanctitati S. communicandam, ejusque judicio debita veneratione ſubmittendam.

Conſideratio.

Nunquam dubitatum fuit in Eccleſia, quin ſummus Pontifex habeat poteſtatem concedendi uſum calicis certis Nationibus,

De Conceſſione

Civitatibus & Dominiis; Neque enim licet dubitare, quin ex legitima poteſtate factum ſit quod non ſemel in Eccleſia autoritate publica factam eſſe conſtat. Sed non omnia quæ licent, mox expediunt, videndum igitur, an id expediat in præſentibus Germaniæ circumſtantiis.

Referente Cardinale Pallavicino Hiſt. Concil. Trid. part. 2. cap. 3 lib. 18. fuit quæſitum in Concilio. An concedendus ſit uſus calicis, dummodo qui utantur, profiteantur fidem Catholicam Romanam & obſervantiam rituum, dummodo prædicato-

catores doceant, communionem, sub una specie esse laudabilem, & nisi Ecclesia dispenset, observandam: dummodo obedientiam præstent summo Pontifici, tanquam Capiti Ecclesiæ, aliisque Prælatis dummodo antecedenter confiteantur & abusus per ordinarios præveniantur?

Hæc quæstio, quæ multas habuit in concilio opiniones, tandem unanimi consensu remissa est ad summum Pontificem. Cum enim lex Generalis præcedentium conciliorum non videretur abroganda; Quid in particularibus, circumstantiis esset statuendum, arbitrio summi Pontificis relictum est.

Calicis

In Concilio petita est a Cæsare aliisque Concessio Calicis pro tota Germania & Hungaria, difficilis petitio, quæ Gratiam postulat generalem sine certo fructu, & cum probabili incommodo non uno; quemadmodum in concilio explicatum esse, tradit d. Cardinalis, inpræsenti autem petenda videtur facultas concedendi gratiam istam uni Principi Comiti, Civitati, Domino immediato, cum certo & evidenti fructu; quæque ad alios non transibit, nisi cum pari fructu.

Incom-

Incommoda, quæ ex Generali concessione nata sunt emergere, vel in hac particulari concessione facienda locum non habent, vel tam seria sunt, ut Collato fructu totum pondus elevetur. Præsens petitio agit tantum de Lutheranis ad unitatem Catholicam dispositis, convertendis, facilius reducendis, fortius retinendis: non agit de pertinacibus, hæreticis omni Gratia indignis. Non agit de Catholicis Zelotis & bene instructis, qui illam gratiam non petunt: Non agit de hypocritis, qui fidem simularent, ut gratiam Principum obtinerent. Cum Principes, Comites, Civitates, Domini in Germania sibi sufficiant, eorumque, commodis, in puncto Religionis, pactis publicis plus nimio sit cautum. Et etiamsi inter illos essent simulatores; propter illos tamen bonum communitatis non foret negligendum, maxime, quod etiam talium proles, in fide Catholica educatæ, paternæ simulationis hæreditatem non adeant. Non agitur de debilibus Catholicis, qui prætextu Pietatis utramque speciem petunt, cum illorum persuasio soleat nasci ex errore intellectus, judicantes, utramque speciem esse necessariam, sed unice agit hæc petitio

tio de infirmis in fide, quos ſuſcipiendos eſſe monet Apoſtolus. Agitur de iſtis Lutheranis convertendis quibus nunc quidem perſuaſum eſt, communionem ſub utraque ſpecie non eſſe neceſſariam ex præcepto Chriſti; ſed quibus perſuaderi non poteſt, ut ſub una ſpecie communicent, ſe non indignos ea gratia, quam reditu ſuo ad Eccleſiam abunde compenſent.

Agnoſco, in hoc illos errare graviter neque enim reditu ſuo, ad Eccleſiam tam præſtant beneficium, quod illa gratia compenſetur; quam recipiunt, ideoque magis foret conveniens, ut tamquam pœnitentes; nec non hæreſin, & ſchiſma, abnegantes ac deplorantes Eccleſiæ judicio humiliter ſe ſubmitterent;

At vero ſi hoc facerent, non eſſent conſiderandi ut infirmi in fide quibus præſtetur miſericordia, quia autem & infirmos ſuſcipit pia mater Eccleſia, ſequitur regulam charitatis, quando ſtatuit, nihil omittendum eſſe, quo errantes, ex præcipitiis hæreſum & ſchiſmatis revocati, in viam Catholicæ unitatis & veritatis reducantur: hoc ipſum exiſtimans magnum bonum ſuum, quod mortuas proles ſuas iterato parturiat, vitæ reſtituat, & in ſocietatem

ſancto-

ſanctorum quaſi adoptet. Græcis unitis concedit Eccleſia non tantum diſtributionem communionis ſub utraque ſpecie; ſed etiam multos alios ritus ab obſervantia occidentalis Eccleſiæ diverſos. Adque ſapienter facit exemplo Moyſis, populo judaico varia permittentis propter duritiem cordis, (Cardinal Pallavic. lib. 18. cap. 3.) Ipſa inter Græcos teſtatur experientia, poſſe diſtribui Communionem ſub una & utraque ſpecie in eadem Eccleſia, poſſe diſtribui in azimo & in fermentato, ſine ulla fidelium diſcordia: Card. Pallavic. lib. 18. capit. 2. Imo Græci diſtribuunt panem vino tinctum quod plane diverſum eſt ab exemplo Chriſti (Cardinal. Pallavic. ibidem.)

Quapropter ſi ad reducendos a *ſchiſmate* Græcos exemplum Moyſis intuetur Eccleſia & laudabiliter intuetur, quia ipſa illa reductio eſt velut Conſtitutio novi populi; qui conſiderandus eſt ut debilis & per aliqualem indulgentiam ad obedientiam formandus; videtur ab Eccleſia expectari poſſe par affectus, pro reducendis ab hæreſi & ſchiſmate Germanis.

Neque obſtat, quod nonnulli exiſtiment, Conceſſio convertendis Lutheranis calice,

calice, eandemque gratiam ab aliis nationibus eo fortius petendam, quo sibi magis persuadebunt, eam suæ fidelitati non esse denegandam, quod existiment, concesso Calice, petendum matrimonium pro sacerdotibus; abrogationem imaginum, aliaque similia Card. Pall. lib. 18. C. 4. Quia vel sponte sua cessabit usus Calicis, quemadmodum videmus in iis Germaniæ locis, in quibus olim fuit concessus, vel si non cesset, eodem loco erunt isti Principatus Comitates, Civitates & Dominia, quo Ecclesiæ, Græcæ, in quibus ex illo capite nullum est dissidium.

Et casu quo summus Pontifex eandem gratiam faceret, aliis nationibus, nihil perderet Ecclesia, sed ritum primis post Christum temporibus observatum sine incommodo reduceret, qualem mutationem in aliis quoque ritibus non semel contigisse, testantur Ecclesiasticæ Historiæ.

Neque à Concessione Calicis dabitur progressus ad postulandum matrimonium sacerdotum. Nam præcipuis Protestantium fere displicent suorum ministrorum matrimonia, quos vident ea ratione ad indecorum, pauperiem redigi, & ad opera servilia, quibus panem familiis suis procurent. Isti

ergo

ergo Proteſtantes, ſola conceſſione Calicis reducendi, exemplum fient aliis non petendi matrimonium ſacerdotum.

Habeo etiam ex ore Principis Lutherani late imperantis, & a fide Catholica non alieni ſolam conceſſionem Calicis ſufficere reducendis ad unitatem Catholicam plurimis lutheranis, ut qui de matrimonio ſacerdotum, deſierunt eſſe ſolliciti, poſtquam vident miſerendum ſtatum, ad quem ſui miniſtri ſunt reducti, & perpendunt in melius nunc per Germaniam reducta diſciplina Eccleſiaſtica, decentiam ſtatus ſacerdotalis. Minus a Conceſſione Calicis dabitur progreſſus ad abrogationem imaginum; quod lutherani uſum imaginum hucusque in ſuis Eccleſiis retineant.

Similiter non obſtat, quod forte ex adverſo dicetur; Hæretici triumphabunt & ſpargent, Eccleſiam Catholicam errorem ſuum Correxiſſe.

Quando enim illis defuit materia maledicentiæ, qui ex patre mendaciorum prodeuntes, hucuſque in Calumniis adverſus Eccleſiam Catholicam ſpem omnem poſuerunt! Imo potius contriſtabuntur & tabeſcent Hæretici, videntes Eccleſiam Catholicam prudenti Conſilio, pia compaſſione indul-

indulsisse, quod potuit indulgere; indeque factum esse, quod toti principatus, Comitatus, Civitates, Dominia relicta parte hæretica & schismatica, priori unitati Catholicæ copulentur, consequenter magni faciendus non erit inanis ille triumphus, non solum sine omni victoria, sed post tantam ipsorum cladem, conversis salutarem.

Exemplum præteriti idipsum suadet; Cum enim circa annum sexagesimum superioris seculi Pastores aliquot Catholici in Ducatu Montensi non valerent continere plebem a defectione ad Lutheranismum, nisi Communionem distribuerent sub utraque specie, consulto Illustrissimo Domino Nuncio Apostolico istius temporis, dato Calice, retinuerunt populum in fide & unitate Catholica, illaque loca hucusque in eadem fide & unitate perstiterunt, nesciuntque communionem, nisi sub una specie, vicina autem loca, in quibus similis providentia, non est adhibita, defecerunt, ad Lutheranismum, in quo etiam adhuc pertinaciter hærent;

Similiter in Civitate Marcodurana multis annis licitum fuit, S. Communionem accipere sub una vel sub utraque specie & sic impedita fuit totius ejus Civitatis defectio, ad quam, populus propendebat. Testes

etiamnum viventes declarant, ſe vidiſſe circa annum vigeſimum hujus ſeculi in una Eccleſia Marcodurana diſtribui communionem ſub una ſpecie, in aliá ſub utraque, & tamen diligentia Paſtorum, reducta eſt res ad ſtatum antiquum eliminata diverſitate;

Si talis Conceſſio ſit facta Catholicis, ne deficerent; qui poterant cenſeri ad acceptandam informationem magis idonei; quanto potiore jure, facienda eſt Lutheranis Principibus, Comitibus, Civitatibus, Dominis, quorum ſubditi ex integro ab unitate Catholica defecerunt utique informationis Catholicæ minus capacibus poſſunt quidem ſingulares perſonæ converti per informationes circa Catholicam veritatem; ſed in Germania non vidimus populum ſecutum eſſe, Principis Comitis vel Domini ſui exemplum, quando ex illis fuerunt converſi. Cum igitur varii ſive Principes ſive Comites ſive Domini ſub Imperio immediati unice deſiderent & poſtulent, conceſſionem Calicis; ſpemque faciant redeundi ad unitatem fidei Catholicæ una cum ſuis ſubditis & populis non perſpicio, quæ poſſit ſubeſſe cauſa, cur tantum bonum conceſſione Calicis non promoveatur. Certe Prin-

Principum aliorumque magnatum intereſt plurimum, ut una cum ſubditis ſuæ Eccleſiæ Catholicæ reconcilientur, quod per rationes politicas deducere non eſt mei fori intereſt plurimum Eccleſiæ Catholicæ per Germaniam, ut integri Principatus, Comitatus, Civitates & Dominia Eccleſiæ Catholicæ incorporentur, quod omnes facile perſpiciunt, quibus hodiernus Germaniæ ſtatus eſt notus. Sicut facultatem concedendi uſum calicis commiſit olim ſummus pontifex Illuſtriſſimo Domino ad Tractum Rheni Nuncio Apoſtolico teſt. Card. Pallav. lib. 14. C. 3. vel aliis Epiſcopis Germaniæ, quod & olim contigiſſe ibidem, refertur ita optandum foret, ſi ſummus Pontifex idem nunc committeret, Eminentiſſimæ Celſ.^{mi} S. tanquam Archi-Epiſcopo Moguntino, cum ſimilis commiſſio dicatur prædeceſſori ipſius a ſummo Pontifice impoſita.

Et quidem ſperarem in his circumſtantiis alium longe ſucceſſum, quam per priores Commiſſiones: Non quod exiſtimem aliquid defuiſſe prudentiæ vel dexteritatis in iis, quibus datæ ſunt iſtæ Commiſſiones ſed quod initio hæreſis & ſchismatis, quaſi exulcerati animi, in factiones & diſſidia proni, dexteram medicantem non ferrent, nunc

autem aliter ſe habent plurima; Principibus aliisque, per converſationes cum Catholicis, per lectiones librorum, & ante omnia per gratiam Dei, de reſarcienda unitate Catholica de erroribus deponendis, de veritate amplectenda ſerio cogitantibus. Hi cum frequentes occaſiones habeant agendi cum Eminentiſſima Celſitudine S. in qua non vulgarem habent confidentiam ſi ſpem habeant obtinendi facultatem diſtribuendi Calicis, allaborabunt indubie ut ſuo Exemplo perſuadeant ſuis ſubditis neceſſariam & ſalutarem cum Eccleſiâ Catholica unionem.

Non fuerunt tales circumſtantiæ, a quo inchoatum eſt ſchiſma Lutheranum, uſque in hoc tempus. Pax alta eſt in Germania, apta promovendo Pacis regnó: Animi Principum & Magnatum ad unitatem Catholicam diſpoſiti, qui ſuperveniente bello facillime alienantur, proteſtantibus adverſus Catholicos in unum coeuntibus: Adeſt Eminentiſſimæ Celſitudinis S. eminens autoritas, qua & animos & corda prodeſtantium ſibi habet addicta & faventia, qualem inclinationem pro Electore Eccleſiaſtico, à ſuſcitato ſchiſmate Germania non eſt experta.


Faxit Deus, ut ſummus Pontifex rem il-

lam

Iam Eminentissimæ Celsitudini S. comittat, de cujus prudenti directione sicut non potest dubitare, sic gloria ipsius erit, per idoneum Principem tantum bonum Ecclesiæ Catholicæ sibi commissæ procurasse;

Et hæc quidem a Theologo mihi communicata, consideratio, Ecclesiasticos, de statu Germaniæ debite informatos, habet consentientes: Quæres, si quidem mihi committatur, licet non modico oneri sit futura, confido tamen in Domino, ex successu optato Sanct. v. magnum meritum Ecclesicæ Catholicæ ingens incrementum accessurum: Quo facto, lubens dixero: Nunc dimitte servum tuum in Pace.

Omnia Tamen Sanct. v. altiori judicio submitto.



X.

EPISTOLÆ

Quædam ineditæ ex Bibliotheca Krafftiana.

I.

DANIEL HEINSIVS MICHAELI PICCARTO.

VIr Clarissime: Menses ni fallor sex sunt, quum suavissimas & quæ intimum animi tui candorem spirarent, imo ipsum hunc animum aperire mihi viderentur, literas accepi, tribus ante, ni fallor, mensibus datas. Quæ non tam sero tamen quam importuno tempore in manus meas pervenerunt. Sub Augustum quippe Mensem itineri accinctum oppresserunt: ita, ut vix majus esset gaudium (erat tamen incredibile) quod e lectione earum percipiebam, quam dolor, quod ad eas respondere non possem Priores, quarum meministi, equidem accipere non memini. Neque certe hactenus nihil scripsissem. Qui thesaurum mihi reperire videor, quum amicum litteratum occasio aut mutuus litterarum

rum amor conciliare mihi solet. Quare, mi Piccarte, noli tantopere ambire, id quod per te ipse & virtutem tuam obtinere potes. Potes enim obtinere, imo debes quidquid eruditioni ipsi & virtuti omnes tribuunt, qui ab illis duobus non sunt alieni. Oppiani tui versionem olim legi & probavi, sed quam liberalitate vestri Rittershusii accepissem. Crede mihi, ista studia si cum Philosophia jungantur usum suum habent, quem sine ea amittunt. Neque melius a contemptu vindicari possunt, quam si Divam illam amplectantur. Certe ornatum illi addunt, dignitatem ab ea accipiunt. Etiam pericula tua vidi, quæ & ipsa ἀσφαλῆ i. e. sine ullo periculo a Te sunt edita. Sed ante omnia ingenuitatem tuam probo & candorem, quæ, si verum volumus fateri, paginam in his litteris utramque faciunt. Male agitur nobiscum, si ad contumelias unquam & calumnias proficimus; & quæ in vulgo ridemus, ea vulgo ridenda ipsi damus. Si cum omnia fecerimus, ut & hæc studia, quæ per semetipsa satis male audiunt, a contemtu vindicemus, quasi instituti nostri plane immemores, intemperie nostra omnium ludibrio ea exponimus. Qua omnia aut ætatis sunt vitia, aut animi non

ſatis a ſapientia inſtructi. Nam ut navis ſine juſto onere & ſaburra quovis momento modo huc impellitur, modo illuc: ita mens noſtra, quam diu illo fulcimento eget, quovis ab affectibus impellitur, quovis æſtu illo ac tempeſtate abripitur. Accepi & Epigramma ἐπικήδειον in magni noſtri Herois obitum a te conſcriptum, ſed tamen aliquanto ſerius, quam ut noſtris poſſit adjungi, quæ tum typis erant deſcripta. Neque minus gratum officium tuum fuit, quod ex animo illius nomine amplector: cujus nomen immortale eſt, & contra invidiam invictum ſemper ſtabit. Nam minores iſti canes latrare ſciunt, mordere neſciunt. Quibus ille ſolum contemptum opponebat. Reſtat, ut, quod antea feci, ſtudium omne meum & operam, imo meipſum tibi offeram, mi Piccarte, quod tum demum ſerio a me dictum fuiſſe intelligas, cum res ipſa verba confirmabit Vale, noſter amor, & me ama. Lugd. Batav. 1610.

2.

C. Dornavius Mich. Piccarto.

VIr Cl. Herbam tibi porrigo non certe affectu abs Te ſuperatus, ſed tempore.

re. Diu enim est, ex quo votum, concepi ad Te scribere: quod existimarem non colloqui inter se, ab indole amantium esse quam alienissimum. Quod vero principium literarii inter nos colloquii tute facere voluisti: facis, ut me suppudeat morosæ meæ tarditatis atque in civilis plusculum: qui prior Te compellare litteris debui. Hanc vero ipsam procrastinationem compensabit amor meus observantia plenus; quo Te colo venerorque meritissimo tuo. Sic enim velim inducas animum tuum, quamprimum Pericula tua vidi, & orationem tuam de Lusibus Naturæ & observationes Historico-Politicas: genium me tuum exosculatum esse. Gratulatum vero Reipubl. literaria, qui sic utilia, sic amœna promis, lectorem delectando pariterque monendo, Imprimis vero placet tua industria & judicium illud exornatum tuum: quo per omnem Historiæ campum, & cujuscunque ætatis Auctores decurrendum Tibi putasti, nec negligendo veteres, nec post habendo medios, recentiores non fastidiendo. Nam mihi quidem superstitiosus ille rigor videtur eorum & a tyrannide parum abesse qui putant meliorem mentem non

nisi prisci seculi vel exemplis vel præceptis conformandam esse. Obtineat sane regnum vetustas: sed in laudis suæ societatem alios etiam admittat: quibus Natura, etiam nobis longe benigna Mater, non noverca, aliquid auri in pectora animosque infudit. Mihi certe dignissima cedro videtur illa Marci vox: *Non bona omnia ex hominibus prorsus exterminata sunt: sed sunt adhuc apud nos antiquæ virtutis reliquiæ.* Macte itaqqque, Vir præstantissime hac prudentia tua, fide labore, & quo ista omnia geruntur, Judicio! Tibi enim hoc potius tribuo, non modio neque trimodio, sed ipso horreo; Tibi, inquam, tribuo: mihi vero de illa laude, qua me afficiendum putas, nihil decerpo. Novi qua parte meus me calceus urat, & quam minime instructus sim iis præsidiis, quæ delicato isto seculo in litteris requirantur; etiam illud novi. Unum illud agnosco & ago, prodesse juventuti, & pro viriculis meis de ea bene mereri. Tibi enim, mi Piccarte, pro libello abs Te mihi donato gratias ago maximas majores etiam habeo. Αντίδωρον hoc temporo non habeo; nisi illud admittas quale Glauci cum Diomede fuit. Tu ex præfatione, quid porro

moliar,

moliar, agnosces, & ex syllabo isto, quem mitto. Hac in opera, si quid me juvare potes (potes autem plurimum) perofficiose rogo, ut ne mihi desis auxilio consiliove, in primis suggerendo, ea quæ eruere apud nostrates atque vicinos nequeo. Desiderio enim comam Dionis Prusæi & ejusdem Psittacum utroque sermone; dehinc Synesii Calvitium Græce, quod Latine habeo. Deest Encomium Muscæ Leonis Baptist. Alberti: Hugbaldi Monachi Calvitium; Bedæ Cuculus. Johannis Cornari laus podagræ, & ejusdem Eucomium Antonii Galathei. Magnum mihi accedet beneficium his juvari, sed & Authores bona fide restituam, nisi malis castigata descripta mittere, pro quo labore Amanvensi tuo honorarium promitto. Patebit Tibi subinde occasio commodissima, per Salmuthum Theologum litteras mittendi Pragam ad filium suum Bibliopolam, mihi non sine aliquo nomine addictum. Vide, quam imperiosus sim, in primo hoc ingressu! sed scio, quocum mihi negotium sit, ut proinde non arbitrer, culpam mihi deprecandam esse, quin potius pari fide; pari industria, me ad omne illud obstringam; quod ex me jucundum aut

utile

utile proficisci in Te queat. Salutem quæso meam vicaria voce impertias cl. Collegæ tuo, Virdungo: quem toties a me litteris provocatum mirari satis nequeo; quod a sexennio nulla me epistola dignatus fuit. Ego nihilominus, si forte irascatur mihi immerenti, amo Virum, colamque dum vivam. Ausim ne Tibi, cl. Piccarte, etiam præterea aliquid oneris imponere? Non renuis: videor mihi in fronte tua legere hujus lubentiæ indicia. Peto ergo ut officia & salutem ex me offeras ampl. Dmo. Remo, cujus olim litteras non unas Basileæ, quas ad Grynæum scripserat, legi: ab eo vero tempore cl. Viri Doctrinam virtutemque admiratus semper fui. Deum veneror, ut eum sospitet, faxitque, ut, quidquid calcaverit, id rosa fiat. Idem tibi contingat, anime mi. Tu cum tuis omnibus vale bellissime & salve. Goerlici 11. Dec. A. 1614.

3.

Johann Kirchmannus Piccarto.

BInas a Te V. C. hac æstate accepi litteras, unas a Grünwaldio nostro, alteras, ni fallor a Patre Buschij, quem postremis meis

meis tibi commentaram. Utræque sane fuere mihi gratissimæ, cum testentur, te in pristino tuo adversum me amore constanter perseverare. De meo quoque animo non est quod dubites, cum tibi devotum pollicεor, donec in hoc domicilio diversabitur. De Ruaro quæ scribis invitus intellexi. Is ante paucos dies mihi adfuit, cum rediret ex Belgio, quo se à Tutoribus discipuli sui missum affirmabat ad faciendum funus Ernesto Ludovico à Bourgstorf, qui Lugduni Batavorum superiori æstate diem obierat, cui & Heinsius noster eleganti Oratione parentavit. Disserte ipsi significavi quæ audieram de ipsius transfugio in castra Photinianorum, me quidem tale quid de ipso hactenus suspicatum non esse; sed jam me multa movere, ut fidem publicæ famæ habeam. Respondit in sua potestate non esse, impedire quo minus homines hoc illud de se sentiant, aut loquantur; culpæ huic se affinem non esse. Autorem hujus famæ appellabat quendam Livonum, qui jussus fuerit a nescio quo Professore Academiæ Regiomontanæ argumenta Photinianorum conquirere, atque hac in re Livono illi se operam navasse, qui nunc sibi tam

nequiter

nequiter inſultaverit. Ejus epiſtola quam lectam ad te remitto, facit, ut parum ejus verbis fidem adhibeam, ſed quicquid ejus ſit, recte & laudabiliter fecit Senatus Noricus, qui hujusmodi pravos libros publice cremari & impietatis hujus ſectatores e ditione ſua excedere per præconis vocem juſſit. Male enim audire jam veſtra Academia hoc nomine cœperat, & fuerunt, qui mihi id objicerent, primarii in hac urbe viri cum aliquando quibusdam ſtudioſis autor eſſem, ut ad vos ſtudiorum cauſa ſe conferrent. Nunc ſpero, ſiniſtram illam famam brevi refutatum iri, ubi hoc ſenatus veſtri decretum innotuerit, quod noſter πρωτεκκλησιαστης nuper publice pro concione laudavit, cum ex tuis literis, quas ei legendas dederam, id ipſum intellexiſſet. Syntagmati noſtro de annulis nondum potui extremam manum addere: ita alia atque alia quotidie occurrunt, quæ moram mihi injiciunt, de Ratichio & ejus collegis de fraternitate Roſeæ Crucis ſi quid certi habes, rogo mecum communices. De his mira ſparguntur: de illorum doctrina videtur ſpes omnis decollaſſe. Miror Dominum Höflichium tam honorifico teſtimonio illorum ſomnia probaſſe, ſi modo

illius

illius testimonium est quod vulgo circumfertur. Ajunt, filium ejus deplorare jacturam temporis, quod huic Didacticæ impenderit: Elzwigii mei conversatione te delectatum fuisse, per gratum mihi accedit. Quod si porro quoque ipsum amare perrexeris, magno me tibi beneficio obstringes juvenis est literarum amantissimus, quique ad singularem eruditionem adspirat, modo vires corporis ipsum non destituant. Quod Buchio de mea commendatione tot humanitatis officia præstas, habeo gratiam: & quanquam nullam mihi cum eo aut ejus patre notitia intercedit, rogo tamen, velis hunc tuum affectum erga ipsum tam diu contiuare, quam diu mores suos tibi probat, inquo ipsum sedulo laboraturum confido. Observationum politicarum decades posteriores, quas te Typographo jam dedisse scribis excudendas, rogo ne mihi invideas. Vale & Domino Scipioni, si adhuc, quod voveo superstes est. Virdungo, aliis mei amantibus, plurimam a me salutem nuncia. Ephoro Domini Baronis Guldensternii velim meis verbis gratias agas pro recte curatis literis. Iterum vale Lubecæ III. Kal. Octob. A. 1616.

4. *Grute-*

4.

Gruterus Piccarto.

SAlve Amicorum eximie. Exſuper vacuo commendas mihi ſtudium collegæ tui, cui ecce hanc communicabis ſchedam & excuſabis, quod deſiderio ejus non plenius ſatisfacio. Dies & noctes vivo & dormio in hypocauſtis impatiens qualiscunque frigoris. Emendabo culpam ſub ver, ſi vivo. Interim doleo valetudinem Tibi non eſſe exanimi ſententia; cum tu unicus fere hodie ſuperſis qui ſuſtineas digne coelum literarium. Nam qui Atlas ejus videri vult, imo adeo eapropter ſe jactat, J. Ph. Paræus, vere eſt Atlas in lapidem mutatus, cujus omnia ſcripta a minimo ad maximum reſipiunt furtum, plagium, inſcitiam, ignorantiam, inſolentiam, impudentiam, aſinitatem aut ſuilitatem meram. Hæc ideo ſcribo, quia is iterum, me diſſuadente, edere vult Plautum compoſitum cum MST. Pall. omnibus. In ſpecimine quidem ad me transmiſſo ita ſe inſulſe & pueriliter geſſerat, ut ei conſulerem, adhæreret editioni ſecundæ Taubmanni, cui ego ultimam impoſueram manum. At homo ad id ita fremere,

mere, ut præ se ferret, orbi toti se palam facturum, Taubmanni exemplar constare ex meris Gruteri Pistorisque mangoniis. Inde conjicias de mente hominis, qui tamen præfatione Editionis primæ ita se meum fecit, atque si prodiisset e podice meo, aut ego ipse ipsius. Nempe asinus, cum pelle mea aliquam auctoritatem se nactum putat, mihi jam obvertit dentes. At vos, quæso, ne patiamini tam temerariam petulantiam. Ego puerum nunquam amavi ob furta; Juvenem ob judicii ingeniique sterilitatem scævissimam. Exinde me verbulo ne unquam dignatus, ni ante 3. menses, quo volebat, ei addicerem calculum meum super editione iterata Plauti, quod ut nolui peccare istæ lacrymæ. Verum quo me rapit indignitas rei? Albergatum tuum nescio quis habeat, egone an Typographus? Indica qua sit forma & veste: tum & quæram inter meos repetamque ab Elseveriis. Attica Meursii majorem præferunt diligentiam, quam habitura sint usum: Laudo tamen quod omnia simul & semel intueri liceat. Vale & Salve cum tuis a tuissimo Grutero 23. Febr. Anno 1618.

5.

Jan. Gruterus Mich. Piccarto.

NOn attonuit me tenor literarum tuarum; jam enim ante infortunium illud tuum indicarat amicus communis D. Remus, sed tamen ob oculos mihi revocavit fragilitatem mortalium. Erant ad manum, quibus te solarer, Amice singularis, sed cum eadem tibi æque cognita sint, restat solum deducas in opus. Spero tamen illud malum ultro a se desiniturum. Neque enim illæ fluxiones continuo exedunt oculorum fibras venasque: quod uti ne faciant, vota facio ad Deum Opt. Max. cujus voluntati tanto promtius accedere debemus, quia est & Pater, eaque Propter nihil liberis imponit, quod sit eis noxium. Interim non negarim, studia nostra publica magnum passa damnum tuo illo casu, quibus eras præsidium fere unum unicumque: Quo ægrius hoc ipso tempore carere poteramus, quanto major subnascitur seges impudentium juvenum quibus est pro ratione insolens voluntas. Paræo certe omnibus modis parcere volebam, sed id fieri non poterat, sine

ſine inſigni labe nominis mei , ſub cujus umbra hactenus latuit ; nuncque cum arbitratur , ſe eſſe extra tempeſtatem , eam hoſtiliter lacerat diripitque. Haud tamen cum eo mihi ullum erit certamen : tantum apparo editionem novam Taubmanni , in eo demonſtro ignorantiam ejus ac furorem nemini credibilem. Mihi nihil ibidem vindico. Prodibunt omnia, ut prius ſub Taubmanni nomine , cujus & famam poſtumam vindico a roſtro immanis hujus ſuis. Valde male me habet, tot bonas horas occupare in mendoſiſſimis hujus centonibus. Sed cum cogito ipſius inſaniam ; dum uni ſubvenio Plauto, ſubſidium & præſto cæteris Scriptoribus Claſſicis , quos omnes ordine percacare deſtinarat ; certe Statium , Ovidium , Horatium alios. Nemo credit , quam vaſtos gerat ſpiritus Aſellus ille. Quotidie uxori ſuæ , cum vapulat , ogganit , ſe unum eſſe Palatinatus illuſtriſſimum , cui ingenium alterum fruſtra comparetur : notum eſſe ab ortu ſolis ad occaſum. Jam ſibi ſperat profeſſionem Steetinii ante menſem & amplius defuncti. Summa, ſi quærendus eſſet Aſinus Apuleii inverſus, ille daret. Imo jam nunc publice

exhibet. Quotidie exſpecto ejus editionem Plauti ſecundam, tot hederis laureisque obumbratam, uti terrorem omnibus immiſſura ſit, præterquam mihi, qui penitus cognitum habeo furunculi hujus ingenium ſterile, judicium ſcævum, mores perverſiſſimos. Vos tantum ſedete ac ſpectate Quirites. Epiſtolam tuam communicavi cum Gebhardo. Habes hocce ab eo reſponſum. De diſſertatiunculis tuis plurimum te amo. Sum in eadem qua ſemper antea ſententia: neque novi quem in Germania, qui ita in omnibus per omnia mecum conſpiret: Quanquam jam mihi feriæ perpetuæ. Serio ſane ſtudia non amplector, occupatior circa meam Floram, quæ jam in Hortulo meo renaſcitur, ac mille ſuppetit voluptates delaſſato in plus quam Augiæ ſtabulo Plautino. Suffocaſſet me dudum fœtor loci peſtilens, niſi illa eadem odore delicatiore recreaſſet nares ac cerebrum. Sic igitur vivitur. Hac hieme ſub veſperam tumor mihi oritur circa talos ſemper; ſed idem a ſe evaneſcit mane: adeo, ut nullam implorem medici opem ſimilis Lingelshemio, qui chiragræ ac podagræ non novus cliens, nihil ſibi eſſe vult cum

proſa-

prosapia Æsculapii. Utinam & tu, mi Piccarte, eam & ejurare posses. Ut mox id fiat, vota rursus facio. Vale itaque & salve ab omnibus modis tuo Grutero hæc scribenti. 15. Mart. A. 1619. Heidelbergæ.

6.

Nobiliss. & Clariss. Viro

JOHANNI HENISIO JOHANNES FREDERICUS GRONOVIUS

S. P. D.

NObilissime & Experientissime vir, cum istic ante biennium & quod excurrit essem nihil divinabam minus, quam fore ut hic ego inter Sirenas obhærescerem. Equidem jam ad agentem in domina quondam rerum urbe Romæ inquam perscriptum erat, quid de me plane inscio atque insperante magistratus hujus urbis constituisset; sed quod peregrinationis orbem ante præfinitum tempus abrumpere nollem, humanissimæ vocationis gratiam invitantibus feceram, at

 nunc

nunc *ἐαυτόματον ἡμῶν κάλλιον* consuluisse *μᾶλλον δὲ τὸν κρείττονα* rebus experior, *μεγάλη χάρις αὐτῷ.* Nempe naufragantis etiamnum communis patriæ magnum e terra spectare laborem, non suave profecto, tutius tamen, nec cum succurrere nequeas, inhonestum videbatur, Neque unquam optari quicquam magis quam ut ambitione & variis curis solutus otium literale dulcibus ante omnia Musis unde *κλέος ἔρχεται ἀνθρώποισιν* elargiri & expensum ferre possem, sed etiam a quo cogitando longissime dudum afui, inveni hic quam in individuam vitæ consuetudinem adsciscerem sociam, puellam tres & viginti tum annos natam parentibus præclaris (vivunt uterque in re sine ostentatione lauta) sancte casteque educatam, commodis admodum moribus, rei familiaris intelligentissimam, filo quoque corporis & forma, quæ in uxore satis placent. Qui cum vertentem jam annum (*χάρις καὶ πάλιν χάρις τῷ κρείττονι*) conjugium concors, jucundum, foecundum (nam ex a. d. VII. id. Decembr. gratissimi infantis, *τῷ πατρὶ, ὡς λέγουσι τὰ πάντα ἐμφερῆς, ἄττα* audio) multarum mole-

molestiarum levamen, & sine ullis studiorum impedimentis exigo. Accipe rei hujus indicium, fœtum hunc ingenii, qui inter primos calores genialis lecti & castæ veneris per vigilia natus est. Est illud quidem argumentum tractatum a multis & summis Viris, vix abstines fortasse, quin ad primum conspectum exclames: itane post tot Homeros etiam Chœrilus Iliadem: Sed sustine paullisper & rem cognosce, non omnem operam spero lusisse nos putabis. Accepi Abexiados exemplar, quod per nescio quem misisti, curatum ad me Lugduno Batavorum, & gratias ingentes ago. Utinam nunc Plautinas illas collationes, quas a manu Claravallensis illius Comitis penes te vidi volvere atque revolvere mihi liceret; Non id sine fructu literarum futurum spondere ausim, & nisi molestum est, promissi te admonitum velim quod cum gloria tua conjunctum erit. Vel hic libellus quem mitto testabitur tibi candidissimum me esse in commemorandis illis quorum beneficio profeci. Vale & salve cum Tuis, ingens Germaniæ de-

cus & nostri memor vive. Scripsi Daventriæ pridie bissexti CIↃ IↃC XLIV.

Nobilissimo Magnifico & Experientissimo viro Dn. JOHANNI HENISIO. Medicinæ D. Comiti Palatino Cæsareo Equiti D. Marci Sereniss. Electoris Bavariæ & Reipublicæ Augustanæ Medico ibidemque Collegii Med. Decano. Domino & Amico observando.

Augustam Vindelicorum.

7. Præ-

7.

Praestantissimo, Celeberrimo Viro

JOH. CHRISTOPHORO WAGENSEILIO

S. D.

GISBERTUS CUPERUS.

PLurimum Tibi debeo, quod non ſolum humaniſſimas, verum etiam eruditiſſimas ad me literas dederis d. IX. Cal. Jan. proximarum; atque uti illæ mihi, quia a Te proficiſcebantur, erant acceptiſſimæ, ita ex earum lectione exquiſitam voluptatem & ſingularem fructum percepi. Quid enim mihi jucundius evenire poteſt, quam negotia ejusmodi oblectamentis diſtinguere, & refocillare eruditis avocamentis laſſum ſæpe a Reipubl. adminiſtratione ſpiritum? Plurimum quapropter Tibi debeo, quod petitioni meæ ſatisfeceris & miſeris quibus oblectamentis & ludis Judæi ſubinde uſi ſint. *Ludere*, quod 2. Sam. II. 14. legitur mihi placet mirifice, quia Latini arma, quibus in ſimulatis præliis utebantur, vocabant *arma luſoria*, iisque opponebant *decretoria*, quia gladiatores *ludere & deludere* dicuntur, quia *ludus* eſt locus, in quo

 iidem

iidem pugnabant, & *luſorium*, itidem locus, in quo cum beſtiis, vel etiam inter ſeſe decertabant. Sed cum apud Samuelem XXIV. non modo ſibi invicem capita apprehenderint; verum etiam ſeſe occiderint, videri poſſet non ſimulatum, ſed verum illud certamen fuiſſe, & tunc inquirendum foret, num vox quæ ibi per *ludere* redditur, Judæis de pugna vel duello uſurpetur. Jobi librum ad inſtar Dramatis fuiſſe compoſitum, multi exiſtimant; ſed licet id concedam, tamen non puto inde ſequi *ludos ſcenicos* Judæis in uſu fuiſſe ab illo tempore, quo hiſtoria hæc fuit literis mandata. Quin etiam non credo poſterioribus temporibus gentem eam oblectamenta hæc introduxiſſe in ſuam Rempublicam. Et Ezechiel Poëta, ſi ante D. N. I. C. vixit, imitatus eſt Græcos in ſcribendo tantum, qui poſt Alexandrum Magnum ſeſe in Syriam & Judæam effuderant, & quorum Poëtæ ibi legebantur. Quin veræ etiam Hiſtoriæ protaſin, epiſtaſin & cataſtrophen ſæpe habent; notumque ſatis eſt ſuperque, orientales Hiſtoricos ſæpe luxuriari nec obſervare leges, quas Græci & Romani in rerum geſtarum enarratione ſibi præſcripſerunt. Et magnum argumentum ex Prophetarum ſilen-

tio

tio peti posse mihi videtur, *Ludos* scenicos incognitos fuisse Judæis; nam ut illi vitia populi & peccata acriter perstringunt; ita ne spectaculorum quidem vel Theatrorum faciunt mentionem, id quod fecissent procul dubio mea ex sententia, si voluptatum his irritamentis populus operam dedisset. Difficile dictu est, quid sibi velit Judæo-Cremnus, quem ludum ludere Italorum pueros narrat nobis Bonifacius: an descendit ultima vox a Græco κρημνὸς, quia Judæi in mare præcipites erant dati? Memini, me puerum ejusmodi ludum etiam lusisse, sed non memini, aliquod illi apud Nostrates nomen esse. Ecce Tibi dissertationem de originibus Babylonicis septimam, quia novam explicationem est complexus Vir Doctissimus inter quem & Francium, Professorem Amstelodamensem, nunc geritur bellum Grammaticale, idque tantis animorum motibus & ingenii viribus, tanquam de Reipublicæ Literariæ, imo Patriæ salute ageretur. Quod autem constituisti nomini meo dedicare libellum de Germanis phonascis, uti extet Tuæ in me observantiæ monumentum, agnosco humanitatem & benevolentiam erga me Tuam. Et quanquam tali me vix digner honore, injuriamque

que quasi facias tot in Germania Illustribus & eruditis viris, quibus extraneum præponis, tamen Tibi hanc veniam, quia ita vis, do libens, lubens; sed vide, ne Tibi invidiam, cujus motus longe est acerrimus, & offensionem apud populares & Cives Tuos excites. Vale Vir Præstantissime. Deventriæ $\frac{11}{21}$. Apr. An. 96.

8.

Joannes Henricus Boeclerus
Suo
Immanueli Schorero S. P. D.

PEtiisti a me, ut priusquam hinc in Italiam discederes, consilium Tibi meum de ineunda inposterum studiorum Tuorum ratione aperirem, id est, auderem aliquid, quod manifesta absurditatis confessione prudentiorū in me judicia justissimamque concitaret indignationem. Quis enim sapientia Italica & acribus ingeniis quicquam melius possit? Non inferendæ sunt Athenis noctuæ: nec bene Tu, dum ad fontes iter meditaris, consectaris rivulos. Sed nimirum, quod exigere a me jure potes, vel cum invidia mea & periculo famæ est præstandum. Nec aliunde mihi scribendi initium, quam ab

ab ipsis omnis sapientiæ incunabulis, a Linguarum inquam studio: Memoria adhuc teneo, qua animi contentione, qua industria pulcherrimo labori pridem fueris deditus, quam Te Curtius tuus (hunc enim velut auspicem eloquentiæ delegeras) quam Te Græca etiam facundia affecerit, totumque velut occuparit, sed enim interventu diutini gravissimique morbi in ipso stadio retentus ingentem etiam prioris diligentiæ jacturam passus es, quam, quod resarcire jam strenue cogitas, recte illud quidem atque ordine facis. Est enim eloquentia homini in Rep. versaturo (qualem Te speramus) instrumentum nimis quam necessarium & utile. Quæris igitur, quo facillime modo eam compares. Varia pridem nosti ea de re judicia. Nec desunt, qui solum & unicum Ciceronem suadeant adeundum. Recto illi quidem & præclaro de Patre omnis eloquentiæ judicio usi, sed vereor, ut pro omnibus ingeniis satis prudenter. Experimentis enim constitit paucissimos ad imitationem ejus non ineptam usquequaque potuisse assurgere; Cujus rei causas jam non inquiro. Tibi compendio opus est, nec circumducendus ulla prolixitate. Igitur Livium cum maxime suaserim, cujus tanta est

eſt amœnitas, tanta majeſtas ut adoleſcentes animos & capiat facillime & imbuat maturrime. Citius profecto, quam vel Ciceroniana perfectio, vel Curtiana concinnitas vel Salluſtiana numeroſitas. Igitur hunc conſtanter tracta., evolve, repete: Sed, quod aſſidue Tibi ingerendum eſt, ſemper adjuncto ſcribendi exercitio: Singulis diebus aliquid verte, diffunde, contrahe, in aliam orationis faciem commuta, explica, materiam ſparſim occurrentem, aut ſub involucris perſonarum actionumque latentem collige, efforma, ad uſum apta. Negotia Reipubl. tractantes Magiſtratus aut diſſerentes de egregio publico in Curia Patres legis, accingere mentem, & calamum illuc verte, ad hujus ſeculi faciem applica, denique da operam, ut de rebus omnibus ἐν εἴδει πράξεως loqui & convenientiſſima rebus oratione diſcas uti. Nunquam Tibi deerit hic Ductor, & niſi hic aliud egeris, affirmo Tibi, trahet rapietque velut amica quadam vi in rerum præclariſſimarum adyta. Cave autem Patavinitatis maximo autori objectæ te decipiat labecula, quaſi tantus non eſſet, quantum Tibi merito prædico. Scis enim, quid de intimioribus iſtis ſummorum Criticorum judiciis in reliquis etiam ſcri-

ptoribus

proribus sæpe monuerim. Atque hic Tibi fundus linguæ esto, hoc melior, quo Te validius rerum, quas aliquando tractaturus sperares, egregia cognitione imbuet, accidetque Tibi, quod in sole ambulantibus ignorans colorem duces & sapientiam hauries. Nihil attexo hic de reliquis, qui eloquentiam absolvunt, autoribus; nam & aliunde ista petuntur, nec ignotæ cujusque laudes sunt ac indoles. Nisi quod ἀβλεψία seculi necessariam facit admonitionem de Terentio. Venustissimæ absolutissimæque Latinitatis autor, nunquam satis laudatus, est, nec frustra a Josepho Scaligero jam sene tantopere deamatus. Hujus artem & ingenium si penetrare poteris (& viam monstrabit vel una Dissertatione, quam præfixit huic scriptori Heinsius) multum Te in politiori literatura profecisse existima. In Græca Eruditione, unde initium Tibi faciendum sit, nonnullam possit forsan dubitationem habere: Verum cum ad vitam occupatam & maturos profectus Tibi oppido sit respiciendum, non video, quid ea ratione commodius possit excogitari Berneggeriano consilio, qui propterea ad Thucydidem Te cœterosque auditores magna dexteritate deduxit, ut & masculæ eloquentiæ radios

mature

imature ferre, & rerum ſimul iſtis ignibus ingenium roborare & ad magna traducere aſſueſceres. Nec dubito, ſi perpendes gnaviter, quod præeunte tanto Viro incepiſti, magnas ei olim gratias debebis, & ſi Te bene novi habebis. Jam in ipſo ſapientiæ ſtudio ante omnia habenda eſt ratio vitæ rerumque humanarum, omnisque adeo moralis diſciplinæ. Cumque conſtet omnem ſcientiam duplici præcipue modo comparari; primo quidem artis methodo & ordine; tum ſapientum, qui ex artis principiis ſcripſerunt jam veluti practicis monumentis; Igitur artem quidem morum erudite maſculeque complexus eſt Ariſtoteles, uſum autem ex Latinis optime oſtendunt Cicero in officiis & pluribus ſcriptis, Seneca, (quem præcipue tibi commendo) Horatius, & quem modo laudavi, Terentius, aliique (præcipuos enim tantum nomino) inter Græcos autem Plutarchus & Iſocrates excellunt. De Horatio valde velim ut contingeret Tibi ſapientiam Ejus Viri paulo propius intueri, ſed vix eſt, ut abſque fideli interprete ſperes. Quanquam multum lucis Tibi Heinſiani de Satyra Horatiana Libri afferent. In Politico ſtudio nunquam, ſi me audis, omiſeris Ariſtotelis Politica.

Opus

Opus nullo pretio satis æstimandum & in quo nervos ingenii sui ostendit ὁ παμμέγας ille. Difficultas maxima latet, fateor, sed quam iterum divina illa Phœnicis Belgici paraphrasis discutiet ac extricabit. Præivi & ipse, qua potui viam amicis quibusdam integra dissertatione, in qua ad λεπτολογίαν usque multa excussi. Altera & præcipua hujus studii pars ab Historicis maxime pendet. Quorum Catalogum selectiorem Lipsius Tibi exhibet & sequutus est eam seriem cum successu maximo Forstnerus, elegans ille notarum Cornelianarum artifex. Illud potioris est cogitationis, quomodo ad usum eos aptes pariter atque legas; qua in re ista, quam dedi Tibi, scriptiuncula, fallor, aut Tibi non inutilis erit. Illud non dubito, Tacitum Tibi fontem principemque omnis hujus studii futurum. Et laborarunt cum Lipsio multi alii in adytis istis pandendis, molliendisque abruptis. Si per tempus licuisset, describendam famulo Tuo tradidissem istam, quam hoc de argumento habui oratiunculam, in qua specialius paulo, & per exempla multa executus sum. Cæteros ad Civilem Prudentiam qui faciunt scriptores Colerus Tibi designabit in aurea illa ad Generosum Juvenem de Zelanka Epi-

ſtola, cujus judicia valde recta exiſtimo. Illud obiter moneo, quidquid in laudandis Epiſtolis Tullii ad Atticum & Q. Fratrem ille habet, vero minus eſt. Omnia πολυτιμοτάτων πραγμάτων κρύφια magnus Vir epiſtolari ſimplicitate clauſit, aureum baculum in corneo cavato diceres. Sed magnam rerum Romanarum notitiam requirunt; quam & ubique apud lectores augent. In Jure Belli & Pacis cave indiligens ſis. Perpetuo tecum ſit Hugo Grotius, mirabili artificio rem totam complexus. Cogita, has vere Senatorias artes eſſe, veram ſcientiam, qua ingenia ad magnæ futuræ cultum excitantur. Reliquum Jus absque moroſa & inutili Commentariorum mole ex ipſo Textu petendum eſt. Ducat Te Briſſonius, Tigelius & Cujacius introducant. Jacobi quoque Gothofredi rectam in hoc ſtudio ſapientiam mirari diſce. Quanquam hoc absque præjudicio dictum velim; & longe felicius Tibi hic, ut & in cæteris viam præibunt Itali. De recentioribus in omni ſtudio autoribus ita cenſeo; eſſe omnino legendos ut & imitationem ex antiquis expreſſam videamus clarius & hauriamus penitius; tum ut noſtrorum temporum faciem dignoſcamus rectius, & ad ea promtius componamur.

mur. Quis enim melius tempus, quam in Heinsianis monumentis collocet? Orationes Ejus discendi vivendique artem continent: Historia Tacitum regenerat, an superat (scio aliis aliter videri, nec moveor admodum istis rationibus, legat, qui capax est, fructus laudem autori, mihi Consilii reddet). Poësis ejus cum omni antiquitate certat, quam & non raro vincit. Præcipue Asini laudem cave ex Titulo æstimes, id est, ludicram rem credas. Omnia Dominationis arcana & progressus, & conversionum causas inde cognosces, præstantissima de potissimis quibusque inter hominis institutis judicia videbis, & quæ mora est referre plurima utilissimaque. Barclaji Argenis vel ideo chara Tibi esse debet & accepta, quod ad pleniorem ejus intelligentiam non parum Tibi subsidii Italia præbet. In Satyrico excellit Icon animorum opus plane Titulum suum implens, quodque veluti fons quidam & clavis multarum Politicarum rerum merito potest appellari. Non eo in laudes cœterorum, quos in variis sapientiæ generibus claros fecit nostra aut superiores ætates. Ex Italis, Gallis, Hispanis, quos deligas partim publica Tibi Famæ vox, partim periti harum rerum in Italia Viri monstrabunt. De tempore nihil de-

finio. Unum uno tempore tractandum, graviora facilioribus aliis (modo desultoria levitas & περιεργία absit) interdum dispungenda. Hæc cum similibus passim traduntur. Tempora conversationis & convictus singulis diebus disposita habeatque ordinata. Delige ex variis vitæ generibus viros doctos, peritos, bonos, ad eos, ut Tibi frequens aditus pateat, etiam atque etiam cura. Hodie ab hoc Doctrinam hauri, cras ab illo prudentiam, & sic deinceps. Sed enim nosti quis fructus peregrinationum sit & finis. *Magnos* Viros studiosissime, cum cauta tamen modestia affectare. Hi Te ad omnem experientiam liberalissima admissione promovebunt. Verum enimvero non diffido ingenio Tuo & honestis desideriis. Nec jam plura Tua festinatio permittit, quam & mihi temporis arctissimi necessitas imposuit. Quæ res, ut veniam confusæ scriptioni impetret vehementer oro. Quod superest felicia itineri Tuo, satis periculoso fata, Deumque protectorem precor, & quin inposterum etiam amicitiam nostram exculturus sis, nullus dubito. Vale & Pietatem diligentissime accura ubique ac tene, ita Te salus semper amet & felicitas.

XI. *Ad-*

XI.

Additamenta quædam & notamina.

AD Part. I. p. 96. sq. Lucas Holſtenius in Catalogo Codicum rariſſimorum Bibliothecæ Mediceæ, quem inter Selecta Hiſtor. Literaria P. I. Celeb. Lilienthalius edidit p. 113. Plotini Operum optimæ notæ codicem in ea adſervari memorat, illoque exemplari in vertendo iſthoc authore Marſilium Ficinum uſum eſſe.

Ad l. c. Petrus Lambecius Commentarium Ficini in Plotinum ampliſſimum doctiſſimumque nominat. vid. Jac. Frid. Reimanni Bibliothecam Acroamaticam p. 506.

Ad pag. 107. Jacobus Tollius in Epiſtolis Itinerariis p. 9. *Oſtenſi quoque mihi* (in Bibliotheca Guelpherbitana) *Codices aliquot MSS. prima Corviniana Budenſis ſpolia, ubi ea urbs vel a Solymanno, vel a Cæſareanis occupata fuit, bonoque fato ab Auguſto Duce redemta atque hic recondita. In his Marſilii Ficini ad Matthiam Corvinum Epiſtolæ, & opuſcula permulta alia ſi non edita, digna viſa, quæ ederentur; Fontii item Notæ in*

 Perſium,

Persium, Orationes, Carmina, & alia. Serico raso rubro involuti, & intus imaginibus elegantissimis Regis Matthiæ, aliorumque illustrium Virorum ipsiusque Ficini & Fontii exornati codices magnificentiam vere regiam præ se ferunt, & spectatores ipsa statim sui contemplatione in admirationem rapiunt. De Fontii Operibus vide epistolam Serenissimi Ducis Augusti, quam P. III. p. 251. exhibui.

Ad pag. 111. sqq. De Ficini apparitione post mortem vid. Bailius in Diction. Artic. *Bonfadius* (E) f. 596. sq. quem locum debeo Celeberrimis Viris, qui Acta Eruditorum Germanico idiomate non sine literati Orbis plausu edunt. Ita autem Bailius inter cætera: *C'est dommage, que Michel Mercat n'en ait point laissé une Attestation juridique sous serment, & enregitrée dans les Archives de Florence. Il eut grand tort de ne le pas faire.*

Ad p. 114. sqq. De Ficino Jo. Henr. Bœclerus in Bibliographia Critica, cum egregiis accessionibus a Celeb. Jo. Gotl. Krause Lipsiæ A. 1715. publicata, p. 603. ita judicat: *Is instaurator fuit philosophiæ Platonicæ, in qua etiam fuit probe versatus, ut ex notis ejus apparet. Ingenium ejus insigne*

ſigne eſt; eruditio vero non reſpondet; adeoque cum grano ſalis legendus eſt.

Ad Part. II. p. 327. Vidi nuper in ſplendidiſſimi Monaſterii Ottoburani Ord. S. Benedicti Bibliotheca duos libros haud paulo ante iſtud tempus, quo primum inventa creditur ars typographica, ſi diis placet, excuſos: *Biblia ſcilicet Latina* in octavi ordinis forma, quorum in calce ea *Lugduni in officina Jacobi Soconi A. D. decimo quinto ſupra milleſſimum, duodecimo Kal. Octobris* impreſſa eſſe dicuntur; craſſiſſimo errore typographico, niſi forte per literam *D. annus quingenteſimus* indigitetur: nec non *Petrarchæ Bucolica* in folio, quæ in fine *per Marcum Horigono de Venetiis A. M CCCC XVI. die VII. Jul.* typis exſcripta eſſe perhibentur.

Ad pag. 330. Bibliorum A. 1462. Moguntiæ per Fuſtum & Schoifferum editorum exemplar non ita pridem oculis uſurpare mihi licuit in Bibliotheca Carthuſiæ Buxheimenſis, nobis vicinæ.

Ad pag. 337. Quanquam elogiorum Aldi Manutii ubiqe plena ſunt omnia, lubet tamen heic unum, quod inſtar omnium eſſe poterit, Octavii Ferrarii (Opp. varior. Tom. I. p. 433.) ex peculiari, quo ejus in

literas merita prosequor, affectu subjicere. *Quantum Venetæ civitati ob libertatis atque optimi reginimis exemplum Italia debet, tantum non Veneta modo, sed universa res literaria Manutiorum domui se debere profitetur. Quippe Aldus senior, Romani generis, cum se Venetias contulisset, typographicæ arti, qua non humanitas modo & memoria, sed hominum immortalitas constat, rudi adhuc atque imperfectæ summam manum imposuit, & incredibili labore atque inusitata diligentia innumeros Græcos ac Latinos scriptores, aut nondum editos ac situ putres, blattarum ac tinearum epulas, e tenebris eruit, ac veluti e pollinctorum fasciis expedivit; aut rudi opere, ac veluti soloci filo impressos nova & exquisita charecterum forma recudit, & cum squalorem vetustatis, tum mendarum injurias feliciter abstersit: doctus ipse inprimis, nec vulgaribus literis instructus (neque aliter fieri poterat,) ut grammaticæ institutiones, & præfixæ editioni operum præfationes testantur, Asulani soceri & doctorum virorum, quos domi, nullis sumtibus parcens, in id artificium alebat, opera adjutus, atque ita inenarrabili beneficio infinitis voluminibus orbem replevit, & restitutarum a Venetis per Europam literarum præcipuum instrumentum fuit,*

fuit, dignus, de quo nullæ unquam literæ obticescant.

Ad pag. 344. Christ. Gryphius de Scriptoribus Gall: Seculi XVII. (in Isagoge in notitiam Scriptorum Historiæ Gallicæ a D. J. A. Fabricio Hamburgi A. 1708. edita) p. 48. ita de Naudæi libro: *Rarissimus sane est liber iste, qui sub Mascurati titulo lingua Gallica Parisiis A.* 1650. 4. *prodiit. Enimvero postquam diu frustra a me quæsitus fuisset, & vix ulla spes superesset ejus potiundi, tandem cum Bibliotheca Conringiana sub hasta distraheretur, satagente id nobilissimo quondam fautore nostro Friderico Ben. Carpzovio huc delatus, & Bibliothecæ, Illustris Patroni (Logavius is est Baro) a me illatus fuit, cum tamen prius ob libri pretium & raritatem integrum mihi describi voluissem. Auget autem codicis dignitatem, quod ipse Naudæus in fronte libri manu sua testatur, se illum Conringio amico summo dounum misisse: nec præter exemplum, quod in Bibliotheca Carpzoviana adhuc extat, ullum credo in Germania nostra inveniri. Nec tamen adhuc expleta est sitis mea, nam si vera narrat Paulus Colomesius in opusculis Ultrajecti A.* 1669. *editis p.* 120. *Guido Patinus librorum belluo Lutetiæ ipsi aliam*

 osten-

oſtendit editionem, longe auctiorem, quippe quæ 717. paginis conſtet, neque aliter hanc poſteriorem a priori diſtingui poſſe monet Colomeſius. At ego quidem omnia hucusque egi, ut & illius, ſi alicubi exſtat, compos fierem, verum ſpes iſta adhuc decollavit. Interim tamen ferme ambigo, an veritati litaverit Colomeſius, cum videam elegantiſſimum & ſtupendæ lectionis virum Ægidium Menagium in Originibus Gallicis non alia quam noſtra, uſum fuiſſe editione, quem tamen profecto nihil fugiebat, quicquid rariorum in Gallia librorum uſpiam prodierat. Iſtud vero rariſſimi hujus libri exemplar, quo Gryphius uſus eſt, cum reliquis cimeliis literariis, a Balthaſare Friderico a Logau, Barone Sileſio collectis, in inſtructiſſimam Bibliothecam Principalem Vinarienſem migravit.

Ad p. 349. ſqq. Triplex exemplum cum Librorum Serveti de Trinitatis erroribus, tum Dialogorum de Trinitate in Bibliotheca Celeb. Georgii Serpilii, Senioris, dum viveret, Ratisbonenſis, extitiſſe ex ejus Catalogo didici.

Ad p. 367. Eandem Bibliothecam ornabat quoque rariſſima illa editio Taxæ Pœni-

Pœnitentiariæ Parisiensis, quam tanti Voëtius æstimavit.

Ad pag. 369. Hujusmodi Canones pœnitentiales, sed paululum diversi ab iis, quorum specimen exhibuimus, ex Statutis Synodalibus Joannis, Administratoris Ecclesiæ Ratisbonensis, Bambergæ A. 1512. excusis, inserti sunt Eliæ Ehingeri Historiæ Ecclesiasticæ Sec. XV. p. 395. qui liber multa rariora & scitu dignissima continet.

Ad pag. 384. In Catalago Bibliothecæ Du Boisianæ, quæ nunc Haagæ Comitum sub hasta divenditur, Tom. I. p. 237. non ea duntaxat editio Antonianæ Margaritæ, cujus Bailius mentionem facit, memoratur, sed & alia Methymnæ Duelli A. 1558. in fol. impressa h. t. *Antoniana Margarita, sive nova veraque medicina experimentis & evidentibus rationibus comprobata.* Nisi enim fallor, hic liber cum eo, de quo sermonem feci, unus est idemque.

Ad pag. 399. lin. 21. pro *Nallinga* lege *Nellinga*.

Ad pag. 421. Quæ de raritate Bibliorum Hebraicorum, seculo XV. excusorum, dixi, inde firmari possunt, quod Joannes Streler (cujus P. I. pag. 55. sq. memini) a Reuchlino, Patrono suo & Evergeta impense

ſe rogatus, ut aliquod iſtiusmodi exemplar ipſi curaret, ex Florentia, quo tum bonæ literæ & libri veluti in portum confugerant, A. MCCCCXCI. reſcripſerit, nullum venale inveſtigare ſe potuiſſe, niſi unicum Bononiæ, aliquot tamen quaternionibus mancum. vide Clarorum Virorum Epiſtolas ad Jo. Reuchlinum miſſas, & Tubingæ A. MDXIIII. in 4. editas plag. *b ii*, quæ tamen & ipſæ rariores ſunt.

Ad pag. 512. Unum vel alterum eorum epigrammatum, quæ pro ineditis habui, legiſſe interim alicubi, jam typis exſcriptum, Joannique Stigelio tributum, memini, ſed locus nunc haud ſuccurrit. In ipſis tamen Stigelii Poëmatibus, quæ in octo libros diſtributa Jenæ A. 1566. -- 1569. prodierunt, nullum eorum invenire mihi licuit. Fortaſſis autem mei me fefellerunt oculi.

Ad Part. III. p. 15. Iis, quæ inferius in nota (o) dixi, adjici ſequentia poſſunt. Extat etiam Godofredi de Viccrne Paraphraſis rhythmica Bibliorum V. & N. T. temporibus Friderici Imp. ſcripta, ſed nondum edita, quam poſſedit olim Jo. Heringius, ejusque ſpecimina dedit in Tr. de Molendinis corumque jure pag. 40. ac Mantiſſa de

de Jure Burgorum p. 14. sq. vig. Jo. Henr. von Seelen Memoriam Stadenianam pag. 208. & 408.

Ad p. 39. Inter Bibliothecæ Krafftianæ sermones in Concilio Constantiensi habitos triginta tres sunt, quos in Herm. von der Hardt Historia Conc. Constant. ejusque Historia literaria Reformationes frustra quæras.

Ad pag. 88. De Benjaminis Itinerario, Beckiique versione & notis vid. Meelfuhr. Accesf. ad Almelovenium. p. 5.

Ad pag. 124. Post ultimæ lineæ verba: *Nephitomon Lactantii Firmiani incipit*, adde sequentia, typothetæ vitio omissa: *In ejus calce hæc leguntur: Lactantii Firmiani in Ephytomon tractatus finit.* Ubi editor per *Ephytomon* authorem quendam indigitare voluisse videtur.

Ad pag. 141. In hac igitur editione satis antiqua, & inter primas referenda liber de imitatione Christi, Thomæ a Kempis tribuitur: pro quo nuperrime etiam non infeliciter pugnavit P. Eusebius Amort in *Informatione de statu totius controversiæ, quæ de authore libelli de Imitatione Christi inter Thomæ Kempensis Canonici Regul. & Joan. Gersenis Ord. S. Bened. patronos jam a centum annis*

nis agitatur. Prodiit ea Augustæ Vindelicorum hoc ipso anno in forma octipertita, lectuque dignissima est.

Ad p. 155. De Vecchiett: Opere conf. etiam *Verzeichnuss rarer Bücher.* Part. I.

Ad pag. 234. In linea ultima dele omnino verba: *Sive componendisque.*


Ad pag. 247. Hæc M. Welseri Epistola ad Eliam Ehingerum data est.

Ad Part. IV. pag 389. Spalatinus etiam reliquit Annales Reformationis, Germanico idiomate scriptos, ac B. Seckendorfio aliquoties *historiæ MS.* nomine laudatos, quos integros cum aliis hujusce generis Lipsiæ A. 1718. in 8. edidit Celeb. E. S. Cypriani. Cæterum Archiepiscopi & Electoris Moguntini literas ex bonæ fidei apographo desumtas esse scito.

Notamen ad p. 482. N. VII. Not. (a) mentio quidem facta est duorum rariorum opusculorum, sed unum certas ob circumstantias in præsentiarum omissum est.



INDEX



INDEX RERUM.

A.

B.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Pfef-

R.

S.

Schlei-


T. Tau-

T.

V.

W.

Z.



Errata typographica, quæ ob authoris a prælo absentiam irrepserunt, Benevolus Lector ipse emendare ne gravetur:

ab.
406

ii ab
ipsis
398

hosis
rolus